Ex libris Arnoldi Bamps medicinae Doctoris

Halcidetis

1er mars 1837. p. 16.

Quand on éprouve le jour ou la nuit une céphalalgie ou une douleur dans le dos, des nausées ou une pesanteur à l'épigastre, des frissons, ou de la fièvre, surtout si ces symptômes sont accompagnés de chaleur dans les yeux et d'une teinte jaune de la sclérotique, il faut prendre une poudre composée de 15 gr. de jalap et de 10 gr. de calomel dans une cuillerée d'eau sucrée dose que l'on pourra répéter trois fois de six en six heures, jusqu'à produire quatre ou six déjections alvines; on boira plusieurs tasses d'eau de gruau, ou d'orge ou de poulet ou de toute autre tisane agréable qui puisse favoriser l'action du médicament.

Il faut garder le lit pendant que le purgatif agit, moyen qui déterminera aussi de la moiteur.

Lorsqu'on aura complètement évacué les intestins si le pouls reste plein et dur on se fera une saignée du bras de 8 à 10 onces ou plus ~~[illegible]~~ suivant la saison et la plénitude du pouls.

Le malade pourra alors boire une infusion
legere de menthe, l'eau panée, la limonade,
l'eau tamarindée, l'infusion legere de
camomille, l'eau d'orge, l'on entretiendra
toujours le ventre libre soit avec une
nouvelle dose de jalap et de calomel, soit
avec ʒß ou ʒi de crème de tartre dans six
à 8 onces d'eau, soit avec les sels neutres
soit avec des lavements purgatifs.
Mais si le malade s'affaiblissait ou tombait
à la suite des selles abondantes il faudrait
donner une infusion legere de camomille
de serpentaire, d'ether sulfurique et de laud.
dans un peu d'eau rougie ou dans du
vin pur, le punch, la bière forte de Londres
(Porter), et dans l'intervalle de la fièvre
le quinquina en infusion ou en substance
on appliquera aussi des vesicatoires sur les
cotés de la poitrine, au cou, à la nuque, et
l'on ~~enve~~ enveloppera les extremités inferieures
~~dans~~ dans des flanelles trempées dans le
mêlé de
vinaigre chaud étendu d'eau.
Les alimens seront des potages faits avec
gruau, le pain, le sagou, ~~les épinards~~, ~~le thé~~,
le thé, le café, le chocolat leger, le vin, le lait,

le bouillon de poulet; ensuite les viandes blanches suivant l'état d'activité ou de faiblesse des voies digestives. On pourra permettre les fruits de la saison qui sont habituellement regardés comme les plus sains. On renouvellera autant tous l'air de la chambre; il faut qu'il soit frais quand le pouls est plein et tendu.
De temps en temps on arrosera le parquet avec du vinaigre ~~[illegible]~~ on enlèvera fréquemment les matières excrémentitielles de la chambre.
Les meilleurs préservatifs sont une diète modérée, en mangeant en grande partie que des végétaux, un exercice du corps et des facultés intellectuelles, des vêtements bien couverts, la propreté et le soin d'avoir le ventre libre.

Ex libris Arnoldi Bamps medicinae Doctoris

Dr [illegible]

Sept [illegible]

Johan de

# ADRIANI SPIGELII
## BRVXELLENSIS EQVITIS D. MARCI
&
In Gym. Pat. Anat. & Chirurgiæ Professoris Primarii

# DE FORMATO FOETV
*Liber Singularis,*

ÆNEIS FIGVRIS EXORNATVS.

EPISTOLÆ DVÆ ANATOMICÆ.

## TRACTATVS DE ARTHRITIDE.

*OPERA POSTHVMA*

Studio

*LIBERALIS CREMAE TARVISINI PHILOSOPH. & Medicinæ Doctoris edita.*




FRANCOFVRTI
Impensis & Cælo Matthæi Meriani Bibliopolæ & Chalcographi, Typis Casparis Rötelii.

ANNO M. DC. XXXI.



ILLVSTRISSIMO ET EXCELLEN-
TISSIMO

# D. IOANNI BERCK EQVITI;

# POTENTISSIMORVM ORDINVM CONFOEDERATARVM BELGII

*Prouinciarum*

AD SERENISS.mam REMPVBLICAM VENETAM LEGATO;

*Domino Colendißimo S.P.*

LIBERALIS CREMA.



NOn dari maiorem stimulum, ad referendam benefactori gratiam, quam beneficiorum recordationem, notissimum habet prouerbium. Et certè plurimum ei subesse veri, in me ipso expertus sum. Quippe qui, dum potentissimorum Hollandiæ Ordinum clementiam ac fauorem singularem, quo auum meum, olim generalem sui exercitus per terras Chirurgum sunt prosecuti, reuólui: dum Excellentiæ Tuæ erga socerum quondam meum, animum valdè propen-

)( 2 sum

ſum recollegi: dum denique Eiuſdem modo laudatæ gratioſum erga me, ac reipſa probatum affectum recordatus ſum: tanta me ab ingratitudinis ignominia aliquo modo vindicandi cupiditate ſum accenſus, vt hinc inde occaſionem qualiſcunque retaliationis & commoditates venatus, ſufficientibus autem deſtitutus, tandem hanc, in dedicatione huius de Formato Fœtu à Spigelio conſcripti & à me nunc editi libri, quem ſub Excell. Tuæ auſpicio in publicum emiſiſſe, Eidemq; nullum non ſubmiſſionis genus præ ſe ferente animo obtuliſſe debui, arripere coactus ſum. Certò futurum ratus, vt ob hunc meum conatum, mea primum, quà inclitæ Hollandorum nationi in genere, qua Tuæ Excell. in ſpecie, ex debito regerendæ gratiæ promptitudo innoteſcat, deinde Libro huic, de Excel. Tuæ ſumma nominis honoratiſſimi reputatione, maior fama accedat, & denique ego, vt ante hac, ita & impoſterum tam inſignis mei Patroni benignioris clientelæ fruitione non indignus exiſtimer.

*Patauii VI. Kal. Maii, Ann. M. DC. XXVI.*

# AD LECTOREM.



AGNA plerumque ingenia, amaris ſtudiorum radicibus deguſtatis, momentanea duntaxat florum fragrantiæ fruitione refecta, tandem ſub ſpe ſuperuenturi fructus alta, defatiſcunt, & de ſe conceptas omnium expectationes, velint nolint fallere coguntur. Hoc idem, an SPIGELIO quoq; noſtro acciderit, ipſus coniicies. Nos aliud de eo nobis perſuadere; tum à recollecto, eius adhuc viui ingenii nullo non doctrinarum genere pollentis, vigore eximio, tum à geſtarum in medicina rerum dexteritate prudentiſſima, tum à manuſcriptorum ſuorum medicorum, indies magis magisque auctorum cumulo refertiſſimo, tum denique ab ipſo in fœlicioris ætatis annorum conſtantiam incidente obitu, proh dolor, præmaturo, prohibemur. De quibus omnibus & tibi fidem eò maiorem facturi, vt quædam operum poſthumorum primitiæ in conſpectum tuum prodirent, quantum quidem ob ſæpius diſtrahentia quarundam occupationum tædia licuit, allaborauimus, ita vt nunc lectionibus eius variis, viciſſatim publice habitis, compilatis, ac in vnum quaſi corpus redactis, hunc de Formato Fœtu librum, æri inciſis nouem figuris, ex aliis pluribus ab Excellentiſſimi Caſſerei Placentini Nepote olim emptis, ſelectis, illuſtrantes, pro conceſſo perfecerimus. Epiſtolarum verò anatomicarum bigam, tanquam fidum, de conatu in libr. de ſemitert. promiſſo in rem ipſam deducendo, teſtimonium laturam, coniunximus; At vltimum de Arthritide tractatum, vtpote à præmiſſorum materia non parum declinantem, quamuis occaſioni & loco commodiori præſeruare, officii noſtri fuiſſe non ignoremus; obſtitit tamen perpetuus plurimorum Auctori deuotorum ſtimulus, quem contra, ſine cauſa magis ponderoſa, pertinacius calcitrare, nefas eſſe duximus. Reliqua quæ ſuperſunt ſcripta chirurgica, cum longius ab ordine ac perfectione diſtent, & ingenio noſtro diſtricatiori, & ad eiuſmodi labores faciliori negotio expediendos, aptiori, reſeruauimus. Interim tibi de humani corporis fabrica LIBROS X. LXXIV. æri inſculptis figuris exornatos, quos iam pridem Iuueni Doctiſſimo D. Danieli Bucretio Sileſio, SPIGELIO plurimum olim dilecto, & cæteris ad hoc obeundum munus ab ipſo Auctore in teſtamento præpoſito, in ordinem typographis commodiorem redigendos elargiti ſumus, promittentes, enixeque rogantes, vt editis illis perfruens, edenda ea haud indignanter præſtoleris; vſque dum & iſtis & illis, potitus, aut de ſaniore in iudicando mente, aut de cenſura ex præmeditato colligenda admonearis. Quod vſque dum fiat, vnicum hic vltimum quod te velim, eſt, vt qua Auctoris, qua editoris candorem ac ſinceritatem intuitus, ſedulo cum Galeno recorderis, difficile eſſe hominem non quandoque labi. Vale.

 L.C.D.

# CARMEN IN OPVS CELEBERRIMVM DE FORMATO FOETV

Perillustris & Excellentissimi Viri

# D. ADRIANI SPIGELII,

*Quod*

Ponebat Andreas Locatel Goritiens. ex Foroiulio, Phil. & Med. Doct. Praeceptori & Promotori suo.



*Cciduo dum Phoebus equis se gurgite tingit*
*Littoris ambrosiam Nerei pascentibus herbam;*
*Arcanae mox stella ruit praenuntia matris*
*Hesperus, obtensaeq; cadunt de montibus umbrae:*
*Astrigeram indutus chlamydem tunc flagrat olympus,*
*Humanasq; micant rapientia sydera mentes.*
*At postquam Solis, meliori lumine lampas*
*Aequorea se tollit aqua prouecta corusca*
*Chrysolitho radiante rota, rutilante pyropo;*
*Protinus; umbrarum caeca ferrugine pulsa,*
*Et montes, & prata nouos dant picta colores,*
*Pallida, sed pulchrum, deponunt astra decorem:*
*Scilicet obfuscat luces, lux magna minores.*
*Sic, sua de Foetu dum spargit scripta per orbem*
*SPIGELVS, Sacrae, quem nutriuere Camoenae,*
*Pellit ab Anatome dubiae vestigia noctis,*
*Et simul obscurat veteres splendore Parentes,*
*Ceu Titan rebus lucem foeliciter addens:*
*Namq; Senum mentes (dictis ignosce Galene)*
*Increpat & viuis, audax rationibus infert;*
*Ergo, non tribuit duplex arteria vitam*
*A Matre infanti, sed dat puer ipse secundis.*
*Primus hic, exploso mundandi sanguinis usu,*
*Asseruit solum carnosam nectere molem*
*Matrici foetum, varias distinguere venas,*
*Et ne rumpantur pulpa fulcire tenella.*
*Hic primo expertus (spernens lenientia) lacte*
*Praecipit innocuè natos purgare pusillos.*
*Hic consistentes inter tenerosq; peritè*
*Nullius exemplo posuit discrimina, vt illis*
*Tutius auxilium praestet. Sunt deniq; cuncta,*

Quae

*Quæ niuens retulit, niueis signanda lapillis:*
*Huc igitur studiosa ætas, animosa iuuentus,*
*Huc ades, electamq; viri miraberis artem;*
*Naturæ nouisse cupis miracla; calenteis*
*Nominis igniculi tangunt, animumq; fatigat*
*Gloria?* Spigeli *solers peruolue volumen,*
*Pagina docta tibi pulchris miracla figuris*
*Conspicienda dabit, verboq; expressa venusto,*
*Et velut ex templo, plena speciosus honoris,*
*Optatos dextra profundet liber honores*
*Nec, nisi corda gerunt suadentia pectora falsi,*
*Anatomes post hac clare, mihi credite, quisquam*
*Inter fulgebit sublimia sydera, Phœbi*
*Huius inauratos qui subterfugerit ignes.*

Epigramma.

*NVnc voret Inuidiæ mœstus præcordia liuor,*
*Et grauidum pectus, felle madente fluat:*
*Filaq; lanificæ detondant falce sorores;*
*Eumenides rabie turgida corda gerant.*
*Perpetuum visura diem monumenta dedisti*
Spigeli, *inde tuum stat sine morte decus:*
*Nempe nouo fœtu æternos homo germinat annos;*
*Et tua, per Fœtum, fama perennis erit.*

In mortem eiusdem.

*DEsertum medica manu* Spigelvm,
*Languentem grauibus malis gementem,*
*Spirantem ad superos Virum fauores;*
*Parcarum metuit cohors timenda,*
*Non ausa est, digiti memor potentis,*
*Iam labens Lachesis secare stamen:*
*At serui, Omnipotens sui misertus,*
*E terris rapiens Polo dicauit,*
*Vt, qui sat minimo refulsit orbi,*
*Inter sydereas plagas locatus,*
*Nunc magno niteat micans Theatro.*

Præceptori meritissimo
Discipulus mœstissimus
idem qui s.

INDEX.

# INDEX CAPITVM HVIVS LIBRI.

## CAPITA PRIMÆ PARTIS, EXPLIcationem partium externarum ac propriarum fœtus continentis.


CAP. I. *DE diuisione partium fœtus.* 3
II. *De partibus externis propriis seu secundinis.* ibid.
III. *De Placenta, & cotyledonibus.* 4
IV. *De membranis fœtum inuoluentibus, & primo de chorio.* 7
V. *De allantoide.* 8
VI. *De amnio membrana.* 10
VII. *De sudore in amnio contento.* 11
VIII. *De cutis sordibus.* ibid.
IX. *De vmbilico seu vasis vmbilicalibus.* 12
X. *De præcisione vmbilici.* 16


## CAPITA SECVNDÆ PARTIS EXplicationem partium internarum & propriarum fœtus prosequentis.


I. *DE vasis vmbilicalibus.* 18
II. *De structura vasorum thoracis in fœtu.* 23
III. *De excrementis fœtus internis.* 25
*Tabularum incipit explanatio.* 30


## CAPITA TERTIÆ PARTIS PARtium communium tractationem absoluentis.


I. *DE partium communium diuisione.* 48
II. *De Cute.* ibid.
III. *De mammillis.* 49
IV. *De oculis.* 50
V. *De cæteris partibus compositis internis.* ibid.
VI. *De ossibus.* 53
VII. *De partus tempore, modo & causa.* 62


DE



# DE FORMATO FOETV PRÆFATIO AVTHORIS.

*QVi humani fœtus Anatomen hactenus administrarunt, aut de eodem commentarios posteris in lucem protulerunt; tantum eas ferè partes, quarum beneficio fœtus in vtero augetur, atque nutritur, quæque à partu maiore iam reddito homine obliterantur, aut vix amplius comparent, examinandas sibi proposuerunt; cum tamen aliæ sint in fœtu partes, ex quibus eius corpus componitur plurimæ, quæ, si quo tempore ex vtero egreditur fœtus, cum illis partibus, quæ in perfectis hominibus, natuque grandioribus visuntur, comparentur, multum discriminis habere cernentur, quæque in tanta varietate morborum, quibus infantes, & pueri obnoxii sunt in tanto variarum corporis actionum discrimine, quod in primis ætatibus annisque teneris obseruare licet, non minùs deberent inspici, quàm quæ illico post natiuitatem, ob vsus vel actionis interitum auferuntur, & obliterantur. Bonus Agricola, bonusque colonus non solum tritici granum, quî prima germina radicesque tenellas ad sui nutritionem, postquam terræ iniectum est, edat, scire cupit, aut quomodo & quando ad spicas proueniat; Verùm etiam vt à primo germine in terra mutetur, vt producat calamos, antequam spicas proferat, ad irrigandos commodo tempore agros, siccitates comparandas, nebulas arcendas, quo frumentum habitius & copiosius futuræ messi alat, ac nutriat: sic egregii & prudentis medici est, ac naturalis scientiæ cupidi præter illas partes, quibus fœtui alimentum à matre suppeditatur, etiam alias diligentiùs intueri, quæ aliter se habent, ac in perfecto homine, natuque grandiore videntur, & nos ad necessariam cognitionem infantis naturæ perquam admirabilis deducere possunt,*

Vtilitas libri.

*vt homines in hac tenella ætate constitutos à consuetis morbis, quàm maximè fieri potest tueamur, sanumque corpus, atque decorum alamus iuuentuti. Quocirca omnes fœtus partes considerabimus. Primò autem eas per quas fœtus in vtero augetur atque nutritur. Secundò illas, per quas iam ex vtero in lucem maturè egressi infantis & pueri naturam induit, vt plurimarum mutationum causam, quibus in primis ætatibus homo variat, penè omnes corporis actiones, pernoscere queamus. Quoad ordinem sciendum est, me potius elegisse eum, quem nonnulli Anatomici obseruarunt, licet minus philosophiæ legibus consentaneum, quàm eum qui à Clarissimo viro Fabricio ab Aquapendente fuit obseruatus. Hic enim, & fœtus & alterius cuiuslibet organi humani corporis particulas singulas simpliciores per dissectionem examinans, figuram prius, connexionem, situm, numerum, & alia in partibus indaganda in conspectum profert, deinde artificiosa ratione ac methodo actiones totius organi declarans, mox vsum singularum organi partium, deinde connexionis, figuræ, situs, ac numeri causas subiungit. Sic Arist. in lib. de hist. animalium, naturam quomodo se in animalibus habeat, enarrauit; deinde in cæteris libris, de partibus animalium, motu, ac generatione, causas eorum, quæ seorsim in historiis enarrata sunt, diligenter & artificiose recensuit. At nos præsupponentes actionem fœtus in vtero esse nutritionem, & augmentum, ex vtero verò egressi perfectionem hominis, enarratis partium singularum historiis, statim de actione earum & vsu verba faciemus: sperantes sic, & breuitati & legentium vtilitati, & memoriæ consulturos.*

*Quid agendum in hoc libro.*

*Ordo.*

ADRIANI

# ADRIANI SPIGELII BRVXELLENSIS

## *DE*

# FORMATO FOETV LIBRI

## *PARS PRIMA*

## De partibus fœtus externis propriis.

### CAPVT I.

### *De partium in fœtu diuisione.*



Artes igitur in fœtu inſpiciendæ, aliæ propriæ ſunt, aliȩ communes. Voco partes fœtui proprias, quarum beneficio fœtus actio in vtero exercetur, quæq; poſt partum vel euaneſcunt, vel auferuntur, vel nullius ſunt vſus amplius. Communes verò dico, quas poſt partum infans habet, & quæ neutiquam abolentur; ſed grandiores fiunt, creſcente corpore, vel mutantur in ſubſtantia, & qualitate. Rurſus propriæ fœtus partes aliæ externæ ſunt, hoc eſt, extra fœtus corpus conſpicuæ, aliæ internæ, ſeu intra corpus poſitæ. Inter externas numerantur, carnea quædam moles, (quam recentiores placentam vocant) vaſa, membranæ, & excrementa; inter internas, vaſa & excrementa tantùm. Communes autem partes, tùm internas, tùm externas, in tertia parte conſiderabimus. *Diuiſio partium fœtus.* *Extra fœtum quæ partes, & quæ intra.*

### CAPVT II.

### *De partibus externis propriis, ſeu ſecundinis.*

ITaque ab externis partibus propriis exorſi, dicimus illis quatuor eumeratis, commune nomen à Græcis Latiniſque datum fuiſſe: etenim Græci eas appellant τὰ δεύτερα καὶ ὕστερα, Latini ad eorum imitationem ſecundas, & ſecundinas; quod in partu primò quidem fœtus, deinde verò hæ omnes partes excludantur, tanquam ſecunda vice. Dicuntur quoque à veteribus χώριον, & χώριμα, quod *Synonyma partium externarum.*

μα, quod sint instar spatii, & aluei, quo fœtus in vtero concluditur: verùm de hac voce plura, vbi de chorio membrana egero.

## CAPVT III.

### *De placenta, & Cotyledonibus.*

*Lib. de natura pueri. Lib. 2. de semine. Arist. 2. de generatione animalium.*

CArnea hæc moles ab Hipp. caro simpliciter nominatur, à recentioribus anatomicis placenta; quod postquam in lucem fœtus prodiit, vmbilico annexa id edulii genus referat, quod vulgus placentam vocat. Obstetricibus nonnullis hodie quoque dicitur secundina, quod hæc caro vmbilico annexa & chorio, secundarum maximam partem constituat. Constat etiam apud Galenum veteres quosdam cotyledonas seu acetabula appellasse, visumque nonnullis posterioribus fuit, apud Aristotelem nil aliud per cotyledonas intelligi: vbi inquit animalia vtrinque dentata, quæ loco vnius magnæ venæ per vterum dispersæ multas venulas habent ac frequentes, etiam habere in vtero vocatas cotyledonas, parte conuexa ad vterum, caua verò fœtum versus positas; has vbi fœtus accrescit atque perficitur; minores reddi: obliterari verò, vbi iam perfectus est fœtus, atque in ea, veluti mamma, reponi alimentum à natura sanguineum pro fœtu, & hoc alimentum, paulatim ex multis collectum quasi tuberculum, vel φλεγμασίαν euadere, & sic fieri corpus acetabulorum; Sed ex hoc Aristotelis loco non intelligo cotyledonas eum appellasse hanc carnem, vel eas caruncul as, quas in ouillo fœtu, & vaccino

*Libr. 15. 4.* obseruare semper licet, quasque Galenus agnouit indignas cotyledonis nomine, dum eas, in libr. de vsu partium, nominat carnes viscosas, veluti pinguedinem quandam; sed capita extrema venarum vteri, per quæ fœtus in vtero alimentum sanguineum capere solet, mulieribusque singulis mensibus sanguis expurgari consueuit, hæc enim vasorum oscula intumescunt vbi fœtus in vtero alimentum capere incipit, augescente fœtu augentur, maturescente verò, paulatim abolentur, quod huic carneæ moli non ita accidit, neque enim euanescit, cum insigni hac mole carnea substantia trahatur ex vtero post partum vnà cum secundinis. Et quamquam in ouillo fœtu hæc eadem caro cauitatem aliquam habere videatur, qua fœtum respicit, conuexam verò quà vtero connectitur; attamen in aliis animalibus grauidis hæc, huius carnis figura non ita apparet; vaccinus enim fœtus adhæret vtero caruncul is multis, quæ fungos figurant (quos sponzolos vulgus hic Patauii vocat) quæ non habent partem concauam, quemadmodum ea, quæ cotyledonis nomine digna sunt. Nam κοτυλεδῶνας Græci nuncuparunt cuidam mensuræ generi insigni cauitate prædito similes, quod & cotylam, & ὀξύβαφον nominabant, Romani aceta-

acetabulum, vt herbam in calidarum regionum muris nascentem quam Romæ vmbilicum Veneris vocant; similiter coxendicis cauitatem in humanis ossibus, cui caput femoris inseritur; præterea cauitates quasdam in polyporum cirrhis seu brachiis, quibus validissimè corpus quodcumque obuium amplexantur, ac sugunt. His igitur cùm vasorum vteri oscilla, in quibusdam domesticis quadrupedibus, maximè similia sint, vt oue, vacca, capra, quas antiquos & priores Anatomicos priusquam mulierem, inspexisse credibile est, quod ad cibum quotidie mactarentur, idcirco cotyledones, & acetabula vasorum vteri oscilla appellata sunt licenter etiam in muliebri vtero, etsi in hoc ora vasorum nullam cauitatem habeant; etenim interna vteri superficies in non grauidis mulieribus læuis & lubrica est, præterquam quo tempore menses fluunt, vel fœtum continet, & alere incipit, siquidem tunc asperior, & inæqualior ea fit parte, qua vtero carnea hæc substantia adhærescit, & hanc inæqualitatem tunc constituunt ora vasorum vteri, cum sanguine turgeant. Quocirca de capitibus vasorum vteri, non de carnea substantia, & Arist. & Hipp. loci sunt intelligendi, si aliquando cotyledonum vteri mentionem faciunt. Etenim Hipp. de mulieribus grauidis inquit: quæcunque mediocri corporis habitu præditæ, secundo aut tertio mense sine causa manifesta abortiunt, iis acetabula vteri plena mucoris sunt, neque præ pondere fœtum continere possunt, sed rumpuntur: docens enim Hipp. causam ob quam mulieres mediocris habitus secundo vel tertio mense absque febre, erysipelate, casu, percussione, saltu, vel alia euidenti causa abortiunt, ait id contingere propter fines venarum in vteri interna superficie infarctas vel obstructas pituitosa materia, quibus finibus, cum validè annecti nequeant extremitates venarum per placentam dispersarum euenit, vt pondere suo fœtus facilè fines vasorum vmbilicalium à suis cotyledonibus abrumpat, atque vna prohibetur, ne copia, & qualitate conueniens alimentum fœtui suppeditetur, præsertim grandiori, vnde necesse est, fieri abortum. Porrò caro huius placentæ lienis parenchymati prorsus similis esse videtur, mollis, rubra, ac nonnihil ad nigredinem vergens, innumeris referta venis & arteriolis, quæ postea per chorii substantiam disseminatæ, ramos grandiores constituunt, & in vmbilicalem venam, & arteriam migrant, harum venularum finibus in fundo vteri firmissima basi annectitur placenta, fœtusque à matre sibi sumit alimentum sanguineum; sed an arteriolarum oscula cum vteri arteriolarum osculis coniungantur, vt scripsit Galenus & alii post eum celebres Anatomici, ab Arantio, insigni olim Bononiæ Anatomico negatum est; Censet enim hic, findi tantùm per placentam, in minutissima filamenta: cui viro ego quoque assentior, sed de hoc plura cùm de vasis vmbilicalibus agam. Probabo enim sanguinem vitalem, & spiritum nequaquam fœtui

*Cotyledonum nomen vasorum vteri oscillis tributum, est licenter.*

*Sect. 5. aff. 45.*

*Qualis placentæ caro.*

*Libr. de formato fœtu.*

*Auctoris opinio de coniunctio-*

*ne vasorum fœtus cum vtero.*

tui à matre suppeditari, monstraboque postea vsum harum arteriolarum. Annectitur autem hæc caro, seu adnascitur internæ vteri superficiei, & primæ membranæ, seu primo inuolucro, quod dronum appellant nonnulli, neque vbique; sed modò in dextro, modò in sinistro latere, & in vtroque magis posterius, quàm anteriùs, vnde animaduertendum, an fœtui masculo hæreat in dextro, fœminæ in sinistro latere, iuxta Hipp. sententiam in aphorismis, vbi habet; fœtus, qui mares sunt, in dextris, &c. Cæterum in vsu huius placentæ non conuenio cum Arantio, assignat enim hic insignem actionem depurandi sanguinem, qui ad fœtum fertur; quæ sanè actio tàm longè ab hac carne abesse mihi videtur, quàm hic egregius vir à veritate. Duæ enim sunt rationes, quæ maximè contra hanc opinionem pugnant, & prima est; quod si actionem depurandi sanguinem hæc caro obtinuisset, cùm tria à sanguine soleant plerumque segregari, bilis scilicet, pituita, atque serosus humor: quærendum est ab ipso, quemnam humorem putat ex tribus placentam euacuare: an, quia maximè videatur continere melancholicos humores, & substantia huius parenchymati lienis similis sit, vt superius dixi, melancholiam; at hæc in liene fœtus segregatur: an bilem, aut serosum humorem; at ille in folliculo fellis in fœtu depuratur, hic verò in renibus. Secunda ratio est, si sanguis crassus & fæculentus proprietate substantiæ segregaretur esset vtique necesse, vt in omnibus animalibus, quorum fœtus hanc carnem habent, hæc caro eiusdem esset coloris & substantiæ, cuius est ipse lien; sed in ouillo fœtu, hæc substantia multo est liene candidior, viscosior, & pinguior. Idcirco alium coactus sum inuenire vsum, adhibita prius distinctione nominis carnis, qua intelligimus totam massam carneā, prout est ex venis, arteriolis, & carneo parenchymate constituta, vel parenchyma tantùm, hoc est, carnem illam, quæ interiacet venulas, & arteriolas; dicimus itaque latè sumpto carnis nomine, naturam eam in humano fœtu, & aliorum quorundam animalium fabricasse ad firmiorem fœtus annexum cum vtero: parenchyma verò seu carnem, quæ interiacet vasa, ad commodiorem annexum, tutelam & diuisionem vasorum, itaque verus vsus est, vt sit radix fœtus, per quam sumit à matre alimentum, tutum conceptaculum, & veluti mesenterium alterum fœtus, quod à matrice tanquam terra trahit alimentum. Dicere tamen posset aliquis, equinus fœtus caret hac carne, & tamen firmiter annectitur vtero; respondeo alium esse vterum humanum, quàm equinum, caprinum, vel ouillum. Nam interna huius superficies non multis vasorum finibus in vnum locum congregatis, vt muliebris, caprillus, ouillus, & equinus præditus est; Sed grandiores per vterum dispersas, & rariores habet venas; prout igitur vasa in diuersis animalium vteris interius sunt constituta, pro eo etiam extremitates vasorum vmbilicalium fœtus erant constituendæ, vel simpliciores, & maiores, & sine

*Sect. 5. Aph. 51.*

*Arantii opinio de vsu placentæ proponitur & reiicitur.*

*Auctoris opinio de vsu placentæ.*

&c sine

& ſine carnis auxilio annectendæ, vel in multiplices ramulos findendæ, & carnis ope cum vtero copulandæ. Quoniam igitur vterus muliebris multis vaſorum finibus præditus eſt interiùs, annectitur fœtus humanus vtero, mediante hac placenta, cuius quidem tantùm venarum extremitates internæ vteri ſuperficiei alligantur; parenchyma verò multifidas extremitates venarum, & arteriarum fulcit, fouet, atque tuetur; quin etiam præſtat, vt venulæ rectâ ſuis omnibus finibus vaſorum vteri iungantur, vt rectà ferri ſanguis ad fœtum ab vtero ſemper queat: alioquin ſi vaſorum extremitates hac ſubſtantia carnea caruiſſent, in ſe ipſas concidiſſent, augeſcenteque, & vtero, & fœtu, periculum fuiſſet, ne tam exigui fines vaſorum dilacerarentur.

## CAPVT IV.

### *De membranis fœtum inuoluentibus & primo de Chorio.*

SEquuntur membranæ fœtum inuoluentes, quorum duæ fœtum inuoluunt, vt chorion, & amnion, vna verò partem fœtus tantùm tegere videtur, vt allantoides, poſt carnem chorion membrana conſpicitur, quàm Latini recentiores ſecundinam paſſim interpretantur. Sanè apud Hipp. lib. de morbis mulierum, & aliis in locis per chorion nil aliud qum τὸ ὕστερον, ſeu ſecundina intelligitur, poſtquam enim Hipp. docuiſſet, quomodo mulier, & à ſecundina deinceps liberari poſſit, & quid patiatur, vbi non ſtatim à partu exierit, ſubiungit: ſi mulieri chorion in vtero relictum fuerit, hoc ſic contingit, ſi per vim ruptus fuerit vmbilicus, aut mulier, quæ primò vmbilicum ſecat, priùs per imperitiam vmbilicum pueri ſecuerit, quam chorion ex vtero exierit, vterus ſurſum retrahat ὕστερον, id eſt, ſecundam, vtpotè lubricam, & diffuſam in ſe ipſo detinet. Idem Hipp. inquit in aph. vt ſecundæ procidant ſternutatorio appoſito, nares, & os comprime. ὕστερον vocabulo vſus eſt, & in epidemicis χωρίον κάτπαρσιν, ſiue purgationem fieri ſternutatorio naribus appoſito dicit, ex quibus patet χώρια, & ὕστερα vnum idemque eſſe, ac duplici ſignificatione accipi apud ſcriptores; vna pro ſecundis propriè dictis, hoc eſt omnibus partibus externis fœtus, altera verò, & propria, pro vna ex tribus membranis, quam nunc examinandam ſuſcepimus. Apud Ariſt. in lib. de generatione, à membranis, & ſecundis, videtur diſtincta vox chorii, dum chorion, & ὑμένες dicit inter fœtum, & vterum poſitam eſſe, quaſi per chorion intelligere velit maſſam carneam annexam cum ſua membrana chorion propriè dicta, multiſque venis & arteriis prędita: per membranas verò allantoidem, & amnion tunicas exangues, & ideò membranarum nomine dignas. Dicitur autem chorion hæc prima membrana, quoniam, teſte Hipp. per ipſam nutrimentum, & ſanguis χωρέει, id eſt permeat ad fœtum, vel vti putat Stephanus Athenienſis in commento ſuper libr. Gal. ad Glauconem, quia

*Sex. 5. aph. 45.*

*Libr. 2. Sex. 5.*

*Chorii nomen dupliciter accipitur.*

*Secundo 7.*

*Cur membrana hæc chorion vocetur.*

*Qualis Chorii substantia.* quia ad modum chori venæ & arteriæ in hac membrana congregentur, vel etiam, vt cæteris placuit Anatomicis, quod sit chorion, hoc est, exiguus locus, quo fœtus concluditur. Est autem membrana chorii crassa, alba, multis venarum & arteriarum ramis in placentam desinentibus in minimos surculos insignita, parte qua fœtum respicit interna lubrica, ac læuis: qua verò vterum spectat, & placentæ carneæ annectitur inæqualior. Vsus huius mẽbranæ est, vt non modo fœtum vndequaque tegat, ac velet; sed etiam vt radices venarum, & arteriarum, seu fines vasorum vmbilicalium tutò excipiat, ac liget, & propterea crassam & duplicem eam fecit summus rerum opifex. *Verus vsus Chorii.* Est etiam externa parte inæqualis, vt placentæ firmiùs connasceretur, & adhæreret; interna læuis, & lubrica, ne à subiectis membranis tenuissimis, separata sua asperitate quidpiam damni iis adferret. Tribuunt nonnulli alium chorio vsum, qui allantoidem in fœtu humano reperiri negant, nempe vrinam pueri supra amnion continendi, hoc est, inter id spacium, quod est inter chorion, & amnion: Scribit enim Rufus Ephesius per vrachum meatum vrinæ similem humorem transfundi.

## CAPVT V.

### *De Allantoide.*

*Cur allãtois vocetur hæc membrana.* ALlantois, chorio subiecta membrana, nomen suum apud Græcos accepit, quod ἀλλάντα imitetur sua figura, nam hac voce veteres, & farciminis quoddam genus, quod lucanicas vocat Apitius, & intestinum nominabant. De hac autem membrana primò quæritur, an in humano fœtu reperiatur: etenim *An reperiatur in humano fœtu.* negant contra Gal. & alios veteres doctissimi atque in anatomicis dissectionibus exercitatissimi viri, qui eam tantum in ouillo, vel vaccino, vel caprino fœtu obseruasse se dicunt, putant idcircò, veteres Anatomicos, horum animalium fœtum, pro humano nobis depinxisse, & merito quispiam poterit coniicere, veteres caprinum, vel ouillum, vel vaccinum, vel huius generis alterius animalis descripsisse, cum Theophilus in libr. de humani corporis fabrica, capite 19. docere vnumquemque volens partes, quæ ad fœtum spectant, & tres eius tunicas, iubet dissecandam artificiosè capram grauidam, & eam inspiciendam, sic Ætius tetrabil. 4. sermone 4. inquit, si quis diligentiùs speculari ea, quæ ad fœtum pertinent voluerit, capram aut vaccam, aut ceruam dissecare poterit. Horum igitur opinio, vti noua est, digna certè, quæ ad examen reuocetur, præsertim cum ad eam comprobandam nuper inuenerim insignem Rufi Ephesii au- *Rufi Ephesii opinio de allantoide.* toritatem; hic enim Gal. antiquior, & ab eodem aliquoties cum laude citatus, libr. 1. de partium appellationibus, capite vltimo, scribens de fœtus humani partibus, & maximè de membranis, chorii, & amnii tantùm meminit, & auto-

psia

psia sua declarat, vrinæ similem humorem in chorion transfundi, nulla facta allantoidis mentione. Reliqui porro omnes, qui hactenus floruerunt. allantoidem humano fœtui assignant, aut veterum opiniones, aut celebrium auctoritates secuti. Hac in tanta virorum clarorum dissensione, displicet me arbitrum factum esse, qui neque vt illi, in anatomicis dissectionibus consenuerim: tamen his ductus rationibus censeo, allantoidem in humano fœtu reperiri. Prima, in humano fœtu tanta est huius membranæ necessitas, quanta in fœtibus aliorum quadrupedum, non enim decebat tantum naturam vrinam à sudoribus segregare, ac in proprio loco, quod est inter chorion, & amnion collocare; sed & propria tunica, tanquam conceptaculo continere, ne inter spatium quod est inter chorion & amnion satis amplum, per ambitum fœtus, quemadmodum sudor, fluctuaret huc & illuc in omnem partem, præsertim cum exiguæ vrinæ tam amplum & spatiosum locum dare, non videatur conueniens naturæ. Altera ratio est, quod Andreas Vesalius conciuis meus, in commentariis anatomicis, vesicam quandam nobis depinxerit in humano fœtu, intestino similem, ex quo farcimina fiunt, inter chorion & amnion positam, qua vrina fœtus in vtero coasseruatur. Quod spectat igitur ad solutiones contrariarum rationum, & ad eam primo, qua dicunt allantoidem in dissectionibus non reperiri, admonendi sunt, se eam reperturos, si à placenta prius in grauida muliere dissectionem auspicentur eo modo, quo ipse Vesalius, aliter certè propter membranæ summam tenuitatem abrumpi statim hanc membranam leuissimo negotio contingit. Ruffi autem Ephesii autoritas quamquam apud me magni sit momenti; tamen tanti non est, vt Gal. autoritati in hac re sit anteponenda. Etsi enim Gal. nunquam grauidam secuerit, quod esset eius temporibus lege vetitum humana corpora dissecare; tamen multos insignes anatomicos, qui homines secuerant, vt Herophilum, secutus, quæ ipse ex anatome simiarum, & aliorum quadrupedum non est assecutus, ex aliis fide dignis in suos retulit commentarios: sæpe etiam optimis rationibus ac demonstrationibus ductus, quæ ipse in dissectionibus humani corporis inspicere non potuit, credidit, atque aliorum diligentiæ fidem præsupposuit, quemadmodum, quod allantois in humano fœtu reperiretur. Veteres ouillum, vel caprinum fœtum plerumque descripserunt, non quod mulierem grauidam numquam inspexerint; sed quod eam secandi non facilis erat occasio, quodque prisci Anatomici antequam fœtum humanum secuissent, in ouillo sese prius exercuerint, eiusque membranis ea indiderint nomina, quæ ipsis conuenire videbantur, vnde factum est, vt allantois membrana nomen suum acceperit à farciminis, vel intestini, ex quo farcimina fiebant, figura. Si enim allantois ouilla infletur, planè lucanica farcimina imitatur, at humani fœtus allantois, vesicam potius oblongam, quàm farcimen,

*Auctoris opinio de allantoide.*

*Modus inueniendi allantoidem in humano fœtu.*

men, vel oblongum inteſtinum refert, vt hac de cauſa lapſus Veſalius crediderit non huic veſicæ, ſed chorio cum carnea placenta inuerſo, ſic vt eam vndique complectatur, allantoidis nomen aſſignandum. Eſt autem allantois membrana tenuiſſima, alba, mollis, in homine veluti in ouillo fœtu, exiguis admodum venis, & arteriolis, ad nutrimentum, prædita, inter chorion & amnion media, ea tantùm parte tota concluſa, qua placenta cooperitur, connectitur cùm meatu vracho dicto, per quem, & veſica vrinam ſuſcipit; huiuſque munus eſt, vrinam fœtus à ſudore ſeparatam conſeruare.

*Qualis ſubſtantia allantoidis.*

*Situs & vſus allantoidis.*

## CAPVT VI.

### *De amnio membrana.*

*Cur membrana hæc amnios vocetur.*

VLtima tunica dicitur ab Empedocle, & cæteris poſterioribus Græcis ἄμνειος & ἄμνιον quaſi ἄμεινον ὑμὴν, id eſt, optima membrana, per metatheſin tranſpoſitis litteris. Interpretes apud Gal. amiculum interpretantur, cum Grammaticis pleriſque ἄμνιον ab ἄμνος nomen traxiſſe videatur quod agnum ſonat, quaſi diceres agninam membranam, vel quod vt hactenus multis viſum eſt, mollis & candida ſit, inſtar agni, vel vti ego interpretor, quod primi Anatomici agninum fœtum ſpectantes priuſquam humanum, agno proximam hanc membranam viderint, ac ipſum agnum per eam tranſlucentem, ſic vt nulla membrana circundatus eſſe videatur. Dicitur, & à nonnullis conceptus armatura, & fœtus veſtis, ab Arabibus Abigas. Eſt autem ſubſtantia huius læuis, alba, mollis, tenuis, tranſlucens, pauculis iiſque exiguis venis & arteriolis nutrita, totum fœtum vndiquaque veſtiens chorioque tantùm connata, facta non tantùm ad tutelam fœtus, more aliarum membranarum; ſed vt aquam clariorem vrina, atque ab ea ſeparatam recipiat, quæ aqua nil aliud eſt, quàm ſudor, quem dum in vtero hæret fœtus, continuo per cutis ſpiracula admodum patula, cutimq; tenellam, ob ſanguinem, quo alitur copioſo ſero abundantem, largè ſuppeditat. Hæc illa membrana eſt, cum qua ſi fortè contingat, vt fœtus humanus prodeat in lucem, maximè circa caput, vel aliam partem velatus, ſi mas ſit, galea, & helmus vocatur à germanis obſtetricibus, ſin fœmina, vitta, induſium, ſeu camiſia, vt Itali loquuntur: putant fœtum cum capite hoc inuolucro veſtito genitum, mira facturum, fortuna proſpera in vita vſurum, ſi eam comederit, vel ſecum portarit, ab armorum iniuriis tutum vbique fore: addita non ignobili ſuperſtitione, vel potius inſigni mendacio, vt ſi fortè ab obſtetricibus clanculum auferatur, magnis infortuniis, & miſerrima vita vſurum, quod, quam ſit ridiculũ credere ipſa anatome declarat. Sed quemadmodum nulla fabula, nulla ſuperſtitio, nullumq; mendacium adeſt, quod non priùs ex alicuius rei veritate originem

*Qualis ſit eius ſubſtantia.*

*Situs & vſus amnios.*

*Vnde orta mulierum.*

originem traxit; sic etiam puto nonnullos olim existimasse, velatos aliqua in parte pueros hac membrana longè magis miseram vitam traducturos, quam qui more cæterorum sine hoc velamine pariuntur, & rectè quidem: nam infantes cum amnio circa caput natos, puto sic nasci, vel propter robur membranæ, quam idcirco infans, dum præparat egressum ex vtero, perrumpere commodè & vndique non potest, vel propter fœtus imbecillitatem: qui se ab hoc inuolucro expedire probè non valeat. Noui aliquando Matronam in Belgio & nouercæ meæ propinquam, quæ omnes filios & filias cum galea, & vitta pepererat, singularique cura ac diligentia membranas asseruarat, ne ab obstetricibus auferrentur, sua omni prole, numquam pubertatis annum attingente, quod admodum debiles nascerentur orbatam. *Superstitio de amnio.*

## CAPVT VII.

### *De sudore in amnio contento.*

PОrrò aqua illa, quæ clara est atque limpida, & copiosa vndique fœtus corpus circumfluens, ac secundum, post vrinam in allantoidem contentam, excrementum, inter externas fœtus partes proprias, non spernendos habet vsus; huic etiam fœtus in vtero innatans, non leuior fit matri, vtpotè quæ & fœtum, & aquam gestare debet, sed minùs ponderis acetabulis, quibus fœtus placenta annectitur, præbet, dum suspensus est fœtus; deinde in mouendo se, & facilius mouetur, ac vertitur facilius ad os vteri in tempore partus cum capite, quod alioquin ad fundum vteri versum habet fœtus. Tertio facilior fœtui ex membranis exitus præbetur amplo spatio à corpore semotis, & humore quem cōtinent lubricis. Quartò ante partum, à ruptis membranis, fluente hoc humore per os & ceruicem vteri, cuncta loca irrigantur, ac lubrica fiunt, ad facilitandum exitum fœtus ex vtero. Cæterum sudorem ab vrina segregatum voluit natura, non permixtum, ne cuti tenellæ aliquod damnum vrinæ acrimonia inferret. *Sudoris vsus.* *Vrina cur à sudore separata.*

## CAPVT VIII.

### *De cutis sordibus.*

POst vrinam & sudorem sordes apparent, cuti corporis inhærentes, suntque tertium, & vltimum excrementum, glutinosum, crassumque, quod per cutis poros vnà cum sudoribus eductum, tamquam magis terrestre, cuti adhærescit: ita quoque cernimus, nobis sudantibus, crassiori excremento cuticulam oblinіri, deinde ab indusiis lineis abstergi. Putant recentiores vsum huius excrementi esse, vt huius obcrustatione cutis, ab acrimonia, quam sudor circumfluens longo tempore sibi nonnihil acquisiuit, vindicetur. Sed mihi adhuc *Recentiorum opinio de vsu sordium.*

 suc-

ſuccurrit alius longè excellentior, vt ſcilicet vitales ſpiritus poris cutis nonnihil occluſis ab hoc glutine conſeruentur, ne diffluant à magno calore, quem cogitur fœtus in vtero ſuſtinere; neue ſanguis qui in partibus exterioribus tenuior eſt, dimanet ichoroſus, propter poros fœtus multò patentiores iis, qui iam nati ſunt.

*Auctoris opinio de eorumdem vſu.*

## CAPVT IX.

### *De vmbilico ſeu vaſis vmbilicalibus.*

*Quæ partes vmbilicum conſtituant.*

NVnc inter partes externas agendum reſtat de iis vaſis, quæ vmbilicalia appellantur. Horum autem nomine intelligo id totum, quod ex media abdominis parte egreſſum, inteſtini formam adipiſcitur, neque aliud eſt, quàm quatuor vaſorum, duarum ſcilicet arteriarum, vnius venæ, & vrachi connexus, per membranam à chorio delatam, atque in formam funiculi ex multis funibus, vel cereæ candelæ ex multis paruis candelis contortos; & quia inteſtini effigiem refert, à multis obſtetricibus inteſtinum apud varios populos nominatur. Hipp. eoque poſteriores Ariſt. & Gal. proprio nomine hanc partem fœtus vmbilicum appellant. Ariſt. in 2. de generatione animalium, cum dixiſſet, nonnulla animalia rectà in vterum vmbilicum tamquam radicem dimittere, inquit ἔςι δὲ ὄμφαλος ἐν κελύφει φλέβες, eſt autem vmbilicus in putamine contentæ venæ, vt Gaza interpretatur per venas intelligit, & venas communes dictas, & arterias, per putamen ſeu κελύφος tegumentum membranoſum, quod alibi κελύφος δερματικὸν nominauit. Hæc obiter dicere volui, vt ſciatur, vmbilici vocem æquiuocam eſſe, & capi modò pro hoc inteſtino, ex vaſis quatuor conſtante, modò verò, & communiter pro medii abdominis ea cauitate, quæ poſt partum à reciſo, vel ſponte prolapſo vmbilico relinquitur in nobis per totum vitæ ſpatium. Apparent autem in vmbilico ex interuallis maculæ quædam nigræ, veluti murium ſtercora continentes, quæ fiunt à vena vnà cum arteriis & vracho contorta, ac circonuoluta, modoque exterius ſanguine atro, quem continet, trāſparente per membranam, modò à reliquis duobus vaſis occultata. Longus eſt tres circiter ſpithamas plus minusque, & craſſus digitum ferè, quando maturus eſt fœtus; & quoad ſitum, à placenta incipiens per mediam frontem paulatim pergit, circumflectendo ſe ad occiput, inde rurſus obliquè reductus, ad ſiniſtram ceruicis, & iuguli partem deorſum ſuper pectus progreditur, donec in mediam abdominis partem inſeratur. Nam ex ſurculis venarum & arteriarum, per placentam diſperſis in chorio membrana fiunt maiores rami, qui tandem in truncum coeuntes, in duas arterias exiguas, ſed vnam magnam venam & amplam, per totum vmbilicum capreolorum in morem conuoluti progrediuntur, vnà cum vracho ab allantoide orto, donec abdomen pertingant.

*Vmbilici vox æquiuoca.*

*Longitudo vmbilici & craſſities quanta.*

*Situs.*

Porrò

Porrò ſubſtantia venarũ & arteriarũ prorſus ſimilis eſt venis & arteriis per totũ corpus fœtus diſperſis; vrachi ſubſtãtia nõ eſt ſimilis poris veteribus, ſed membranoſa eſt, quæ ex veſica intrat in vmbilicũ, vbi paulò poſtquam trium circiter digitorum tranſuerſorum longitudine ſupra abdomen egreſſus finitur, & obliteratur in medio vmbilici: ex quo patet non eſſe verũ, vmbilicum ex vracho cõſtare, & vmbilici humani tria tantũ eſſe vaſa, duas arterias & vnam venam; vrachi verò poris vreteribus, per quæ vrina è renibus in veſicam colat. Herod. vel Auctor illius libri, qui Introductorius inſcribitur, in operibus Gal. c. 11. neruum ad compoſitionem vmbilici concurrere putat, his verbis interprete Andernaco. Ex venis vteri, quæ ſecundas implicant, binæ aliæ prodeuntes venæ, ab arteriis ibidem ſitis binæ arteriæ, & à neruis vnus neruus, mutuò in vnum congreſſa meatum, ὄρχον appellatum, abſoluunt, qui infantis vmbilico inſeritur, ex quo & enaſcitur, & ſuſpenſus eſt, ab vmbilico autem venæ ad iecoris portam ſanguinem ita fœtibus tranſmittunt. Arteriæ vero iuxta veſicam craſſiori arteriæ, neruus hic ſpinæ inſeritur. Hæc ille. Ex quibus colligere licet, non modo ex neruo vmbilicum componi externum, ſed etiam ὄρχον ab eodem vmbilicum hunc appellari. Cæterum quod vmbilicus neruum habeat, probari etiam ratione poteſt, ex veterum, & recentiorum monumentis deſumpta: videntur enim omnes Anatomici ſenſiſſe, vmbilicum ſenſu præditum eſſe. Ætius enim ad amputandum vmbilicum recens nati magis laudat ſcalpellum acutum, quàm aliam materiam arundineam, vel vitrorum, ne atteratur vmbilici pars puero annexa: deinde vetat cuminum præciſo vmbilico inſpergere, propter acrimoniam, contrà veterum nonnullorum conſuetudinem, quaſi vmbilicum ſentire putaret. Inter recentiores Paræus, & alii, qui curam infantis recens nati præſcripſerunt, præſecto vmbilico imponunt oleum, vel roſaceum, vel amygdalinum cum panno lineo, ad ſedationem doloris. Contrà Galen. aliter ſentit. Scribit enim nullum apparere neruum ex vtero in ſecundas prouenire, neque in ipſis ſecundis, neque in vmbilico, aut deforis intro ſubire, aut de interiori ſede extra prominere, quòd nulla omninò neceſſitas fuerit, vt origo neruorum concepti fœtus, veluti venarum, & arteriarum, matri coniungeretur. Et reuerà nullus neruus in vmbilico, aut ſecundinis apparet; ſed in vrachi medio, neruulus candidiſſimus, ab interna veſicæ membrana ortus (de quo fortè in libr. Introductorio facta eſt mentio) inuenitur: veruntamen etſi nerui aliquam formam induat, interna vrachi pars, neruus non eſt; cum neque vllam communionem connexionemque cum neruo habeat, neque vllo modo in ſpinalem medullam, ſed in fundum veſicæ inſeratur: ſed hæc neruo ſimilis vrachi pars, nil aliud eſt, quam pars vrachi interna, quæ vbi fœtus iam ex vtero egreſſus eſt, contrahitur veluti in nerueum funiculum, nullo per medium foramine præditum.

*Qualis vaſorum vmbilicalium ſubſtantia.*

*Vmbilicũ habere neruum probatur.*

*6. De decretis Hip. & Pla 6.*

*Vmbilicus non habet neruum.* tum. Sed quod hæc pars non ſentiat, patet, quoniam & vmbilicus non ſentit; neque enim erat conueniens, vt ſentiret. Primo, quia dum properat ad exitum fœtus, & poſt partum ab vmbilico dependens, huc & illuc mouetur, in hac circumagitatione diſtrahitur, contorquetur, ac diſtenditur vmbilicus. Itaque ſi ſentiret, doleret ob ſolutionem continui, ſi doleret, neutiquam ex matris vtero exiret; ſed quieſceret potius propter dolorem, quem ſibi parit ex diſtorſione vmbilici. Quocirca erat neceſſe, vt matri quidem in partu magnus dolor eſſet, fœtui vero nullus, aut minimus, quam fieri poterat. Exemplum habemus in iis, quæ ex ouo generantur; omnia enim, putamine rupto, exeunt ex ouo abſque dolore, at mater, quæ ouum parit, percipit dolores. Secundo probatur vmbilicum non ſentire, quod ab amputato vmbilico obſeruatum ſit, infantes non vagiiſſe; imo ego aliquoties vidi puellos poſt partum optimè ſe habentes, dum præcinderetur vmbilicus, neque poſt etiam per quadrantem horæ, non ſolum non ploraſſe, ſed nec os tantum aperuiſſe: vana igitur, & inepta hactenus medicorum eſt cautio, qua ad præcidendum vmbilicum eligunt ferrum potius, quam vel arundinem, vel lignum præacutum, vel aliud quidpiam ad ſecandum aptum, & à præciſo vmbilico ſelecta quædam medicamenta imponi, ad ſedandos cruciatus, iubent, cum ſi hæc pars vrachi neruoſa non ſentiat, cæteræ profecto, ex quibus vmbilicus conſtat, nullo modo ſenſum habeant, non vena, non arteria, non etiam membrana, quæ has inuoluit, cum hæc à chorio deducatur, quod, quàm ſit ſenſus expers, notant mulieres, quibus cum à partu ſecundæ extrahantur, nullus cruciatus excitatur. Quærit in problematibus Ariſtot. cur homini magnus ſit vmbilicus, (loquens de ea cauitate, quæ eſt veſtigium in media abdominis parte reſecti huius vmbilici,) cæteris vero animalibus exiguus, & non valde manifeſtus, putatque hoc contingere; quoniam vmbilicus in cæteris animalibus in directum tendat, & cum diu in vtero maneant, vmbilicus interprete Gaza areſcat ἀνάφαυνον, homo vero imperfectus prodeat cum humido, & ἄναιμος (ſanguinolento Gaza) exangui vmbilico, ſed vera ratio ex vmbilici anatome capitur. Eſt enim multo maior proportione conſiderata corporis humani fœtus, quam cæterorum animantium, propter amplitudinem vaſorum.

*Vana medicorum cautio dũ ſupra vmbilicum ſectum medicamenta imponunt.*

*Cur magnus hominis vmbilicus.*

*Vſus vmbilici multiplex.* Vſus huius vmbilici eſt multiplex; etenim per vmbilicum fœtus nutritur, atque ſuſpenditur, vt in omnem partem mouere ſe queat, vrinam in allantoidem reiicit ex veſica. Conuenit huic tanta longitudo ad commodiorem motum in vtero, egreſſumque ex vtero; etenim ſi breuiorem vmbilicum homini natura creaſſet, vna cum fœtu placenta & membranæ exire debuiſſent, quod partus facilitati obſtetiſſet, nunc vero tam longum vmbilicum natura fecit, vt prius fœtus totus exire poſſit abſque ſecundis, quæ etiam alia de cauſa debebant,

*Cur longus ſit vmbilicus.*

poſt

post egressum fœtus, vtero annecti, ne repentina dilaceratione, vel abstractione oscula venarum placentæ magnam copiam sanguinis funderent, cum vitæ infantis discrimine: & propterea tam longus est vmbilicus, vt puer ex vtero egressus nihilominus adhuc ipsi adhærere queat; confert etiam hæc longitudo ad commodam eductionem secundarum, in qua profecto insignis prudentia requiritur in obstetricibus. Inseritur autem vmbilicus in inferiorem partem totius corporis, hoc est in medium abdominis, non enim decebat puerum ex æquilibrio ab vmbilico dependere, sed superiores partes, vbi caput est, & thorax, ponderosiores habere ab vna parte, pedes vero, & mediam partem reliquam ventris ab altera; vt ex vmbilico suspensus partibus superioribus tempore partus in caput, versus vteri orificium facillimè volueretur: nam partus naturalis, tam homini, quàm cæteris animantibus fit in caput; contorquentur autem in vmbilico vasa in modum aciæ, vel chordæ ex funibus binis, vel pluribus constantis, non quia tanto longiora, & longiori mora sanguis præparatior ad fœtum prodiret, vt somniant Anatomici, sed quia vmbilicus erat circunducendus à parte dextra ad sinistram per frontem circa collum, donec ad abdomen perueniret, in qua circumuolutione, si rectà procederent vmbilici vasa, profecto compressa nimium fuissent, nec pertransire commodè, per arterias vitalis spiritus & calor, per venas sanguis, per vrachum vrina potuisset, quod per hanc vasorum tortuositatem mirabiliter euitauit natura. Adfert hæc tortuositas aliud quoque commodum in secando vmbilico, ne illico sanguis fluere possit à præsectione vmbilici cum vitæ discrimine: circumducitur vmbilicus à sinistro tempore in dextrum, per mediam frontem, vt caput totumque fœtum commodè sustineat, quod si fortè fortuna in partu ab hoc vmbilico per superiorem capitis partem, secundum naturæ leges, non benè expediat se fœtus; sed vmbilicus descendat, non solum periculosus & perdifficilis matri partus succedit, vt notauit etiam Hipp. sed etiam laqueatus prodit in lucem infans, & sic existimatur puerum miseram vitam traducturum, quorundam etiam experientia edoctorum iudicio, laqueo periturum: nodos præterea seu rugas putant nonnulli annotandas in vmbilico, dicunt enim mulieres multos parituras fore, si vmbilicus infantis, quem primo enixa est, multos nodos ostenderit, ac longo interuallo seiunctos per longa interualla partus prædicere, addentes mendacio mendacium, ruffos nodos masculos, albos vero fœmellas promittere, sterilemque fore in posterum mulierem, si fœtum peperit vmbilico connexum sine nodis, quorum vanitas satis declaratur iis fœtibus, qui iam prouectis ætate mulieribus vltimo pariuntur, nam & horum vmbilici quandoque magis, quàm priores, sunt nodosi.

*Insertio vmbilici.*

*Partus naturalis fit in caput.*

*Cur vasa in vmbilico contorqueantur.*

*In lib. de septimestri partu.*

*Vana superstitio de nodis vmbilici.*

CA-

## CAPVT X.

### *De præcisione vmbilici.*

HVic de vmbilico tractationi necesse est subiungam, quanta prudentia peritiaque in secando in partu vmbilico requiratur, quoniam in hoc obstetricum ars ferè præcipua versatur, cum nil vtilius aut curiosius hoc loco dici queat. Obstetrix vt prudenter secet vmbilicum obseruare debet, tempus, locum, modum, tùm quæ post sectionem peragenda sunt. Tempus est cum infans ex vtero egressus est, vel cum secundinis, vel absque iisdem: hodie solo ex vtero egresso sine secundis secari solet vmbilicus: at si fœtus benè valeat, ac robustus sit, quo facilior & fœlicior partus sequatur, melius erit ante præcisionem tentare, vt secundæ paulatim sequantur. Nam notatum est aliquoties, nasutis vetulis, postquam vmbilicum secuerant, casu reliquam partem vmbilici, quæ secundis adhuc in vtero adhærentibus annexa est, è manu excidisse, moxque in vterum retractam in mortis periculum maximum puerperas coniecisse. Danda igitur est diligenter opera, vt antè vmbilici sectionem secundæ quoque ex vtero eximantur hoc pacto, sternutatorio medicamento naribus priùs indito, nares, & os comprimenda, tùm obstetrix vmbilicum trahendo, secundas ex vtero eximat; sed in tractione seruandus modus, ne violenter fiat, ex violentia enim periculum instat, ne abrumpatur in vtero vmbilicus, cùm periculo puerperæ: nam abrumpitur facilè, cùm ex partibus admodum tenellis constet. Docet hunc trahendi modum, quem paucæ obstetrices, vel norunt, vel obseruant, optimè Hipp. dùm inquit. Si secundæ non facilè exciderint, sinendæ sunt maximè ad fœtum appendere, vt paulatim absque vlla violentia trahantur; mulierem in sella perforata collocabis, & fœtum super vtrem humore tepido plenum impones, vt mucrone tenuissimo conpunctus vter, sensim concidat, & vnà fœtum, & quæ ab eo dependent inuolucra, deorsum trahat. Hæc Hipp. Quòd si fœtui maturè ex vtero exeunti propter imbecillitatem, vel ægritudinem vitæ periculum immineat statim egresso, vmbilicus præcidendus est; secundis verò, vt excidant, deinceps prospiciendum, veluti à peritis præcipitur, ad coxam alligato vmbilico cum filo. Locus autem vbi amputandus est vmbilicus, is statuitur à veteribus (sine vllo sexus discrimine) vbi quatuor circiter digitos ab abdomine infantis emersit: sed ne quidpiam à mulierculis, & barbaris absque superstitione perageretur, sexus discrimen inuentum est; putant enim vulgò obstetrices longiorem partem vmbilici præfecti masculis relinquendam esse, vt longam ipsis pubertatis annis mentulam alant; fœminis verò breuiorem, vt angustum pudendum forment, verecundiores sint, ac minùs audaces, quasi verò eiusmodi pars vmbilici, quæ quarto, quinto, vel septimo die sponte sua decidit

*Quæ obseruanda in sectione vmbilici.*

*Tempus secandi vmbilicũ.*

*Quomodo secundæ eximantur.*

*In libr. de superfœtatione.*

*Hipp. modus in eximendis secundis.*

*Locus ad amputandum vmbilicum aptus.*

*Ætius lib. 4. cap. 3.*

*Vana superstitio in amputando vmbilico.*

ciditinfra vinculum, aliquid posset ad immutandos animi mores, vel membri alicuius conformationem, & augmentum; sed necesse est hanc rideam opinionem. Nam si in mulierum potestate esset, prima vmbilici cura, pudenda maiora vel minora effingere, profecto parturientes de obstetricibus iure merito conqueri deberent; quod in prima natiuitate iis magnam vmbilici partem non reliquerint, vt fœtus citius ex vtero exire possit.

*Modus amputandi vmbilicum.* Ad modum peritè secandi vmbilicum requiruntur, deligatio, instrumentum, & aliqua ante deligationem peragenda. Prius enim quam præscindatur, si puer debilis sit, ac penè mortuus edatur, sinistra manu tenendus est vmbilicus, & sanguis, qui è corpore fœtus per venam vmbilicalem refluere solet, & spiritus vitales, qui per arterias vmbilici è corpore fœtus effluere nituntur, reprimendi sunt paulatim rursus in corpus; sic enim statim infans, qui modo exanguis deficiebat, recreatur, vitæque restituitur. Sin vero robustus sit infans, qui prodit statim sinistra manu apprehendendus est vmbilicus; tum protinus deligandus, ne sanguis è corpore infantis in vmbilicum repat. Pro deligatione locus tutior est, spatium, quod extat duorum, vel trium digitorum transuersorum latitudine ab abdomine, seu principio ex exitu vmbilici. Nam si proximè vmbilico ligetur, periculum est, ne trahantur in consensum partes abdominis sentientes, & sic dolor excitetur, qui inscia matre vel nutrice causam præbere solet assidui ploratus; sed vltra terminum, quem præscripsimus ligare nil vetat, cum vmbilicus non sentiat, & tota hæc pars, quæ à præcisione relinquitur, paucis ab ortu diebus, sponte decidat. *Qualis deligatio sit facienda ante vmbilici præcisionem.* Deligatio facienda est quàm fortissima, duplicato, & triplicato filo serico, vel è lino, aut cannabe confecto, reiteratis etiam nodis, ne vinculum soluatur, vel relaxetur, tum demum supra vinculum vnius, vel alterius digiti transuersi spatio erit amputandus; alioquin si prope ligamentum amputetur, metuendum est, ne soluatur vinculum, antequam sua sponte vmbilicus emoriatur, & à corpore decidat, & sic, sanguine vitalique spiritu effuso ex arteriis, infans statim commoriatur. Cæterùm quo instrumento amputes, an scilicet cultro, an forfice, an arundine, vitro, vel alia materia, nil interest, cum non sentiat. A secto vmbilico denique imponendum est gossipium, qua parte vulnus est, pannisque lineis inuoluendus, ne sua frigiditate ventri obsit, donec spontè deciderit. Quærere quispiam posset, cur homini ante sectionem vmbilicus ligetur; cæteris vero animalibus non. Omnia enim vmbilicum cum suis secundinis post partum statim deuorant, his fere nullum videtur sequi incommodum, vel effusionis sanguinis, vel spirituum vitalium. *Cur soli homini ante amputationem ligetur vmbilicus.* Huius quæsiti duplex est apud me ratio, & prima, quoniam in vmbilico hominis vasa sunt maiora, & ampliora, præcipuè vena, quæ vnica est, per quæ vasa, & sanguis, & spiritus facilius fluere possunt. Deinde animalia, dum dentibus abscindunt,

dunt, à fœtu proximè abdomini eum auferunt, sic vt nulla pars de vmbilico extet, postea lambendo reducunt cutem vmbilici exortui circumfusam supra extremitates vasorum vmbilicalium, postea hæc cutis his vasorũ finibus connata & supernata, nodulum tantum in quibusdam quadrupedibus efficit, pro vestigio vmbilici, in aliis paruum signum, in nonnullis etiam haud conspicuum. Hinc patet vera ratio, cur homini vmbilicus magnus sit, cæteris verò animalibus exiguus, vel nullus, non ea, quam attulit nobis Arist. in problematibus. Sic ars, circa sectionem vmbilici, ab obstetricibus exerceri debet.

# PARS SECVNDA

## De partibus internis propriis.

### CAPVT I.

### *De vasis vmbilicalibus.*



Hactenus partes fœtus externas proprias examinauimus, nunc autem internarum, propriarumque explicationem aggredi superest. Hæ duæ tantum sunt, vasa scilicet, & excrementa: vasorum, alia in abdomine, & ventre inferiore continentur, vt vmbilicalia; alia vero in thorace, vt ramus exiguus, quo vena caua cum arteria venosa coniungitur, & arteria magna cum vena arteriosa. Vmbilicalia vasa ea dicuntur, quæ per vmbilicum ex chorio transgressa in ventris partes internas inseruntur, suntque tot numero, quot in vmbilico inueniri diximus: etenim vasa omnia quatuor, quæ per vmbilicum vnita progrediuntur, vbi abdomen intrarunt, finduntur singula, ac à se inuicem dissociantur, & diuersa loca suis finibus adeunt, quibus terminantur: quandoquidem vena peritoneo subtus per eius membranam annexa, paulatim sursum in iecoris partem, quæ leuiter in duas veluti partes diuisa est, (nonnulli Anatomici rimam iecoris vocant, homini propriam) in cauam iecoris vlterius penetrando, vbi caudex, seu truncus portæ à iecore surgit, bipartitur, ac in quendam venæ portæ ramum inseritur. Sic in canibus, & aliis quadrupedibus cernimus venam hanc vmbilicalem, ramum etiam ad mesenterii centrum, ac cum venæ portæ præcipuo trunco, per mesenterium disperso, coniungi. Similiter arteriæ vmbilicales abdomen ingressæ, vnà cum vracho pergunt peritoneo annexæ; sed & illæ à se inuicem disiunctæ ad vteri ac vesicæ latera feruntur, & in ramos arteriæ magnæ, ad crura descendentes, inseruntur, ea parte, qua per pubis ossium foramina transire incipiunt. Vrachus autem intermedius, peritoneo annexus, in fundum vesicæ termi-

*Venæ vmbilicalis insertio.*

*Arteriæ vmbilicalis insertio.*

*Vrachi insertio.*

terminatur. Omnia hæc vasa vmbilicalia interna, statim ac in lucem venit fœtus, in funiculos abeunt, ob vsus eorum maximi abolitionem. Etenim vena vmbilicalis destinata suscipiendo à matre sanguineo alimento, segregata carnea placenta, per cuius substantiam in venam vmbilicalem, per chorion & vmbilicum ducitur, inutilis est; similiter ablatis venis arteriæ vmbilicales inutiles sunt: vrachus quoque, qui à natura factus est, vt per eum ex vesica vrina in allantoidem transfluat, non amplius ex vesica suscipit vrinam, cum, allantoide priuatus, seorsim excrementum vesicæ, per aliam viam, nempe per pudendum, excernatur; neque enim est, quod refutem doctorum quorundam nuper inuentum, qui putant, fœtum, dum est in vtero, per pudendum mingere, propterea quod vrachum solidum, nec vllo foramine præditum conspici dicant, cum monstrare debuissent viam, per quam fœtus, vbi minxerit vrinam à sudoribus separatam in allantoidem, vel spatium, quod est inter chorion, & amnion trāsmittit; & rationem ob quam in cæteris quadrupedibus vrina segregetur, cū & eadem mingere per pudendum poterant, reddere. Porro vmbilicalis vena pertingit ad iecoris portā in cauam, vel ramum cauę, quod sanguis, qui fœtui à matre pro nutritione dabatur, alia egebat elaboratione, quam ea, quam à matre acceperat, & vt tenellæ partes cōmodius, & citius nutrirentur, erant segregandi serosi humores à renibus, biliosi à fellis folliculo, melācholici à liene; vnde clarum est non benè hactenus Anatomicos censuisse, matris sanguine dulcissimo peruiissimoque fœtum vti pro alimento, melius Gal. opinatum, sanguine, æque puro & impuro, nutriri fœtum; sed tenellum sanguine puriore ali, grandiorem iam, puro atq; impuro. Dixi superius arterias vmbilicales ablatis venis vmbilicalibus inutiles esse; necesse est, vt quibus rationibus à veterum, & recentiorum omniū sententia mouear, qua putarunt per vmbilicales arterias vitalē spiritum à matre fœtui subministrari, exactius ac dilucidius declarem; si prius huius antiquæ opinionis rationes protulerim. Nam Hipp. siue Auctor de natura pueri, dum inquit, fœtum per vmbilicum spirare, & alimētum augmentumq; capere, nil aliud intelligere videtur, quam quod per venas sanguis ad nutritionē, & arterias vmbilicales, (quas etiam sub communi venarum nomine complexus est) spiritus à matre ad cordis refrigerium, & alimentum vitalis caloris traducerentur: & paulo post in eodē lib. cum duplicem in semine ex quo formatur fœtus, statuat spiritū, internum seu connatum: & ingenitum externumque, quo ingenitus nutritur; ac externum dicat esse aerem, qui per vmbilicum attrahitur, frigidiorem paulo quam is, qui est internus; per aerem non intelligit eum, quem nos aspirando attrahimus, quippe qui ad fœtum tam crudus, veluti à nobis pulmonibus hauritur, peruenire non potest: sed à corde matris elaboratū, & per arterias matris ad vterum comportatū, & hinc per vmbilicū in omnes partes fœ-

*Fœtus in vtero non mingit.*

*1. de sympto. caus. 7.*

*Veterum & recentiorum opinio de vsu arteriarum vmbilicalium proponitur.*

*Hipp. auctoritates de vsu arteriarum vmbilicalium.*

*Gal. auctoritates de vsu arteriarum vmbilicalium.*

tus sursum. Gal. verò, paulo clarior, pluribus in locis vsum arteriarum vmbilicalium significauit, cum dicat, spiritum ad vitam per has fœtui dari, & quemadmodum per venas vmbilicales sanguinem, sic per arterias non spiritum modo, sed etiam vna cum eo subtiliorem, & calidiorem, quam is, qui [in] venis est, sanguinem accipere à matre, atque ex hoc omnium calidissimum viscus fabricari, nempe cor.

*Prima ratio pro Gal. de vsu arteriarum vmbilicalium.*

Præter has auctoritates non desunt quoque validissimæ rationes ad hoc probandum. Prima autem est. Si spiritus vitalis non procederet à matre ad cor fœtus, frustra factæ essent arteriæ vmbilicales, & earum coniunctio per anastomosim cum arteriis vteri: sed frustra non sunt factæ arteriæ vmbilicales, & earum anastomosis cum arteriis vteri; ergo vitalis spiritus procedit à matre ad fœtum. Maior probatur, quoniam ad nutriendum fœtum vena est sufficiens, & ideo cum non haberent vsum ferendi spiritum vitalem, essent superfluæ: minor patet è naturæ legibus, quæ, sicuti in necessariis non deficit, ita in superuacaneis non abundat.

*Secunda ratio.*

Secunda ratio. Cuicunque parti non suppeditatur materia, ad conficiendos spiritus vitales, in ea vitalis spiritus generari non potest; sed cordi fœtus non suppeditatur materia pro generando spiritu vitali; ergo spiritus vitalis in corde fœtus generari non potest, & per consequens, à matre procedit. Maior probatur: in corpore animato, aut in animali, in quo non fit respiratio externi aeris, in eorum corde vitalis spiritus generari non potest; sed in fœtu, in vtero existente, non fit respiratio externi aeris, ergo vitalis spiritus generari in eo non potest. Maior est manifesta, nam aer externus in animali, quod non respirat ad cordis sinistrum ventriculum peruenire non potest per venosam arteriam, vt sic, cum calore & sanguine permixtus, fiat vitalis spiritus.

*Tertia ratio.*

Tertia ratio. Si vitalis spiritus non procederet à matre, fœtus, ante debitum tempus pariendi ex vtero exemptus, adhuc viuere posset; sed viuere non potest, cum statim moriatur, ergo vitalis spiritus procedit à matre ad cor fœtus.

*Quarta ratio.*

Quarta ratio. Si in corde fœtus generaretur spiritus vitalis, arteriis & venis vmbilicalibus vinculo constrictis cor fœtus pulsu non destitueretur, sed arteriis & venis vinculo constrictis cor fœtus pulsu destituitur, ergo in corde fœtus non generatur spiritus vitalis, & sic eum à matre prouenire sequitur.

*Auctoris opinio de vsu arteriarum vmbilicalium argumentis probatur.*

Ego vero contra, vitales spiritus per arterias nequaquam à matre ad fœtus vitam transfundi existimo; sed potius à corde fœtus, ad propriarum partium externarum vitam, arteriis his immitti credo; quod multis argumentis probatur.

*Primũ argumentũ.*

Primo; si à matre vitalis spiritus cordi fœtus suggereretur per arterias vmbilici; cor fœtus non pulsaret, quia non generaretur in suo corde spiritus vitalis. At cor fœtus pulsare, & Gal. & Arist. auctoritate conuincitur, sensibusque demonstratur. Et profecto maiorem propositionem vsque adeo veram esse fatentur Anatomici, vt insignis

*In lib. de spiritu.*

inter

inter eos Andreas Laurentius assumtionem negarit; sed legat Gal. qui expresse dicit cor fœtus, quod arteriæ permeant, ob nimiam quandam caliditatem, quasi flammam quandam, assiduè non moueri, sed mutua reciprocatione. Vnde sequitur vitalem spiritum in corde fœtus fieri, eoque viuere omnes fœtus corporis partes, nequaquam vitam fœtui à matre traduci. Secundo. Vnde procedit vitalis facultas, inde quoque procedit spiritus vitalis; sed à corde fœtus procedit vitalis facultas, quæ fœtum gubernat; ergo vitalis spiritus à corde fœtus procedit. Maior est manifesta; causa enim proxima posita, effectus sequitur. Minor probatur Gal. auctoritate dicentis, quod fœtibus ex semine, non ex vulua facultatum ipsos gubernantium origo sit. Vitalis ergo facultas cordi fœtus innata est ex semine, non à vulua, hoc est, à matre in ipsum missa, statimque, ac formatus est fœtus insunt omnibus partibus facultates corpus fœtus gubernantes. Tertiò. Si à matre vitalis spiritus procederet per arterias vmbilicales, arteriis, quæ ad vmbilicum sunt, vinculo constrictis, omnes, quæ in chorio sunt arteriæ pulsu non destituerentur, sed tantum, quæ in cor fœtus ingrediuntur: sed omnes, quæ in chorio sunt, pulsu destituuntur, corde nihilominus pulsante, vt ex Gal. habetur. Ergo vitalis spiritus non procedit à matre per arterias vmbilici Quartò. Si à matre vitalis spiritus cordi fœtus suppeditaretur per arterias vmbilici, aliis quoque animalibus idem accideret, quæ arterias vmbilicales habent. Sed aliis animalibus idem non accidit: dum enim ex ouo generatur pullus, vitam non accipit à matre: sed à semine per incubationem formantur omnia pulli membra, statimque cor, quod palpitat, & vitales spiritus in se genitos, non modo per corpus pulli diffundit, sed etiam per partes externas, nempe vmbilicum. Quinto. Si à matre vitalis spiritus procederet per arterias vmbilici ad fœtum, mortua matre, non fieret partus Cæsareus, neque diutius quam mater, fœtus viueret. Sed mortua matre fit partus cæsareus, & diutius, quam mater viuit fœtus; ergo vitalis spiritus non procedit à matre per arterias ad cor fœtus. Minor probatur experientia; nonnulli enim post matris obitum extracti superuixerunt, & auctoritate Plinii in lib. 7. naturalium hist. cap. 9. cuius verba sunt hæc. Auspicatius enecata parente gignuntur: sicuti Scipio Africanus prior natus, primusque Cæsarum à cæso matris vtero dictus. Qua de causa, & cæsones appellati. Simili modo natus Manlius; qui Carthaginem cum exercitu intrauit. Ego etiam aliquoties ostendi publice fœtum agninum à matris vtero extractum per semihoram viuere. Denique fauet nobis auctoritas Aristot. qui tantum ad alendum fœtum in vtero factum esse vmbilicum scribit secundo de generatione animalium cap. 4. Alibi etiam dicit, alimentum fœtui contingere per vmbilicum eodem modo, quo plantis per radices, venas autem vmbilici esse tanquam radices, per quas alimentum haurit fœtus. Neque alibi fecit vm-

*1. De semine 8.*

*Secundum argumentum.*

*Lib. 15. de vsu part. 4*

*Tertium argumentum.*

*6. De plac. Hipp. & Plat. 6.*

*Quartum argumentum.*

*Quintum argumentum.*

quam mentionem spiritus, qui per vmbilicum ad vitam fœtui à matre datur.

*Responsio ad argumenta pro Gal. adducta.*

Reliquum est, vt ad argumenta pro Gal. adducta respondeam. Et ad primum dico; Arantium negasse hanc arteriarum vmbilicalium cum vteri arteriolis coniunctionem à Gal. propositam. At licet hoc concedatur, tamen non sequitur necessariò, quod hac de causa sit facta, vt spiritus vitalis à matre fœtui communicetur, cum ad firmiorem annexum fœtus cum vtero hanc arteriarum coniunctionem facere natura potuerit, & vt vitalis spiritus, à corde fœtus elaboratus, melius à matris vitali spiritu foueretur, tamquam debilior, ad partes placentæ extimæ calore sanguinem crassum per angustas venulas attractum impelleret, attenuaret, & ad fœtum per vmbilicum ferret.

*Ad primũ.*

Ad secundum argumentum accedo. Cuicunque parti non suppeditatur materia ad spiritum vitalem generandum, in ea quoque non potest elaborari. Sed cordi non suppeditatur spiritus vitalis materia. Falsum hoc; quia suppeditatur per venam vmbilicalem sanguis, qui sufficit ad spirituum vitalium generationem. Præterea probatio maioris propositionis est falsa, vbi non fit respiratio, ibi quoque non fit spiritus vitalis, exemplo eorum animalium, quæ non respirant. Nam dum in ouo pullus generatur, cordis officio, ac munere gubernatur, & perficitur, mediante sui cordis calore & spiritu, quousque partes vitales ita habeat perfectas, vt externo aere frui queat, vel debeat. Arist. quoque negat alimenti gratia fieri respirationem, ac si aleretur spiritu internus ignis, & respiranti quidem, tamquam super ignem accensum, fomitem adiici, alito autem igne fieri expirationem. Etenim inquit: oportebat in aliis animalibus hoc accidere, aut huic proportionale: nam omnia habent caliditatem vitalem, sed pisces aquam trahunt non aerem.

*Responsio ad secundum.*

*In lib. de resp. cap. 6.*

*Ad tertiũ.*

Ad tertium. Porro viuere fœtum extra vterum exemptum non posse, partim verum est, partim falsum: verum est, quia non viuit diu, sicuti homo maturè editus: falsum vero, quia diutius viuit, quam posset, si à matre vitam per arterias continuò transmissam haberet. Nam abortus per horas viuere obseruatum est: & sex, septem, atque octo menses in vtero portatos fœtus, quos matres maturius, ob aliquem errorem externum, erant enixæ, per septimanas, adhibito conuenienti fotu, & alimento, vitales fuisse. Deinde aliam ob causam accidere potest, vt fœtus à matrice exemptus viuere nequeat, quam ob vitalis spiritus matris priuationem: priuatur enim ab vtero separatus materno calore, qui fœtus omnem calorem in corde auget, sustinet ac sua qualitate fouet. Vnde fœtus dicitur à fouendo, non aliter quam is qui incubitu ouorum à volucribus matribus editur: quamquam enim pullus in ouo grandior sit, corque eius vitalem spiritum & calorem generet, perque corporis omnia membra diffundat, tamen nisi blando matris ac tepido calore foueatur, propter cordis & vitalis eius caloris imbecillitatem, & pororum corporis laxitatem,

*Fœtus vnde dictus.*

tem,

tem, statim rigens emoritur; quamobrem ne rigeant fœtus, maximè nuper nati, videmus matres frequenter apprimendo pectori eos fouere: pullos gallinarum sub alis matris, quò teneriores sunt, eo frequentius se condere materno tepore corpusculum conseruantes. Ad quartum. Quod vincto vmbilico cor fœtus pulsu destituatur fit, quia deest alimentum cordi, nempe sanguis, qui per venam vmbilicalem copiosissime in dextrum cordis sinum fluit per venam cauam, vt ex eo nutriatur, & vitales spiritus toto corpori conficiat. Vt igitur concludamus, credendum est contra omnium Anatomicorum hactenus receptam sententiam, arterias has vmbilicales factas esse, vt spiritus vitales à corde fœtus transmitti possint ad externas partes fœtus, nempe secundas, ad calorem vitalem illis partibus tribuendum, quo motum sanguinis per venam vmbilicalem, à matre in iecur fœtus transfluentis, acceleraret, prohiberet attenuando, ne concresceret, debitumque alimentum sic ad minimas quasque externarum partium particulas nutriendas peruaderet. Cæterum duas arterias vmbilicales natura fecit, & eas angustas; vnam vero venam satis amplam. Decebat enim copiosum & crassum alimentum, qualis est sanguis, per amplum locum vnitè pertransire; tenuis vero sanguis, & spiritus calidi, per exiguos & angustos canales, pertransire poterant. Sed & sollicita fuit de commodo & facili transitu sanguinis à matre ad fœtum, vt duabus arteriis venam amplecti voluerit, nullusque per chorion esset ramus, cui non arteriarum aliquis ramulus comes esset. Terminantur arteriæ vmbilicales in arterias ad crura descendentes, vel si mauis dicere, ex iis oriuntur, non autem ex corde, vel prope cor ex arteria magna, vt vena vmbilicalis propè iecur ex vena porta, quod partes externæ fœtus, vitali spiritu benè præparato, ac elaborato egebant, qui in arteriis remotioribus à corde solet contineri. Neq; prope cor ex arteria magna hos ramos prodire tutum erat, quod pertransire debuissent mesenterium, & intestina, quæ pulsum harum arteriarum, cibo flatibusque onusta, poterant intercipere. Neque decebat duos ramos vnitos semper prodire ex vnico loco, cum vnus ramus sufficere videbatur, si ex arteria magna originem traxisset; sed vt duo rami prodirent ex duobus locis distantibus.

*Responsio ad quartum.*

*Verus arteriarum vmbilicalium vsus secundum mentem Auctoris.*

*Cur vnica sit vmbilicalis vena, & duæ sint arteriæ.*

*Cur arteriæ vmbilicales non oriantur prope cor.*

## CAPVT II.

### *De structura vasorum Thoracis in fœtu.*

SEquuntur nunc vasa in thorace contenta circa cor, longe aliter constituta, quam in nobis aliquandiu natis. Etenim vena caua cum arteria venali coniungitur, & arteria magna cum vena arteriali; sed diuersa ratione. Nam vena caua cum arteria venosa contigua, rotundo, ac satis magno foramine, membrana

*Vasa thoracis in fœtu quomodo constituta.*

brana tenui, ac nonnihil pellucida sociatur: at arteria magna, quia paululum distabat à vena arteriali, vase arterioso, tanquam nouo ductu & canali, cum vena arteriali coniungitur oblique: quod in natis aliquandiu, & perfectis hominibus, non amplius conspicitur non sine miraculo, exsiccato nempe hoc nouo ductu, atque euanescente foramine, tanquam in natis iam non amplius necessario. Quippe cum pulmones fœtus in vtero nondum cordi inseruirent, ad refrigerium caloris per aerem externum, erat necesse illos copioso sanguine nutrire, & cum hunc sanguinem copiose per venam arterialem, subministrare non poterat, eum per foramen amplum ex vena caua in arteriam venalem refundit, occluso nonnihil foramine tenui membrana, ne quippiam, quod intrasset, statim à vicino motu cordis coactum fuisset regredi: deinde, vt edito iam in lucem fœtu hoc foramen facilius obturaretur, membrana tenui paulatim crassiore facta, & acquirente corpus arteriæ venalis. Similiter arteriam magnam cum vena arteriali per vasculum exiguum coniunxit, vt copiose sanguinem, & spiritum vitalem pulmonibus largiretur per venam arterialem. Quia vero pulmonum substantia non amplius, in iam natis copioso & crasso sanguine nutriebatur, propterea non adhuc opus fuit à partu, vt abundanter cor iis vitalem spiritum & sanguinem impartiretur. Imo cum pulmones essent in natis aeri excipiendo destinati, & propterea leues esse oporteret, ac substantia rariore, voluit natura à partu horum vasorum vsum, & structuram transmutare, & per venam arterialem, sanguinem paulo tenuiorem, quam qui in vena caua continetur (vtpotè nonnihil attenuatum in dextro cordis ventriculo) pulmonibus nutriendis præbere: per arteriam verò venalem, modicum spiritus vitalis, è sinistro sinu cordis, pulmonibus ad vitam impartiri.

*Cur pulmones fœtus copioso sanguine nutriantur.*

*Vsus diuersæ constitutionis vasorum in fœtu secundum Auctorem.*

*Pulmones in natis leues.*

Ex his igitur patet, explodendam esse Anatomicorum sententiam de vsu propaginis, qua arteria magna cum vena arteriosa communionem habet. Putant enim per hunc ductum cor refrigerari, atque à matre præberi sanguinem vitalem, & pulmonibus, & cordi fœtus, propterea, quod cum per arterias vmbilicales, longo ductu, per arteriam magnam in cor spiritus vitalis transire non poterat, ob ostiola circa basim cordis, initio magnæ arteriæ posita, ab his repulsus vitalis spiritus, per hunc ductum in venam arterialem, & dextrum cordis sinum, pulmonesque permeare cogatur. Sed quod fœtus neutiquam vitalem spiritum à matre hauriat, iam videor supra satis probasse. Ratio autem cur in hanc erroneam opinionem lapsi sint omnes, qui vsque adhuc fuerunt Anatomici, fuit administratio Anatomica fœtus formati; siquidem in hac viderunt prius eas partes, quibus vtero fœtus annectitur, & ex hac venas, & arterias vmbilicales fœtus abdomen penetrare, vnde sanè probabiliter admodum, & sanguinem, & vitalem spiritum à matre in fœtum transire sibi persuaserunt, at-

*Anatomicorum sententia de vsu diuersæ constitutionis vasorum in fœtu.*

*Vnde orta Anatomicorum sententia de vsu arteriarũ vmbilicaliũ.*

que ex hoc fundamento in assignandis vsibus horum vasorum errauerunt. Obseruaui quoque in corde, & aliud, nondum ab aliis animaduersum, nempe vtrumque cordis ventriculum habere parietem æqualis crassitudinis, cum in adultis sinister habeat crassiorem parietem dextro.

## CAPVT II.

### *De excrementis fœtus internis.*

EXcrementa hæc duorum sunt generum, alia solida, alia vero liquida, illa in intestinis crassioribus, hæc verò in tenuibus, & ventriculo conspiciuntur. Solida ac dura in crassis intestinis, Latinis papauer, & papauerculum dicuntur, Græcis μηκώνιον. Suntque viridia, vel (vt Arist. describit) valde nigra, ac picea, & colore sanguineo; liquidiora vero in ventriculo magis viscida, & alba; in intestinis viscida, & pallida; atque ad flauedinem magis crassitiemque vergentia, quo propinquius intestinis crassis in ileo consistunt; magis vero albida, quo viciniora sunt ventriculo. Notandum etiam est, quod intestinum ieiunum, quod in nobis est verè vacuum, in fœtu est excrementis plenum. Excernit hæc omnia excrementa infans recens natus, vel statim à partu, vel ad summum intra vnum diem naturalem, & prius papauerculum excernit, deinde vero reliqua, quæ in intestinis, & ventriculo continentur. Sed multo plura excernere ait Arist. quam corporis magnitudo postulat. Veteres quidam, cum viderent, post partum infantem hæc excrementa excernere vnà cum reliquiis vrinæ in vesica relictis, crediderunt puerum in vtero matris sugere, & per os alimentum capere, nescientes vndenam hæc excrementa prouenirent. Recentiores omnes, & inter hos Andreas Laurentius, impurioris, & crassioris sanguinis recrementa, quæ per splenicum, & mesentericum ramum à liene in intestina amandantur, ibiq; diutina mora & calore exsiccantur, esse putat. Alii vero à toto corpore per venas mesaraicas in intestina fluere credunt. Ego autem, quamquam à liene, & toto corpore mandari posse, per venas mesenterii in intestina, non negem; tamen existimo eiusmodi expurgationem crassioris, qualis in venis continetur, sanguinis non esse, dum adhuc in vtero est coarctatus fœtus in beneualente, qualem natura semper conatur facere, vel conuenientem vel necessariam, cum sic ad sanguinis per venas expurgationem ora vasorum non sine noxa fœtus aperiri deberent, & eius excrementa crassa cum tenuibus commodius magna ex parte per patulos poros cutis expellat. Ideo potius dico, hæc excrementa crassa, nempe papauer, generari à liquidioribus, in stomacho & intestinis tenuibus contentis, quæ partim sunt pituitosa, vt in ventriculo: partim biliosa, & pituitosa, vt in intestino ieiuno & ileo. Fluit autem hæc biliosa materia ex folliculo

*Fœtus excrementa quomodo vocentur.*

*Fœtus statim natus mul. a excrementa exc. rnit.*

*Cur veteres crediderunt fœtum in vtero per os nutriri.*

*Recentiorum opinio de generatione excrementorum fœtus.*

*Auctoris opinio de generatione excrementorum fœtus.*

fellis, cuius porus in intestinum duodenum inseritur, vt in natu grandioribus apertissimè conspicere licet: pituitosa verò à ventriculo; sed maximè à capite, quod neque per nares, neque per os, occlusis omnibus his meatibus, in vtero expurgari potest; hinc necesse est, vt per œsophagum in ventriculum dilabatur. Agnouit hanc capitis expurgationem ex veteribus, & recentioribus, quod equidem sciam, nullus, præter Hipp. vel eum Auctorem, qui de morbo sacro lib. conscripsit in operibus Hipp. Probans enim is in eo lib. epilepsiam fieri, fœtu adhuc in vtero existente inquit: Purgatur enim & florescit cerebrum, veluti etiam aliæ partes, priusquam in lucem edantur. In hac autem purgatione, si quidem probe ac moderatè purgatum fuerit, & neq; plus, neque minus quam oportet defluxerit, hic fœtus sanissimum caput habebit. Si autem amplior colliquatio à toto cerebro facta fuerit, morbosum caput augescens fœtus habebit; & sonitu plenum, & neque solem, neque frigus tolerabit. Si vero ab vna aliqua parte colliquatio contigerit, aut ab oculo, aut ab aure; aut vena aliqua simul gracilis facta fuerit, ille sic afficitur, qualiter sane colliquatio contigerit: si vero colliquatio non contingat, sed in cerebro spissetur ac cogatur; sic necesse est fœtus pituitosos esse. Et quibuscumque quidem pueris existentibus erumpunt vlcera in caput, & in aures, ac in reliquum corpus, & qui saliuosi fiunt ac mucosi, hi ipsi progressu ætatis facillimè degunt: hic enim abit ac purgatur pituita, quam in vtero purgari oportebat; & qui sic purgati fuerint, comitiali siue sacro morbo fere non apprehenduntur. Qui vero mundi sunt, & neque vlcus vllum, neque mucus, neque saliua vlla prodit, neque in vteris purgationem fecerunt, talibus periculum imminet, vt ab hoc morbo corripiantur. Hæc Hipp. Igitur pituita à capite deturbata in ventriculum, cum ea, quæ in ventriculo quoque est genita, tenuisque, in modum chyli semicocti descendens, cum bile permiscetur, ac si quid vtile sit, vel aptum alendo fœtui, id per venas mesaraicas rapitur in iecur, vt ex eo sanguis fiat; si quid inutile, per intestina tenuia prælabitur, in crassa relegatur, paulatimque exiccatum, quo intestinis crassis vicinius fit, crassius redditur, magisque durum ac viride; sic, vt iam tanquam excrementum in intestinis crassis consistens; prorsus durum reddatur, & ex viridi atrum, qui color ater hisce excrementis inditur, non quod sanguis sit crassus, & ater, qui in intestina fluit (vt hactenus crediderunt Anatomici) sed quia bilis flaua permista cum pituita crassioribus excrementis, longa mora in corpore infantis conclusa, à calore vritur & exsiccatur, & quia hæc bilis flaua viridis redditur & prassina minus à calore exusta, deinde magis adhuc, postea exsiccata, & combusta nigra euadat; idcirco excrementa tenuia, quæ in intestino ieiuno continentur magis sunt flaua, viridia vero & crassiora, quæ in ileo, nigra vero, quæ in colo, & recto. Atque interea dum in vtero est fœtus hæc excrementa non

*Caput fœtus in vtero expurgatur.*

*Hipp. Auctor. de purgatione capitis fœtus in vtero.*

*Vsus internorum excrementorum fœtus.*

non spernendum habent vsum. Nam prohibent, ne sibi inuicem adhærescant intestina, vel in se ipsa concidant, quod euenisset, si ea omni humore vacua esse voluisset Natura; sic igitur patula manent, & apta excipiendo cibo, postquam in lucem prodiit fœtus. Sed à liquidioribus excrementis aliud quoque præstatur. Nam pituita, quæ in ventriculo est, exercetur concoctrix, licet languida, ventriculi facultas, vt hanc in substantiam commutet, non quidem chylum vocatam, sed chylo analogam; quæ postea cum bile permista, ea parte liquidiori ac dulciori, quæ sanguini conficiendo idonea est, per intestina tenuia means, & per venas mesaraicas ad iecur rapta, in alimentum cedit. Sic neque ventriculus, neque intestina, neque venæ mesaraicæ à suo munere, dum in vtero est fœtus, ociari videntur; sed naturam iam à primordiis conceptus assuescere vnumquodque membrum, ad nutritionem, vel augmentum, fœtus propriæ actioni destinatum cernimus. Patet ex his optimè causa, cur puer statim à partu, vel spatio 24. horarum, excrementa varii coloris excernat, & prius nigra, picea, ac dura; deinde vero flaua, postea liquida, & magis lactea. Non enim à lacte, quod puer sugit, excrementa albicantia & flauedine permista excernuntur (vt putant multi,) sed quia talia in intestinis fœtus concludebantur. Obseruatione dignum est, quod notauit Aristo. plura excernere infantem recens natum, quam magnitudo corporis, vel proportio requirere videatur, hoc est, vti ego interpretor, quam intestina capere possunt. Hoc fit, quia multa pituita à capite in intestina dilabitur puero in lucem prodeunte, & multa quoque excrementa biliosa, concitatis in venis sanguinis humoribus, & expulsis per venas mesaraicas in intestina per modum criseos: quo motu non solum natura excernit superflua ad suscipiendum alimentum, sed patulas quoque reddit venas mesaraicas, vt per eas melius & copiosius trahatur alimentum ex intestinis in venas ad iecur. Hic non possum non mirari obstetricum, ne dicam medicorum negligentiam, qua hæc commemorata in ventriculo & intestinis puerorum recenter natorum excrementa expurganda putant vel pomo cum melle hausto (vt hic Patauii, & in aliis Italiæ locis) vel syrup. ros. ex rosis pallidis laxatiuo (vt in Gallia) vel alio quopiam laxante, ac detergente medicamento (vt in aliis locis.) Negligunt enim summam Naturæ prouidentiam, quæ in tam necessaria re, nascenti consulit puero sola medicina à matris papillis hausta, & gratiore, ac tutiore multo, quam quæ ab obstetrice solet præberi. Nam colostrum (lac est quod in vberibus puerperæ primis diebus à partu generatur) si statim natus sugat infans, commodius, & sine vlla noxa ab hisce excrementis purgabitur. Alimentum enim est medicamentosum, quod Natura ad eum finem produxit, vt modicè nutriendo leuiter pro infantis imbecillitate purget per aliquot dies. Si enim nos præbemus medicamentum, vel nimis debile, vel nimis validum esse

*7. Hist. cap. 10.*

*Puer post ortum cur tot excrementa excernat.*

*Infantes post ortum non sunt medicamentis purgandi.*

*Colostrum quid.*

poteſt, at Natura dat, quod viribus cõuenit. Prȩterea nos ſemel, aut bis illud exhibere poſſumus, at Natura, quod, per plures dies dari poteſt, ad corporis euacuationem & perfectionem largitur paulatim diminuendo vim purgandi, & ſuſcipiendo vim alendi. Nam falſo hactenus æſtimatum eſt ab omnibus, non eſſe primis diebus dandum puero hoc primum lac puerperæ, quod coloſtrum dicitur, reddere enim infantes ægros, in ventriculo ſpiſſari, ac coagulari, admiſtum cum prædictis hiſce excrementis corrumpi, ſuſcitare vapores ad caput aſcendentes, prauorum ſymptomatum auctores, nullius eſſe nutrimenti, vel praui, quod eas omnes notas non habeat, quas bono lacti Auctores adſcribunt, nimirum non ſit laudabilis conſiſtentiæ, colore album, odore ſuaue, ſapore dulce; ſed contra potius craſſum, flauum, ſapore minus ſuaue, aſpectu viroſum; cum videamus quotidiè alios pueros hoc primum lac ſugentes, nil pati; ſed ipſos purgare, vel aluum mouere; cumque ſciamus Naturam nil in nobis generaſſe, quod non cedat in noſtrum vſum. Quocirca monendæ ſunt obſtetrices, atque puerperæ, ne in poſterum, aut catulis coloſtrum proiiciant tanquam inutile, & noxium, vel à mulierculis, & aliis puellis tamdiu exſugi curent, donec bonum lac ad nutrimentum pueri procedat, cum hoc primum lac ſit ad totius corporis purgationem vtilius omnibus aliis, quæ poſſunt præberi, pueroque non conueniat ſtatim lac, quod optimè nutrit, dare, antequam coloſtro per aliquot dies ſit purgatus. Quod ſi contingat à partus primis diebus infantem non benè purgari, quod hic frequentiſſimè ſolet in Italia contingere, propterea, quia matres, cùm non lactent ſuos fœtus, nutrices accerſant, quæ iam per quatuor vel plures menſes lactarunt, nec à partu recens lac, & coloſtratum infanti præbere queant, contingit, vt valetudinarii magis educentur, & in febres longas facilius incidant, ac conuulſiones, aut abſceſſus frequentes, ita vt vno curato alius oboriatur: nam quo lac eſt vetuſtius eo fit magis diureticon, & magis nutriens & minus purgans, ita vt aluum infantis ſtipticam reddat. Itaque vt hoc caueatur, accerſitus ad tales infantes interrogare ſoleo, qualis ſit nutrix, quæ primum lactauerit, ſi aluum infans lubricam ſeruet necne; nam ſi ab initio vſus fuerit nutrice, quæ iam per medium annum, vel duos, aut tres menſes lactauerit, & aluuo ſit dura, etiamſi ſana ſit nutrix, iubeo mutari ipſam, & eligere, quæ recens lac habeat: vel ſi talis non fuerit ad manus, purganda nutrix, atq; etiam infans frequenter cum caſſia lacti commiſta.

*Primum puerperæ lac infantibus dandum.*

*Nota boni lactis.*

*Infantium medicina à matris vberibus ſumenda.*

*Quibus morbis obnoxii infantes qui non purgantur.*

TABV-

# TABVLARVM DE FORMATO FOETV EXPLANATIO

## TABVLÆ PRIMÆ.

*Figura hæc mulieris grauidæ, vterum communibus tegumentis ablatis, oſtendit.*

*AAAA. Tegumenta communia in abdomine decuſſatim diſſecta, & foras proiecta.*

*BBB. Vterus grauidæ, qui tunc temporis multum à membranoſa naturæ degenerat, & ſpongioſam quandam ſubſtantiam induit.*

*CC. Vaſa per vterum totum diſſeminata.*

*DD. Inteſtina, quæ vtero intumeſcenti nonnihil cedunt.*


Tab. I.
A
A
D
B
B
D
B
C
C
A
A

# TABVLÆ SECVNDÆ EXPLANATIO.

*HÆc tabula ſecunda fœminæ parturientis vterum offert, & fœtum exitum molientem ſub tunicis chorio & amnio demonſtrat.*

*AAAA. Membrana vteri foras reflexa.*

*BBB. Chorion tunica fœtui propria exterius, ſub qua fœtus hic obſcure apparet.*

*CC. Fœtus prout ad exitum diſponitur ſub chorio.*

Tab. III.



# TABVLÆ QVARTÆ EXPLANATIO.

*QVarta tabula ostendit puellum nudum, tunicis omnibus, tam proprijs, quam communibus diuisis.*

*AA. Chorii dissecti portiones à suo loco remotæ.*

*B. Amnii portio.*

*CC. Vteri dissecti membrana.*

*DD. Placenta, seu hepar vterinum, moles quædam carnea pluribus vasis donata, per quæ infans nutrimentum capit.*

*E. Diuaricatio vasorum, quæ hic vnum vinculum constituunt ad vmbilicalia vasa contegenda.*

*FF. Vinculum, per quod vasa vmbilicalia à placenta ad vmbilicum feruntur.*

*GG. Puelli perfecti, & partui proximi situs in vtero.*

*H. Insertio vasorum vmbilicalium in ipsum vmbilicum.*


Tab. II.
A
A
C
B
B
C
A
A

# TABVLÆ TERTIÆ EXPLICATIO.

*TErtia tabula, diffectis tunicis vteri, & chorio, puellum in eodem situ, amnio adhuc inuolutum, ostendit.*

*AA. Cutis exterior abdominis.*

*BBB. Vteri diffecti membrana.*

*CCCC. Membrana exterior fœtum inuoluens, diffecta, quæ Chorion dicitur.*

*DDD. Puellus amnio inuolutus exitum parans.*

Tab. V.

Fig: I.






Fig: II.



# TABVLÆ SEXTÆ
## EXPLANATIO.

*Exhibet hæc ſeptima figura vmbilicalia vaſa à chorii placenta liberata.*

*AAAA. Vaſorum vmbilicalium chorda, ſuo adhuc inuolucro, quod inteſtinum vocatur, excepta.*

*B. Initium diuiſionis vaſorum vmbilicalium in chorii carnem.*

*CC. Venæ vmbilicalis prima, ſed inſignis ramificatio.*

*DDDD. Horum ramorum venæ vmbilicalis anaſtomoſis inter ſeſe.*

*EE. Progreſſus reliqui trunci venæ vmbilicalis.*

*FFFFFF. Inſigniores rami venæ vmbilicalis.*

*GG. Truncus arteriarum vmbilicalium.*

*HHHHH. Rami arteriarum vmbilicalium.*

*IIII. Coniunctio venarum, & arteriarum vmbilicalium.*

*KKKKK. Vaſa vmbilicalia in minutiſſima filamenta diuiſa, & à carnea placenta liberata.*


Tab. IIII.
C
A
G
H
B
F
G
D
F
E
D
A
C

# TABVLÆ QVINTÆ EXPLICATIO.

*Figura prima continet chorii internam faciem, qua fœtum respicit, vnà cum amnio tunica.*

*AAAA. Chorion, hoc est, exterior fœtum inuoluens tunica, in modum crucis diuisa, vsque ad carneam suam placentam; est autem hæc eius superficies, quæ fœtum respicit.*

*BBB. Carnea placenta ipsa interiori quoque sui parte, vbi rami vasorum vmbilicalium magno numero conspiciuntur, & vbi vasa vmbilicalia ipsa emergunt.*

*CCC. Rami vasorum vmbilicalium per placentam errantes.*

*DDD. Vasa vmbilicalia sua membrana inclusa.*

*EEE. Altera membrana interior, amnios vocata.*

*Figura secunda repræsentat idem chorion extrinsecus, qua vterum respicit.*


*AAAA. Membranea pars chorii, ad carnem crucis modo itidem incisa.*

*BBBB. Placenta carnea, qua parte vtero connascitur: & obserues obiter eius inæqualitatem.*

*CC. Vasorum vmbilicalium extremæ radices, quæ cum vteri vasis vnitæ fœtui alimentum aduehunt.*

*DDD. Funiculus vasorum vmbilicalium, ex opposita interna parte chorii, vnde pronascitur eminens.*

Tab. VI.



# TABVLÆ SEPTIMÆ EXPLICATIO.

*Figura hæc octaua vasa vmbilicalia, & membranas, siue inuolucra fœtus explicat.*

*AAAA. Abdominis musculi, & peritoneum, ipsaque cutis crucis modo dissecta, & retrorsum flexa.*

*B. Hepar fœtus gibba sua parte prominens.*

*C. Vesica vrinaria.*

*D. Rima seu fissura hepatis, in quam vena vmbilicalis ingreditur.*

*E. Vena vmbilicalis ipsa.*

*FF. Duæ arteriæ vmbilicales deorsum ad iliacas arterias tendentes.*

*G. Vrachus ex vesicæ fundo prodiens.*

*H. Vasa vmbilicalia extra corpus fœtus existentia quomodo coniuncta sint.*

*I. Membrana, quæ vasa vmbilicalia extra ventrem inuoluit.*

*KKKK. Intestina fœtus.*

*LLL. Vasa vmbilicalia à chorio ad fœtum extensa, & in modum funis longa, ac intorta.*

*M. Locus vbi rami vasorum vmbilicalium in truncos collecti primum sunt.*

*NNNN. Ramus venæ vmbilicalis per carnosam placentam chorii sparsus.*

*OOOO. Ramus arteriæ vmbilicalis.*

*PPPPP. Coniunctio ipsius venæ & arteriæ vmbilicalis per placentam disseminatæ.*

*QQQQ. Extrema ora venarum, & arteriarum vmbilicalium desinentium in circumferentiam placentæ chorii.*

*RRR. Chorium.*

*aaaa. Vmbra, quam quatuor vasa vmbilicalia in altum eleuata in subiectis partibus efficiunt.*

Tab. VII.



# TABVLÆ OCTAVÆ EXPLANATIO.

*IN hac nona tabula videtur fœtus fœmineus, cuius abdomine pariter discisso vterus, diductisque cruribus & vulua, hymen apparet.*

*AAAA. Cutis, musculi abdominis, & peritonæum crucis modo dissecta & reflexa.*

*B. Cartilago Ensiformis.*

*C. Vena vmbilicalis abscissa.*

*DD. Gibba pars hepatis.*

*E. Rima in quam vmbilicalis vena se ingerit.*

*FFFF. Intestina.*

*G. Vteri fundus.*

*H. Vteri ceruix.*

*I. Vesica.*

*K. Vrachus.*

*L. Vmbilicus.*

*MM. Ligamenta superiora vteri coxis annexa.*

*NN. Arteriæ duæ vmbilicales ab vmbilico resectæ.*

*O. Clitoris.*


*PP. Labra pudendi.*

*Q. Hymen membrana transuerse vuluam occupans in medio perforata.*

*RR. Alæ seu pterygomata.*

*S. Foramen hymenis, per quod menstrua in adultis fluunt.*

Tab. VIII.



# TABVLÆ NONÆ EXPLANATIO.

*Figura hæc continet muliebria omnia genitalia in fœtu.*

*AAAA. Totum abdomen, hoc est quatuor tegumenta communia vna cũ musculis abdominis, & peritonæo crucis modo discissum, reflexũq.*

*B. Vena vmbilicalis.*

*CC. Rima hepatis quam vena vmbilicalis ingreditur.*

*DD. Sima pars hepatis.*

*E. Rima ad sima hepatis vsque pertingens.*

*F. Vesica fellis.*

*G. Dexter ren.*

*H. Ren sinister.*

*IIII. Vtriusque renis vreteres.*

*KK. Vena emulgens sinistra.*

*LL. Diuisio venæ emulgentis ante ingressum.*

*MM. Duæ venulæ, dextræ emulgentis venæ vicem in hoc corpore gerentes.*

*N. Arteria spermatica dextra.*

*O. Vena spermatica dextra.*

*QQQ. Truncus venæ cauæ.*

*RRR. Truncus arteriæ aortæ.*

*SS. Arteriæ iliacæ à quibus oriuntur arteriæ vmbilicales.*

*T. Alius ramus arteriæ aortæ.*

*V. Ramus arteriæ iliacæ ad vterum pergens.*

*XXXX. Arteriæ vmbilicales.*

*YY. Arteria spermatica sinistra.*

*Z. Vterus.*

*Vena sinistra spermatica cum arteria se iungens, & ad sinistrum testem descendens.*

*aa. Duo testes.*


*b. Ceruix vteri.*

*cc. Ligamenta vteri.*

*d. Vesica, & ex ea prodiens vrachus.*

*f. Rectum intestinum.*

*gg. Gibba pars hepatis.*




Tab. VIIII.



# PARS TERTIA

## De partibus communibus externis, & internis fœtus.

### CAPVT I.

*De partium communium diuisione.*

*Partium communium diuisio.*



ARTIBVS fœtus propriis diligenter consideratis succedunt communes inspiciendæ, hoc est, eæ, quas fœtus cum homine perfectiore, vel natu grandiore communes habet, sed aliter conformatas. Harum aliæ externæ, & similares sunt, vt cutis; compositæ, vt oculus, mammillæ: aliæ internæ, atque etiam eæ, vel simplices, vt ossa, cartilagines, membranæ ossibus annexæ; vel compositæ, vt iecur, cor, pulmo, intestinum cæcum, cerebrum, renes, vesica.

### CAPVT II.

*De Cute.*

*Cutis fœtus ab adultorum cute diuersa.*

CVtis inter externas primo inspicienda est, quod sit colore quam in perfectis rubicundior, substantia rarior, poris laxioribus, & tactu mollior. Etenim cuticula cuti superposita tenuissima est, & simplex, at in perfectis natuque grandioribus longè crassior, vt aliquando duplici tunica cõstare videatur, propter crassorum excrementorum copiam, quæ per poros cutis exhalant, & frigus ambientis, quo eiusdem pori constringuntur. At cutis fœtus laxior, rarior, ac rubicundior, tenuiorque est, quia continuo madore calido, seu sudoribus repentibus, in vtero proluitur vndique, perq; raros eius poros sanguis copiosus, ac rubicundior ad extremitates pororum permeare potest. Decebat autẽ eiusmodi cutem fœtui dare, vt corpus, quod excrementa primæ, secundæ, & tertiæ coctionis generat, viasque habet interclusas, (per quas hæc in nobis iam natis expurgari solent,) in vtero per cutis meatus, & tenue, & crassum excrementum è corpore amandaret. Ob talem cutis in fœtu constitutionem infantia propriis quibusdam morbis corripitur, vt aliquando aphthis, hoc est oris vlceribus, à lacte acri, vel materia biliosa tenellam cutem oris erodente, quorum vlcerum mentionem fecit Hipp. in aph. Sed sæpissimè intertriginibus, quorum mirum

*Cur tenuis in fœtu cutis.*

*Morbi puerorum.*

mirum est Hipp. in aph. mentionem non fecisse. Oriuntur autem intertrigines modo in inguinibus, & plicis femorum, modo sub axillis, modo in ceruice, & collo, rarius aliis in locis, quando Natura copiam materiæ biliosæ, quam per aliam viam, nempe per vrinam, & aluum expellere commodè non potest, ad glandulas sub axillis, vel inguine transmittit, vel ad collum ducit, vbi ob cutis tenuitatem facilè per poros laxiores expellit, non sine cuticulæ ablatione primum, deinde etiam vlcere, si negligenter infans à nutrice regatur. Veteres qui de regimine infantis scripserunt, atque etiam recentiores, siccis puluisculis, & adstringentibus eas curare suadent, nulla adhibita cautela, quæ mihi videtur summopere necessaria in infante educando ad sanitatem. Cum enim scirem Naturam per motum criseos huiusmodi intertriginem moliri, expulsa materia ad partem minus nobilem, curaui, docuique nutrices, ne inposterum intertrigines obortas statim curarent siccis adstringentibus, & repellentibus medicamentis, sed sinerent manare ichorem per paucos dies, donec cessare fluxio materiæ ichorosæ incipiat, intereaque prohiberent, ne nimio dolore infantes vexarentur, ac nimia acrimonia, & longo tempore vlcera profunda fierent, imposito cerato ex oleo, & cera simplici, vel ablutione frequenti aquæ tepidæ, vel linteis subtilibus madefactis in oleo lini, & impositis, quibus effeci, vt infantes, neque epilepsia, neque conuulsione, neque febribus acutissimis, neque vllis aliis grauioribus morbis fuerint vnquam correpti.

*Sect. 3. aph. 24.*

*Quomodo intertrigines curandæ.*

## CAPVT III.

### *De Mammillis.*

MAmmillæ quoque non sine ratione inspiciendæ sunt, tam in masculeo, quam in femineo fœtu: non enim figura, aut duritie, vel magnitudine differunt, sed venis, quas patentiores habent, virtuteque singulari, qua tertio, vel quarto die, postquam sugere inceperunt infantes, fundere videntur, quod hactenus à doctissimis naturæ indagatoribus omissum est. Huius rei ratio est, quod non in omnibus infantibus id apparet, sed tantum in iis, qui admodum obesi sunt, & sanguinei, cæteris vero macilentioribus, vel nil, vel paucum ex vberibus manet. At obesis in tanta copia fluit, vt pressis papillis non secus atque nutrices procul eiaculentur ipsum lac, ac quotiescumque conglobatum est, vel coagulatum in apostema tendat. Iure igitur inquirendum qua vi id contingat, an à mammis lac generandi virtutem habentibus, an lac iam recenter suctum ad mammas illico fluat, & per quos ductus, & in quem finem Natura lac in hac ætate generet. Sanè æstimandum est, lac nequaquam valde alteratum, mutatumque in sanguinem, ne copia sua aggrauet naturales corporis facultates

*Cur fœtus lac in mãmis habeat.*

per insensibiles meatus, cùm totum corpus sit perspirabile, & maxime infantis recens nati, propter laxitatem raritatemque partium, & venas patentiores, in mammillas propulsum fluere, vt copia nutrimenti liberetur, neque mammillas vim generandi lac habere, quoniam omnium infantium mammillis hæc vis innata esse deberet, at macilentiores nullum lac generant, quod sanguine, & nutrimento non abundent.

## CAPVT IV.

### *De Oculis.*

DE oculis infantium recens natorum quæritur, an distinctè videant à partu, quemadmodum nonnulla animalia distinctissimè, veluti agnus. Quod autem statim à partu videant, possumus experiri, si enim fœtui nuper nato ostendetur lumen, videbimus, quod habebit oculos in ipsum intentos, & sicuti mouetur lumen oculos quoque mouere videbimus. Signum satis manifestum, quod ipse videt. Sed vnum altero distinctiorem visum nancisci credendum est, propter oculorum variantem temperiem, omnesque confuse, ac veluti per nebulam cuncta intueri, quod imagines non bene discernantur propter humiditatem nimiam cerebri, nec bene recipiantur à pupilla propter summam oculorum, & præcipuè corneæ ac aliarum pupillam constituentium partium humiditatem, quæ cùm paulatim accrescente ætate mutetur ad temperamentum siccius, vel oculo perfecto magis proprium, in causa est, cur toties in infantia oculorum colores mutentur; & ex nigris flaui & cæsii fiant.

*Cur infantes distinctè videre non possint.*

## CAPVT V.

### *De cæteris partibus compositis internis.*

INter internas partes, compositæ prius occurrunt, atque inter has omnia ferè viscera; & cerebrum cum intestino cœco, quorum quædam magnitudine sola differunt, vt iecur, cor, & intestinum cæcum: quædam figura, vt renes: nonnulla vtroque modo, vt cerebrum, quod proportione corporis fœtus maius est, quam in adultis, & duos ventriculos priores patentiores habet. Cæterum quemadmodum Natura tres partes principes, cor, iecur, cerebrum maiores fecit in fœtu, quam proportione corporis adultorum, sic etiam voluit esse magis sollicita de iecore quam de aliis partibus. Quippe tam magnum iecur fœtui dare voluit, vt vtrumque hypochondrion sua mole occuparet. Nec immerito, quoniam non modo partes totum corpus gubernantes validas habere decebat, sed robustissimam, ac validissimam, maximamque eam partem, per

*Partes principes in fœtu magnæ.*

quam conueniebat, & cerebro, & cordi totique corpori alimentum præbere, idque longè celeriùs, & copiosius quam in adultis propter celerrimum, & maximè admirabile augmentum, quod non solum natura in fœtu adhuc in vtero contento machinatur, sed & infanti, statim ex vtero egresso. Videmus enim statim natum infantem in tantam molem statim excrescere, & augeri, vt paucorum mensium spatio fiat duplo grandior, quod non contingit in natu maioribus, minus in adultis, imo vnusquisque obseruare potest pueros, quo ortui sunt viciniores ætate, eo singulis annis grandiores euadere, vltra pueritiam progressos non ita valde, vti antea excrescere.

Cerebrum autem, & cor iecore minora sunt, quod iisdem iecur materiam quoque subministrare debeat copiosissimam, non ad augmentum nutrimentumque tantum, verum etiam ad animales, vitalesque spiritus generandos. Sed & cerebrum corde est maius, comparatis vtriusque partis magnitudinibus cum iis, quæ sunt in adultis, non quod fœtus copiosioribus spiritibus egeat, quam homo perfectior, sed quod cerebrum ex parte spermatica maximè conflетur, cuius copia in prima conformatione fœtus erat maxima, & hæc pars spermatica ad ampliandum se non multum admodum egeat alimento sanguineo. Habet præterea cerebrum ventriculos duos priores, qua parte nasum spectant ita patulos, vt ad foramina ethmoidea peruii sint, proculdubio ad purgandum cerebrum à pituitoso excremento per nares commodius, quod in humido cerebro copiosissimè in infantibus, & pueris generatur; & inde nobis innotescit ratio, cur nares infantium & puerorum plurimo semper muco stillent vsque ad octo, vel decem annos, raro autem plures. Nam & in plurimis pueris aliarum vero ætatum paucis, ventriculi cerebri versus nares ita sunt patuli. Patet & quod aliqui non facile purgentur per nares, cum iam adoleuerint, esse rationem posse, quòd nimis clausos habeant hosce meatus. Datum est etiam à Natura fœtui, propter cerebri magnitudinem caput magnum: hæcque magnitudo peculiarem vsum obtinet ad faciliorem exitum fœtus ex vtero. Nam cum hominis, veluti cæterorum animalium partus naturalis fiat in caput, decebat hominem grande caput habere, vt eius pondere, dum sudoribus vel aquæ innatat in vtero & se ad partum præparat, & circumuoluit, hæc pars prius cæteris ima peteret ad collum ceruicis, deinde egresso capite, & amplissima pro cæteris partibus reddita via, reliquum corpus facilius sequeretur. Aliis autem animalibus plurimis non contingit caput tam magnum quam homini, dum vtero geruntur, quod ea non vt homines conglobari in vtero gestentur, & capite ad fundum matricis sito, & remoto ab vteri ceruice, sed quod eorum caput prope vteri os positum sit, nec situs eorum ante partum, vt in homine transmutetur.

*Cur pueri muco abundent.*

*Capitis magnitudo quẽ habeat vsũ.*

*Pulmones fœtus rubicundi & ponderosi.* Pulmones rubicundi & ponderosi in fœtu sunt, propter alimentum, sanguinem nimirum crassum & copiosum, quem à vena caua per foramen in venali arteria ad nutriendos pulmones fundi diximus; in adultis vero leues, & subalbidi, quod occæcato horum vasorum foramine, paucus ac tenuis sanguis ad pulmones permeet, admirabili naturæ prouidentia, quę quo tempore quiescebant pulmones ab officio spiritum aeremve externum hauriendi, nutriri eos copiosiori & crasso alimento voluit; vbi vero iam ad respirationem destinati sunt in natis, vt facilior esset dilatatio atque constrictio, pulmonum substantiam grauem & densam in leuiorem paulatim transmutauit, & alimentum leuius, ac spirituosius ob eam ipsis subministrari voluit. Hanc igitur ob causam substantia pulmonum fœtus grauis, densa, rubraque, in leuem, raram, atque subalbidam natis iam transmutatur. Atque hic mirari nos summopere cum Galeno oportet Naturam, quod cum nos venam, vel arteriam aliquam magnam præcisam, aut maiori in parte amputatam numquam, aut vix vllis medicamentis glutinare possimus, quod sint spermaticæ partes, Natura trium, vel quatuor dierum spatio foramen, quod in vena caua est, & arteria venosa ita glutinet, vt primis quidem annis nil præterquam membrana, perfecto vero homine ne vestigium compareat. Sed arteriæ portionem, quæ arteriam magnam cum arteriali vena coniungit, ita obliterer, cum cæteræ partes nato homine augeantur, & crescant, vt prius quidem in funiculos mutetur, deinde, & hos quoque ne adesse quidem sinat.

*Renium figura qualis.* Renibus quoque fœtus peculiaris figura est, quam Bartholomæus Eustachius glandulosam, instar pineæ nucis ex pluribus glandulis conglobatam rectè obseruauit, Sic & vesica duplo maior in fœtu apparet, quam in adultis, in quibus contraria ratione ventriculus triplo minor: erat enim necesse, vt quæ pars copiosam humiditatem recipere debebat, amplius quoque spatium, in quo contineretur haberet. Cum autem fœtus nil per os humidi, quo ventriculum impleret, acciperet, copiam autem serosi humoris per venas vmbilicales vnà cum sanguine hauriret, eratque necesse hanc per renes in vesicam, & allantoidem deturbare, ideo voluit longe ampliorem vesicam stomacho esse. *Vesica, maior vētriculo in fœtu.*

Inter intestina nullum aliud dissimile in fœtu à natu maioribus reperitur nisi cæcum, est enim longè grandius quam in adultis, & eadem materia, quæ in ileo continetur repletum, ac idcirco circumplexans initium intestini coli. Et ratio magnitudinis est, quoniam fœtus in vtero conglobatus iacet, & pronus, ferè more quadrupedum & auium, quæ propterea cæcum intestinum amplum & longum adepta sunt, vt chylus, vel cibus, qui in intestinis tenuibus est, contineatur. *Intestinū cæcum in fœtu cur magnum.*

* * *

CA-

## CAPVT VI.

### *De Ossibus.*

OSsa autem recens nati quantopere ab adultorum ossibus varient, tum demum cognoscimus, cum ea cum adulti sceleto comparamus, & per singula membra. A capite igitur incipiamus, cuius ossa non modo figura, ac numero, & substantia, sed etiam connexione ab adultorum ossibus variant. Quippe connectuntur sibi mutuo fere cuncta, & vbique laxa quadam harmonia, quæ in adultis futura est, atq; in quibusdam locis extrema ossium se nullo modo tangunt, vt in adultis per suturam, sed mediante membrana sibi adhærent, vt in basi & vertice capitis apertissimè licet cernere. Quo enim loco sutura coronalis cum sagittali in adultis concurrunt, ossis vice, membrana quædam videtur forma triangulari, ob quam in infantibus recens natis motum cerebri super verticem percipimus, & oculis, & ad tactum, ideo hic locus à nonnullis palpitans vertex dictus est; ab Arist. ὄστον ὑστερογενὲς; id est os vltimo genitum, non enim antequam loqui puer incipit, hic locus osseus prorsus euadit. In Gallia vulgo dicitur la fontanelle. Notandus diligenter hic locus ab iis, qui medicam praxim exercent, quod quando infantes malo quodam corripiuntur, quod syriasim veteres dixere, Latini siderationem, quæ nil aliud est quam insignis cerebri, & meningium feruor cum febre continua ardenti; ad tantam caliditatem, & siccitatem cerebrum perueniat, vt teste Moschione, eiusmodi occipitium (ita enim appellat sinciput) cõcauum fiat. Nam cum in infantia sinciput non sit osseum, sed membranosum, non mirum est, quod ab insigni siccitate contractum cauitatem monstret. Sed ad ossa pergamus, ex quibus sese nobis offert frontis os non vnicum, vt in adultis, sed in duas partes fissum, dextram nimirum, & sinistram, quæ sibi inuicem annectuntur per rimam, seu harmoniam, quæ à media parte suturæ coronalis, qua cum sagittali iungitur, incipiens rectà per longitudinem faciei pergit ad narium radicem, qua frontis os terminatur. Sed & vlterius per nasi medium transiens ad extremitatem maxillæ superioris, ossa huius maxillæ diuidit in dextram, & sinistram partem, & tandem inferiorem quoque maxillam partitur in duas partes, quæ quidem harmonia vel fissura, tendente ad pubertatem homine, ita paulatim obliteratur, vt in adulto cranio non amplius compareat. Ossa autem sincipitis integra cernuntur, sed iuxta verticem, vbi membrana triangularis est, nonnihil sunt abbreuiata. In hisce ossibus nempe frontis & sincipitis, cum in adultis sanguine extra venas, inter pericraneum & duram meningem, ex contusione vel lapsu fluente, celebris fit chirurgia, qua, trepano dicto instrumento, perforatur cranium, vt sanguini ex propriis conceptaculis fluxo detur exitus, notare debent chirurgi,

*Capitis ossa in fœtu quomodo coniungantur.*

*Os vltimo genitum.*

*Infantes trepano tractari non d bēt.* ne vel infantibus vel pueris tale remedii genus adhibeant: periculosum enim, propter ossium tenuitatem: nec necessarium, quoniam Natura sanguinem extra venas effusum inter cranium, & duram matrem (nisi copia summopere abundet) per laxa spatia, quæ ossium coagmentationibus intercedunt, ossium cranii rimas ac meatus, porosque patulos cutis facile discutiat, quodque ex lapsu difficillime patiantur infantes vasorum ruptionem, propter cerebri & ossium mollitiem, quæ ictui facilè cedit. Os occipitis, quod in adulto vnicum est, in infante nuper nato & fœtu ex quatuor partibus constat, quarum pars maxima triangularis est; vbi enim lambdoides sutura in adultis fines habet duorum veluti crurum, & additamenta incipiunt suturæ lambdoidis rima per transuersum ab vna cruris suturæ huius extremitate ad alteram, eaque admodum laxa circumscribitur, & à reliquis tribus ossibus segregatur, quorum duo capitula occipitii continēt, quas κορώνας Gal. appellauit, quibus primæ ceruicis vertebræ annectuntur, tertium verò, seu quarta pars occipitis est, quæ veluti additamentum sphenoidii ossi annectitur.

*Cur sutura lambdoides sit varia.* Hæc occipitis ossis in infantibus in multas partes diuisio efficit, vt crescente homine, atque vnico facto osse occipitis, vt plurimum, in nonnullis tamen subiectis ex pluribus quam vno osse os occipitis constare videatur, & suturam lambdoidem plurimum variare, ita vt consueto termino relicto, interdum per os occipitis excurrat, & peculiaribus suturis in nonnullas partes occipitis quoque os dirimat, ac si ex pluribus quam vno osse constaret. *Pueri statim nati cur caput erigere nequeant.* Eadem hæc ossium in infantibus constitutio satis manifestat causam, ob quam pueri post partum per aliquot menses caput erigere nequeant, etiamsi habeant omnes illos musculos, quibus caput flectitur, & extenditur, ac circumagitur, omnes namque hi musculi annectuntur ossibus, quæ nondum sunt firmata. Ossa temporum in duas partes diuisa sunt, maior pars processum illum continet, qui alteram partem ossis iugalis constituit, & squamosis suturis, vel conglutinationibus, ossibus vtrinque sphenoidi & sincipitis committuntur. Ideoque squamosum os ea pars dicitur, & separatur per harmoniam ab osse petroso, quæ minor est pars ossium temporum. Vbi quoque obseruandum est intra caluariam os squamosum processum habere, quem temporum quartum nonnulli ex ordine enumerant, facilè, imo tantum cultri acie à suo osse, cui adhæret, separabilem, cuius diuisionis rudimentum etiam in adultis sæpe apparet. *Meatus auditorius in fœtu cartilagineus.* Cæterum minor pars ossis temporum, quod petrosum appellari diximus, meatum habet auditorium in fœtu prorsus cartilagineum, osseum circulum intus habentem, cui tympanum alligatur, insuper & ossicula, stapedem, malleum & incudem, siccissima, ac duritie & magnitudine pari, vt in adultis; verum mammillari processu atque styloide prorsus destituitur. Os ethmoides carti-

cartilagineum quoq; eſt, in cuius medio, quod criſtatum eſt, prius oſſeum fieri à curioſis Anatomicis fuit obſeruatum. Præclara quoque eſt ea obſeruatio, quam Fallopius de ſphenoide oſſe fœtus ſcribit, quæ ab aliis Anatomicis omiſſa eſt. Conſtare namque dicit hoc os ex quatuor partibus, atque eas ſenſim breui ita connaſci, vt poſt ſeptimum ab ortu menſem vix diſtinctè appareant. Prima pars huius oſſis eſt, quæ ſellam equinam dictam continet, ſecunda pars, quæ primæ copioſa cartilagine copulatur, ea eſt, cui viſorii nerui ſimul copulati primo adhærent, atque diſiuncti, dum oculos petunt foramina inurunt, alasque geminas poſſident, dextram & ſiniſtram rimam efficientes, quæ maximè in intima oculi cauitate apparent, & tranſitum ſecundæ neruorum coniugationi, dum oculos petunt, atque aliquot aliis tertiæ, quartæ, atque octauæ propaginibus miniſtrant. In hac ſecunda parte (vt ait Fallopius) in pueris quamuis ſpongioſa ſit, nulla adeſt cauitas aut ſinus, vſque ad integrum annum, in adultis vero geminus reperitur, & ſatis amplus, qui poſt primum exactum annum fieri incipit, & pro oſſium incremento magnus aut paruus adeſt. Hic ſinus veſtitur tenuiſſima quadam membrana, aut pellicula, veluti veſtiuntur etiam cauitates geminæ, quæ in oſſe frontis, & malis contentæ ſunt, quæque pariter in nuper natis caluariis nō reperiuntur; ſed interea dum adoleſcunt oſſa, fiunt. In hac eadem parte, qua reſpicit palatum, quidam clauus, ſeu palus oſſeus ineſt, cui affigitur os ſatis longum & latum, in ortu cartilagineum, vomeri, vel cultro potius in aratro vomerem præeunti ſimile, quod (ab aliquot Anatomicis neglectum) magnam operam in diſtinguenda narium cauitate dextra, & ſiniſtra præſtat? Tertia, & quarta pars continet proceſſus alatos, dextra dextrum, ſiniſtra ſiniſtrum, & quidquid inter illam rimam oblongam in oculorum cauitate poſitam, atque oſſa temporum continetur. In dictis partibus etiam ſunt illa foramina, per quæ minor propago quinti paris neruorum defertur ad temporum muſculos, item maior portio tertii paris, & totum quartum par, & ramuli arteriæ ſoporalis per membranam duram diſtribuendi, feruntur. Colligantur ſibi inuicem hæ partes cartilagine, quæ in os euadens vnicum os efficit, quod à formæ varietate à Græcis merito πολύμορφον appellatum fuit. In palato tres reperiuntur ſuturæ, præter enim illam communem in adultis, qua dextra palati pars à ſiniſtra diuiditur, duæ ſunt aliæ in vtraque parte, quæ ad vtrumque caninum dentem à medio termino ſexti oſſis maxillæ ſuperioris procedunt; vt hac ratione palatum ex ſex oſſibus conſtitutum eſſe videatur. Maxillam inferiorem duas partes continere, ſeu duo oſſa propter harmoniam, quæ in infantibus per eius maxillæ medium excurrit, iam dictum eſt. *In palato infantu tres ſuturæ.*

Dentes autem, vt vnicuique notum eſt in infantibus deſunt, & poſt ortum generantur. In cauitatibus enim vtriuſque maxillæ infantis reperiuntur folli-

*Quomodo dentes generentur.* culi quidam membranosi, in quibus materiam quamdam mucosam cernere licet, quæ paulatim indurata, auctiorque reddita foras egreditur, & folliculum gingiuasque perforans, euadit candida squama, instar faui tenuis, & excauata. Bartholomæus Eustachius in libr. de dentibus, obseruauit, hanc cauitatem ad septennium, & plures etiam annos insigniter amplam perdurare, albo quodam humore refertam, qui procedente tempore durior factus, ossis naturam suscipit, & totam ferè cauitatem opplet, & inde fieri putat, vt dentes in adultis duplici substantia (quemadmodum arbores cortice, & medulla) constare videantur, externa nempe, tersa, densa & alba instar marmoris, atque interna subobscura, & nigricante. *Dentes duplici constant substantia.* Dentis inferior pars in maxillis infantium recondita, etsi mollis appareat, durior tamen est ea parte, quæ extra gingiuas protumpit, cui tantum in puncto adhærens facilè trahitur, & educitur: folliculus verò in perfecto dente veluti glutine, præsepiolis, ac gingiuis dentem alligat. Tanta igitur capitis infantium ab adultorum capitibus dissimilitudo, causam nobis reddit, ob quam in infantia, & pueritia toties facies humana mutatur; caput, modo oblongum, modo rotundum cernatur; modo depressum, modo acuminatum, præcipuè in nonnullis quando dentes eruperint: cur item in adultis apud varios populos variæ capitum figuræ cernantur, prout tenella hæc infantium capita à nutricibus gubernantur. *Cur variæ sint capitis figuræ.* Nam Belgis, & Parisiensibus capita sunt oblonga, quoniam in cunis pueros super alterutrum tempus dormire matres sinunt, & capita ad frigus depellendum constringunt nonnullis tegumentis, quæ baginas vocant. Germani compresso capite donantur, ac lato, quod matres in cunis puerulos locent super dorsum, ac manibus, citra sæpe fasciarum vsum, lateribus cunarum alligent, ne in quatiendo è cunis excidant. In eruptione porro dentium peculiaris ordo à Natura seruatur, ne omnes illico emergant, aut molares ante caninos, aut incisores. Non enim conueniebat dentes omnes simul prodire, quod cum membranam perforent sensu præditam, nimis magnos dolores, inflammationes, ac totius corporis perturbationes, febresque intolerabiles, excitassent, quodque non oportebat cibum solidum statim, ac vno eodemque tempore tenero lacti assuetum puerum, assumere; sed paulatim cibo solidiori assuescere conueniebat, & propterea prius incisores, deinde molares produci voluit Natura, quod vsu in mandendo cibum solidiorem incisores præcedant molares. *Dentes cur simul omnes non oriantur.* Prioribus enim dentibus apprehendimus ac incidimus; deinde cum buccis & lingua ad latera in ore cibum prehensum, ac incisum protrudimus molaribus, vt eum in minimas partes confringant. Sed & in superiori maxilla, vt plurimum in infantibus dentes prius erumpunt, raro in inferiori, quia papillis vberum superior maxilla magis atteritur ac proritatur, quam inferior: gingiuis autem attritis facilius dentes erumpere argumento est *Prius superiores dentes cur nascantur.*

dens

dens lupi, vel apri, vel corallum, vel aliud quippiam durum, quod pueris à collo suspenditur dentientibus, vt in manu teneant, & ori admoueant, quo atterant gingiuas, & sic facilitent ac accelerent dentium ortum. Arist. in lib. de hist. animal. scribit lac nutricum calidius citius dentes procreare, cuius rei duplex succurrit ratio. Prima. Quod alimentum hoc, quo calidius est, eo citius per omnes corporis partes penetrando, alit partes solidas, hoc est, ossa & dentes. Secunda. Quòd cum infans lactat calidum lac calfacit gingiuas, & laxat membranas, sub quibus dentes latent. Cæterum ex hac dentium procreatione, quæ & paulatim fit, & ex ordine, docemur solo lacte pascendos esse pueros, vsquequo dentes anteriores producant, nec citius ablactandos, quàm omnes produxerint, ac prout multi dentes prodeunt, pro eo pueris solidiora alimenta esse præbenda. Quocirca lubet summam obstetricum & nutricum stultitiam reprehendere, quæ paucis post ortum, non dicam mensibus, sed etiam diebus, vnà cum lacte panem vino maceratum, vel panatellam infantibus præbent, cum sic plurimas in tenello corpore generent cruditates, morbosque pariant sæpe perdifficiles, sæpissime funestos. Noui olim Bononiæ Typographi vxorem, quæ cum multos filios feliciter pareret, omnes incautè occidebat, quod cibum solidiorem, nempe panem cum vino maceratum suis infantibus nimis cito præberet, meminiq; cunctos hydrope, cachexia, magnisque lienibus consumptos ante biennium fuisse. Quamobrem curandum est, vt filii solo lacte vsque ad tempus dentitionis nutriantur, quantum fieri potest primis mensibus. Hoc enim alimentum quam citissimè per totum corpus distribuitur, ac teneras quasque partes nutrit, ossa perficit, firmat, augetque velociter pro naturæ decreto primis mensibus.

*Lac calidius, citius dentes generat.*

*Quamdiu pueri solo lacte nutriendi.*

Prosequamur deinceps differentiam reliquorum ossium capiti subiectorum. Os hyoides osseam basim habet, cornua vero sunt cartilaginea; quia basi hyoidis firmatur lingua ad deglutitionem, quæ in lactando pueris erat maximè necessaria, cornibus vero vocis modulatio perficitur, quam antequam solidiora vel ossea euadant, formare recens natus homo nequit. Vertebræ omnes non sunt vnicum os, vt in adultis, singulæ, sed ex pluribus ossibus constant. Obseruauit aliquando Fallopius, primam vertebram colli ex quinque partibus constare, reliquæ omnes vertebræ tum ceruicis, tum dorsi & lumborum vsque ad os cocygis, in tres partes diuisæ sunt, præter ceruicis secundam, quæ cum odontoide epiphysi in quatuor portiones diuisa est. In cæteris namque pars prima est vertebræ corpus, reliquæ duæ continent foramina in lateribus, & processus cartilagineos. Carent autem omnes processu, quem spinam vocant Anatomici; vnde fit, vt dum infans est homo, vel puellus in posteriorem partem mirabiliter flecti possit, ita vt occiput calcaneo tangere queat. Quocirca non sunt mi-

*Cur pueri post ortum non loquantur.*

*Vertebræ puerorum spina carent.*

randi funambulorum, agyrtarum, & circumforaneorum monstrifici flexus in omnem partem, saltusq; formidabiles. Hi enim scientes hanc infantium dorsi constitutionem à teneris asuescunt facilè flectere in omnem partem tenellos puerorum artus absq; dolore, sed maximè ad posteriorem, qua consuetudine vertebrarum iste processus paulatim succrescit decurtatus, vel obtusus, acumine suo recto, aut caput versus tendente. Scapularum ossa processum ancyroidem cartilagineum habent, oraque basis cartilaginea, & angulum inferiorem basis multo maiori quam in adultis cartilagine præditum. Superior quoq; scapulæ processus appendice sua caret, quæ cum sensim succrescat in pueris ex plurimis ossiculis conformatur, cartilaginis interuentu coalescentibus, vt Vesalius annotauit. Sternon os ex multis constat ossibus à se inuicem separatis: maximum os, id est, quod primarum costarum cartilaginibus est vicinius, minus huic est subiectum; deinceps reliqua, quò magis xyphoidi cartilagini sunt viciniora eò minora. Eiusmodi ossa in pueris vsque ad septem annos diuisa sunt, paulatimque grandescunt & solida fiunt, sed priùs ea, quæ nunc sunt maiora, deinde minora. Artus denique nempe brachia & crura, articulis, extremitatibus seu appendicibus ossium carent & destituuntur, manifestius autem humerus, cubitus, manus articuli, coxæ, femoris, genu seu tibiæ, & pedis: obscurius verò, quod exiguas habent appendices, metacarpii cum ossibus carpii, & pedii, seu tarsi cum ossibus metatarsi: & ossa digitorum, quod careant appendicibus laxa compagine, eaque membranosa hærent. Hinc patet causa cur pueri non statim ab ortu saltent, vel ambulent, vel repant in terram sicuti agni, vituli, vel catuli. Cunctis enim his animalibus articuli & ossa conformata sunt antequam in lucem prodeant; at homo ossa cuncta imperfecta obtinet dum nascitur, nulloque modo articulate prodit. Carpi, & tarsi ossa omnino cartilaginea sunt, præter os calcis, in cuius medio quid ossei apparet. Octauum dorsi os vltimum omnium osseam acquirit substantiam, quod os Gal. ἀνώνυμον appellauit, id est, innominatum, Celso verò os coxæ dicitur. Constat autem ex tribus ossibus, nempe osse ilii, coxendicis, & pubis, cum tamen in adultis vnicum sit os, cognosciturque inde causa, ob quam hoc os, quod in adultis vnicum est, ab Anatomicis in tres partes (propriis iam dictis nominibus nobilitatas) diuidatur. Non enim in infantibus, & fœtu tantum, sed etiam in pueris vsque ad septem annos eiusmodi os in tres partes separari potest: at in infante amplioribus interuallis, quàm in puero distinguuntur. Iam satis ni fallor explicaui hanc ossium infantium, & fœtuum imperfectam constructionem; cui triplex subiungenda est ratio; vna situs fœtus in vtero, altera partus facilitas, tertia hominis imperfectio. Dico primum situm in vtero causam esse, ob quam in fœtu humano ossa imperfecta à summo rerum opifice creata sunt. Nam aliter in vtero hu-

*Pueri cur possint in posteriorem partem se flectere.*

*Pueri carent articulis.*

*Cur pueri post ortum ambulare nō possint.*

*Cur puerorum ossa non perficiantur in vtero.*

ro humanus fœtus situs est, quam cæterorum animalium. Horum namque fœtus capite semper vteri orificium, per quod exituri sunt spectant, nec aliter situm mutant: at homo in matris vtero contra capite ab vteri orificio auersus spectatur, & octauo mense, vel paucis diebus ante partum situm mutat, capite deorsum ad vteri orificium declinans, quæ quidem mutatio situs non poterat fieri, nisi cum maximo dolore matris, ruptione membranarum chorii, & vitæ discrimine, si ossibus perfectis homo esset in vtero. Præterea cum animalia expansa in vtero sint, propter vteri oblongam formam, & ampla cornua; homo verò in vnum suis articulis conglobatus, ob rotundam vteri internam capacitatem, non poterat in globum flecti totum corpus, nec in omnem partem se mouere in vtero, si ossa articulis, vti in adultis, donata fuissent. Iam quoque & partus facilitas, commoditasque fecit hanc ossium imperfectionem. Nam cum in partu exire deberet per angustum vteri foramen tanta moles, & caput eius prius prodire, id ex pluribus ossibus conformauit, laxis suturis, & membranosis nexibus sibi inuicem adhærentibus, vt hac ratione totum caput, quod amplissima pars est in fastigium, & oblongam formam comprimi posset, ad faciliorem exitum. Idcirco erat quoque necessarium, vt neque humeri articuli, neque coxæ perfecti essent. Nam humerorum, & articulorum coxæ latitudo, commodiori partui, propter latas eminentias, prorsus restitissent. Tertia causa cur ossa in puero sint imperfecta iam dixi, quod sit hominis imperfectio. Posset tamen aliquis me redarguere, cum à magnis naturæ indagatoribus statutum sit, Naturam nil magis expetere, quam cuiusque rei perfectionem. Dico tamen imperfectiorem cæteris animalibus Deum hominem creasse, vt omnium fieret perfectissimus, quod & in nostro sexu obseruare licet. Nam mas inter homines vt fœmina fieret perfectior sapientia, & omnibus membris fortior, à fœmina imperfectiori in tenella ætate, in loquendo expeditius, in gignendo semen citius, & alias corporis actiones peragendo vincitur. Sic homo, vt omnium animaliū fieret perfectissimum, nascitur imperfectus. Ambulandi enim, & prehendendi quippiam manu impotens est, præter eiulatum nullam vocem edit, & cum multa animalia statim nata herbam comedant, vel fœnum, vel grana tritici & milii, vt volucres: homo præter lac nil assumere, nil deglutire potest. At oportebat hominem ita nasci, vt esset rationis, omniumque disciplinarum capax & aptus ad docendum: ideoque matris industria, loquendi & ambulandi promptitudo, & paulatim ipsa ratio infunduntur; deinde crescente ingenio sapientiæ, artes & scientiæ variæ à præceptoribus hauriuntur, quæ cuncta non fuissent tam egregiè consecuta, si sine auxilio illico, more animalium, post partum ambulare potuisset. Propterea vnicuique obseruare licet, infantes, quo frequentius eos matres allo-

*Secunda causa.*

*Tertia causa.*

*Fœmina mare perfectior nascitur.*

quuntur, eò citiùs & expeditiùs loqui incipere, & quo sæpius cum pluribus hominibus versantur, aut eos loquentes audiunt, eò & mores eorum varios, & loquendi modos faciliùs addiscere. Itaque ad educandos infantes diligenter præcipiunt sapientes viri, vt nutrices eligantur non taciturnæ, vel stultæ, vel prauorum morum; sed quæ expeditè prudenterque loquantur, & bonis moribus sint præditæ.

Porrò, propter hanc eandem ossium dissolutam connexionem & imperfectionem, consuetudo inualuit in omni terrarum regione, præterquam Scytharum Nomadum, vt scribit Hipp. infantes statim natos fasciis ligari per annum vnum vel alterum, non tantum, ne lata fiant corpora, & fluida, veluti Nomadum (quos Tartaros hodie vocant) verùm etiam, vt ossa paulatim corroborentur, & ipsis articuli adnascantur. At quòd in fasciendo infantes obstetricum & nutricum non modica requiratur peritia, ne vel pedes ligent fasciis, vel brachia contorqueant, vt vacci & valgi cruribus imposterum euadant, brachiisque mutili, vel claudi cruribus, docet hæc Anatome, quæ etiam similiter demonstrat sæpe euenire, vt claudicent imposterum, quando ante debitam ossium consolidationem matres, vel nutrices, vt se ab onere gestandi pueros quam citissimè liberent, post sex vel septem menses docent infantes ambulare, vel pedibus se firmare. Propterea si mater, vel nutrix scire cupiat tempus, quò ambulatio docenda est, triplici modo hoc docebo. Primò si ea parte cranii, qua caput apertum esse solet, ac sola membrana loco ossis velatum videtur, percipiatur cerebrum vix amplius pulsare. Signum enim est, quod si hoc os, quod vltimo generatur, natum fuerit, reliqua ossa cum suis articulis iam esse firmata satis ad principium ambulationis. Secundò si fasciis exutus infans, pedibus insistere potest. Tertiò si cum post tres quatuorve menses manus à fasciis liberentur, infantes brachia & manus bene moueant, & firmiter manu teneant. Semper enim contingit, vt quo tempore brachiorum ossa perficiuntur, etiam perficiantur & crurum, & aliorum, nisi aliquo fortassis naturæ impedimento, aliquod os à prima conformatione debiliter sit formatum. Nam apud Forestum legi aliquando infantem natum brachio vno ex osse, altero verò osse prædito, atque hunc; admotis plagulis, & fasciis constrictis, vt in fracturis fieri solet, sanitati restitutum, admirantibus cunctis medicis & chirurgis, qui hanc curationem audierant, vel viderant, quod os generaretur, vbi numquam erat conspectum. Nesciebant autem isti in cunctis nuper natis puerulis quædam plus ossis in membris, ac perfectiùs, quædam verò minùs habere, cunctisque ferè apophyses & articulos deesse, qui deinceps ætate succrescere, ac indurari consueuerunt. Rursus ex hac ossium conformatione quomodo infantes fasciis ligati sint in cunis collocandi docetur. Non enim in latus, vt adulti vel pueri,

*Quomodo infantes in cunis locandi.*

pueri, sed dorso incumbere sinendi sunt, capite nonnihil eleuato, vt è naribus, & ore pituita profluat, quod vt fiat commodiùs nonnulli caput leuiter in alterutrum latus declinant. Cæterum quoniam constat ex his, quæ diximus, satis infirmas partes infantum infirmas edere actiones, respectu adultorum, vt oculum infirmum infirmam visionem, quærere quispiam meritò potest, quamobrem, cùm ossa puerorum minùs robusta sint, nihilominus citius, celeriusque ambulent, quàm viri. Videtur enim celeritas motus, ad demonstrandum cuiusque partis robur conferre, & propterea crura esse robustiora puerorum, quàm adultorum dicenda, quod Anatomiæ repugnat. Ad hanc dubitationem dico, celeritatem ambulandi in pueris procedere à debilitate crurum. Cum enim ambulatio fiat vnius cruris translatione, & alterius pedis firmatione, fit, vt cùm propter ossium, & articulorum imbecillitatem, non bene firmari pes possit, ac diu, donec alter sensim transferatur; cogitur pes, qui transfertur pedi firmato quamcitissimè auxiliari, quod nequeat diutius totum corporis pondus sustinere; idcirco homo, quo ætate fit prouectior eò tardiore gradu procedit, ad sua munera obeunda, quò verò infantiæ aut pueritiæ vicinior, eò celeriori cursu suas res peragit. Est etiam notanda omninò ossis coxendicis, vel eius articuli imperfectio iis, qui ad infantes, vel herniosos puerulos accersuntur, ne vel ferreos cingulos, quibus omentum, vel intestinum, quod in scrotum incidit, prohibere solemus, ne ex abdomine prolabatur in scrotum, iis præscribant, vel cingulos duros, eosque fortiter stringant, nondum septimum annum attingentibus; metuendum enim est ne à duro, & constricto sub cingulo ita coarctata hæc ossa reddantur in suo augmento, vt propter horum ossium angustiam inferius corpus indecorum euadat. Quærat autem quispiam vltimo loco, quomodo ossa seu eorum extremitates, quæ desiderantur in infantibus paulatim perficiantur, vel succrescant. Nonnulli existimarunt eam, quæ ossa ossibus annectit membranam in os verti, & antequam in os vertatur in nonnullis partibus verti in cartilaginem, quod falsum est. Si enim ex membrana duriore facta os fieret: proculdubio non pars aliqua membranæ, sed tota simul mutaretur in duriorem substantiam, nempe cartilaginem priùs, cuius natura media est, inter os, & duram membranam, quod non ita apparet. Nam ossium omnium eadem generatio non est: etenim processus inferni femoris tibiæ, & fibulæ, & cubiti duo, qui trochlea obuoluuntur, priùs toti gignuntur cartilaginei antequam ossei euadant: alia vero ossa perfectionem suarum extremitatum acquirunt per appositionem, vt superius in capite, vbi fit concursus suturæ coronalis, & sagittalis membranosus. Non enim illico membrana in os tota mutatur, vti hactenus existimarunt Anatomici, sed paulatim materia alimentalis, quæ in os vertitur apponitur ossium sincipitis, & frontis extremitatibus tamdiu, donec omnes

*Celeritas ambulandi in pueris à debilitate prouenit.*

*Ferreum cingulum in pueris herniosis malum.*

*Quomodo generentur ossa in fœtu post ortum.*

*Auctoris opinio de generatione ossium.*

omnes fines per suturæ medium cocant, eo pene modo, quo glacies concrescit in aquæ superficie. Fiunt namque prius tenuia veluti stamina seu filamenta circa oras fluuii, vel vasis aquam continentis, deinde his alia glacies accrescit, & sic tandem aquæ tota superficies congelascit. In calcis osse quamuis in superficie cartilagineum appareat, antequam ex membrana os fiat, in medio quid osseum iacit fundamentum, ex quo per appositionem calcis os paulatim grandescens conformatur.

## CAPVT VII.

### *De Partus tempore, modo & causa.*

AD formati fœtus exactiorem cognitionem scire etiam necesse plurimis videtur partus tempus, modum, & causam, quibus ego quoque non reclamabo, præsertim cum videam hanc disputationem, non tantùm medicinæ studiosis vtilem fore, sed etiam legum peritis. Cum enim legibus eorum imperatoriis rectè sit, propter summam Hippoc. nostri auctoritatem, sancitum septimo mense natos fœtus vitales esse legitimosque censeri debere, non secus atque eos, qui octauo, nono, decimoque mense nascuntur; tum noscere quoque debent etiam vltra prænominatos menses, nempe vndecimo, duodecimo, decimotertio, ac decimoquarto fœtum legitimè nasci posse, Vlpianumque reprehendendum, qui post decimum mensem editum nullum ad legitimam hæreditatem admisit. Nam vt ea prætercam, quæ à veteribus, recentioribusque adducuntur, olim noui hominem, qui tabellarium agebat in Belgio, litterasque ferebat ex Zelandia in Batauiam, Vrbis. Medioburgensis testimonio publico omnibus commonstrasse, se sexti mensis initio editum, corpore exiguum, ac viribus ita debilem, & ossibus infirmum, vt mater coacta fuerit per tres menses in sinu, ac inter vbera gossipio circumductum ad frigora fouere, donec robur acquisiuerat, quo posset fasciis circumligari, erat autem hic homo dimidius pumilio quadraginta annorum. Atque nuper, ne ab externis repetam exempla, neve historias recitem, quibus Schenckius probauit duodecimo, decimotertio, decimoquarto, & decimoquinto mense gestari posse, in manu scriptis obseruationibus legi, Bellocatum hic Patauii excellentissimum medicum aliquoties enarrasse discipulis suis in lectionibus, sororem eruditissimi viri Buccellæ Patauini per menses sexdecim vterum gestasse, & cum molam omnes eam in vtero habere suspicarentur, peperisse filium optimè formatum. Cum igitur tam varium, incertumque sit pariendi tempus inquirenda causa, quam videntur hactenus omnes docti viri, vel omisisse, vel satis ieiunè, obscureve inuestigasse ac tradidisse. Etenim existimarunt nonnulli, quod homo non haberet ad coitum

*Vlpianus reprehendenaus.*

*Fœtus sexto mense natus vitalis.*

*Mulier quæ per sexdecim menses vterum gestauit.*

*Nonnullo-*

coitum deſignatum tempus, multiplici victus ratione vteretur, phantaſiæ & pathematum variis alterationibus obnoxius eſſet omni hora, & propterea in certo tempore pareret. Sed hæ omnes cauſæ nimis ſunt remotæ, quæro ego aliquam proximiorem. *rum opinio de incerto tempore partus.* Hæc nulla alia eſſe poteſt, quam maturatio & perfectio fœtus, quæ fit in vtero incerto tempore, & variis interdum menſibus, ob facultates corpus fœtus gubernantes, vel debiliores, vel robuſtiores. *Auctoris opinio de incerto partus tempore.* Facultas autem debilis vel robuſta fit vel per ſe, ex ſemine nempe, cui inhæret tamquam ſuo principio, vel debilis validave fit ex accidenti, nempe apti alimenti penuria, ob quam nequeunt oſſa firmari, corroborari ſpiritales animaleſque partes, adeò, vt debito tempore, cum in lucem prodire debet fœtus, neque flectere mouereque ſe in vtero, neque lac ſugere, aut ſpiritum ore naribusque ducere queat. Contingit autem hæc penuria alimenti, vel matris vitio, nempe morbo, inedia aliave cauſa externa, vel fœtus ægritudine, quam ſibi prauo matris alimento, vel copioſo nimium acquiſiuit. Nam plurimis quoque morbis in vtero matris fœtus corripi, & veterum autoritate didicimus, & nuper fœtuum diſſectione ſcimus. *Fœtus morbis in vtero variis laborare poteſt.* Quod ſi in nobis iam natis videamus ſæpe ægrum corpuſculum parum, interdum vero nil augeri, præſertim ſi diuturno malo fuerit conflictatum, niſi vires recolligat, nonne ſimiliter nobis licebit opinari, fœtui ob morbum poſſe differri maturationis ſuæ tempus, & exitus ex vtero vſque, quo debitam, confirmatis facultatibus, particulas quaſque corporis gubernantibus, perfectionem acquiſiuerit. Videmus eos, quibus corporis potentiæ robuſtiores ſunt, citius quoque perfici, ac naſci; ſeptimoque menſe natos fœtus plerumque mares eſſe, fœminas raro, minuſque vitales. Præterea cernere licet in pomiferis, aut alterius generis arboribus, non omnes eos fructus, qui vno eodemque tempore florebant, veris initio illico cunctos ſimul matureſcere ac decidere; ſed aliquot, vel ſolis calore priuatos, vel ventis aquilonaribus expoſitos, vel grandine & nebula læſos, vel facultate attrahendi, & concoquendi ſibi alimētum languidos, diu adhuc arboribus poſt alios hærere, donec maturentur. Quocirca exiſtimandū eſt maturationis tarditatem vel celeritatē, partum accelerare vel tardare: cauſamque quod fœtus in lucem prodeat, non eſſe eius magnitudinem, aut inopiam alimenti, vt veteres nonnulli ſomniarunt, ſed ipſam perfectionem, ſeu maturationem fœtus, quæ præſertim circa partes ſpiritales, & naturales talis eſt, vt in lucem prodiens naribus & ore ſpiritum trahere, & lac ex matris vberibus ſugere queat. Nam videmus multas matres ſæpe minimos fœtus parere, & tamen magnum incrementum corporis creſcēte ætate acquirere, aliquando maximos fœtus parere, & gemellos, deinde poſt partū, & gemellos, & paruos, & magnos fœtus ſolo lacte, quod in vberibus generatur, nutrire, non dicam per menſem vnum vel alterum, ſed etiam per annum fere integrum;

integrum; Quod non contingeret si mulier pareret, vel fœtus ex vtero exiret ob magnitudinem corporis, & penuriam alimenti. Nam ille sanguis, qui fluit tanta copia post partum ad vbera, nonne ad vterum fluere quoque poterat ad nutriendum amplius fœtum? Porrò qui superius causam incerti partus hominis retulerunt in coitus incerta tempora, varias victus rationes, phantasias, & varios animi affectus hac opinione decepti sunt, quod putarent alia animalia quadrupeda, viuipara, & quæ vnum, vel alterum tantum pariunt fœtum, vt equam, elephantem, vaccam, asinam, certo tempore parere, equam vno, elephantem secundo anno, atque hoc esse præfinitum ipsis tempus pariendi, quod falsum esse ratio & autoritates ostendunt. Etenim tarditatis & celeritatis partus eandem causam hæc animalia habere possunt cum homine communem. Ideoque Absyrtus veterinarius præstantissimus, etsi equam vndecim mensium curriculo decemque dierum vterum gerere scribat, Varro tamen libr. de re rustica inquit, duodecimo mense, die decimo nasci, quæ post id tempus nascuntur, ferè inutilia & vitiosa existere: sic Aristoteles Elephantem biennio vterum gerere scripsit. At Strabo, Diodorus Siculus, Arrianus, menses, vt minimum sexdecim, vt plurimum octodecim.

---

*EPISTOLA PRIMA*

# PERILLVSTRI D.D. GVLIELMO SOHIERO AMICO SVO VENETIAS.

*An animal sine corde viuere possit.*



N cœna nudius quartus nobiscum ita locutus es mi Sohiere. Quæ ista est tam diligens eruditorum virorum commemoratio? Quæ digna vel Ciceronis commentariis historia, vt bouem sine corde vixisse narrent? Subiunxi ego quod inferre volebas, potestne bos excors viuere? Proh hominum fidem! potest ne, inquam, bos excors viuere. Adferat quisque quod velit, immolante Caio Cæsare in tauri opimi extis cor non fuisse; adiungat etiam in iis animalibus, quæ exanguia sunt cor non inueniri: nunquam tamen mihi persuadebit cor vlli animalium quod sanguinem habet vnquam defuisse. Magna inquies Caij Cæsaris auctoritas, magnumque testimonium. Dic igitur sodes, inquis, quo auolauit? quis id dũ mactaretur abstulit? quis dum immolaretur eripuit aut arte furatus est? an larium, aut deorum aliquis, quos ipse Imperator tunc temporis coluit, id

ipsum


ipsum eripuit, aut cor aliquo morbo consumptum ante mactationem opinari licebit? Nullo modo inquam; sed copiosa pinguedine sua in tauri visceribus ita fuisse occultatum, vt omnino exta immolanti Cæsari non diligenter velut Anatomico perscrutanti non comparuerit: præsertim cum animalia sanguinea quò pinguiora sunt eo quoque minus hoc viscus habeant. Neque id tibi mirum videri debet cor in pinguibus animalibus latere posse: Annis enim superioribus, plurimis in Theatro Anatomico monstraui, cor struthiocameli tanta pinguedine obsitum, vt facilè Anatomæ minus perito Imperatori fidem facere potuisset etiam huic aui cor defuisse. Tanta enim est ad vitam animalium sanguineorum cordis necessitas, vt peripateticorum Princeps etiam iis quæ sanguine carent, cordi proportione respondentem partem assignarit. Cor esse in omnibus, quæ id habent, quod vltimo moriatur, experientia quotidiana monstrat in omni animali corde vulnerato profundè vel ablato mortem illicò consequi. Quapropter vt mundum sine sole constituere naturę non licet: sic animal quod sanguineum est sine corde formari non potest. Quod clarius cognosces, si mecum actionem propriam cordis, quam aliquando in publica anatome auditoribus proposui, tecum repetes. Vale Patauii 17. Iunii 1622.

---

*EPISTOLA SECVNDA*

# EIDEM, VENETIAS.

*An cor Germanici Cæsaris Cremari non potuerit, & cur. Morbo cardiaco & veneno interempti signa.*



QVoties Vitas Cæsarum perlegis, quas Caius Suetonius edidit, toties scribis te admirari ea, quæ scripsit de Cæsaris Germanici morte, scilicet eius cor (cum corpus de more Veterum post obitum cremaretur) comburi non potuisse. Ego profectò vt verum fatear, sæpius de veritate huius historiæ dubitaui, cum viderem cor non ex aliis constare partibus, quàm iis, quæ cremari possunt, carnibus nempe, venis, arteriis, membranis, pinguedineque; sed cum ego quoque in alios grauissimos auctores incidissem, Caium Plinium qui lib. XI. cap. XXXVII. naturalis historiæ, cor Germanici Cæsaris cremari non potuisse testatus est: & in Iacobum Thuanum nostri temporis nobilem historicum, referentem in bello, quod Heluetii inter sese gesserunt pro religionum mutatione, Tigurinis victis, Zuinglium quendam fortiter pugnantem in primis ordinibus occubuisse: religioni, vt ipse ait, tributum à Tigurinis & qui cum illis stabant, quod cadauere flam-

mis ab hostibus tradito, cor exuri non potuerit: Ad causam aliquam, quam pe-tis potius confugere fui coactus, præsertim cum veterum nonnulli & recentio-rum expostulasse eam, & inuenisse viderentur; Etenim Plinius ad duas causas videtur retulisse, quod cor Germanici Cæsaris cremari nō potuerit. Nempe vel ad morbum, vel ad venenum. Negatur inquit, cremari posse iis qui cardiaco morbo obierint. Negatur, & veneno interemptis. Certè extat oratio Vitellii, qua reum Pisonem eius sceleris coarguit, hoc vsus argumento, palamque testa-tus non potuisse ob venenum cor Germanici Cæsaris cremari. Contra genere morbi defensus est Piso. Recentiores nonnulli id cordium proprietati adscri-pserunt, cum constet in quibusdam corporibus humanis partem esse quam-dam, in quam nil ignis possit: sicuti de maiori dextri pedis articulo Pyrrhi Epi-rotarum regis memoriæ est proditum, qui corpore rogo de more absumpto vna cremari non potuit. Ego vero hic operepretium duco istas Plinii causas curiosius explicare, & indagare an morbus cardiacus aut venenum ignis vim in corde tollere possit, aut eius substantiam mutare. Sane prius est explicanda ora-tio vt ea debeat intelligi. Equidem existimo temporis tractu horum virorum corda cremari potuisse, sed longe diutius quam alias solet igni restitisse, ac sic superstitiose id fuisse animaduersum, aut hyperbolice à nostris maioribus enar-ratum. Ita quoque de Salamandra creditum fuit, canente Q. Sereno.

*Seu Salamandra potens nullisq; obnoxia flammis.*

At Aristoteles Salamandram per ignem ingredi non ex visu, sed ex auditu pro-didit, vt & Dioscorides, proculdubio quod cæteris animalibus magis igni resi-steret. Imò si tantum ignis apponas, aut carbonum accensorum, quantum satis est ad comburendam, & enecandam lacertam communem vel grandiorem Serpentem, videbimus ei vix quidquam noxæ accidere, sed ignem potius ex-tingui: sed si plures carbones accensi addantur, fiatque magna flamma etiam Salamandram comburi. Hoc quotidie obseruare vnicuique est commodum. Idcirco Galenus 4. de compos. medicam. secundum loca, cinerem Salamandræ præscribit in medicamentis, & lib. de simp. medicam. facul. Salamandram com-bustam. Sunt itaque de corde incombustibili vt de Salamandra hyperbolicè scripta. Quapropter inquirendum, quomodo cardiaco morbo & veneno po-tuerit cor Cæsaris Germanici diutius quam alia corda igni resistere. Ego existi-mo copiam sanguinis, præcipue viscidi lenti mucosique & crudi id posse effice-re quotiescunque nimio opplentur sinus cordis tam dexter quam sinister. Nam si inspicias modum quo cadauera cremantur, id planè reddetur probabilius. Etenim quando primum omnes partes vruntur externæ prius cremantur inde internæ. Itaque si plenum id sanguine sit præsertim viscido, mirum esse non de-bet quod diu igni resistat. Inde patet causa cur à morbo cardiaco mortuorum

cor

cor non tam cito, quàm aliorum comburatur, in eo enim morbo ſanguis externas partes relinquens ad interiora repit, & maximè ad cor. Quod facilè eo probatur, quia exteriores partes in eo frigeant, interiores caleant, pulſus quoque iis ſint parui vermiculantes, priuſquam adueniat paſſio etiam intercepti. Præ copia enim ſanguinis in ſinubus cordis contenti non poteſt cor commodè ſyſtolæ & diaſtolæ motu cieri, ita contingit ſuffocari ægros, repenteque mori, niſi ipſis ſanguinis miſſione ſuccurratur. Notæ ſunt hiſtoriæ ab hoc affectu mortuorum, quem cardiacam ſyncopen nonnulli appellauerunt, in quibus venæ cauæ & arteriæ magnæ truncus ſanguine concreto plenus fuit, qui alias in mortuis concreſcere non ſolet. Ex iis enim inciſis oblonga ſanguinis coagulati pars vnita extrahebatur. Porro fluit hic ſanguis ad cor, & cordis vicinas partes, vel quia impellitur, aut à frigidis aſſumptis, aquæ videlicet frigidæ potu (à quo non pauci poſt valida exercitia, vel aliunde calefacto corpore derepente ſunt extincti) aut ab exterius admotis, vt quando menſtruata mulier balneum aquæ frigidæ æſtatis tempore ingreditur. Congelatur vero in vaſis, vel quia craſſus eſt, viſcidus, lentus, melancholicus; vel quia ſit ſupra modum refrigeratus ab internis & externis. Venena quoque id faciunt; vt ob hanc cauſam non fuerit à ratione alienum, quod de Piſone ſuſpicabantur, eum Cæſarem Germanicum veneno ſuſtuliſſe, contingit enim id quoties ſpiritus & ſanguis in arteriis & venis refrigerantur, & ingens eius copia vas vtrunque implet. His igitur de cauſis fieri potuit, quod cor nonnullorum difficulter potuerit cremari. Iſtis etiam adiungam ſigna, per quæ medicus cognoſcere poterit an qui mortuus eſt à ſanguine concreto in venis, propter venenum ſit mortuus, an propter morbum. Venenum quod cito hominem de medio tollit, profundum ſomnum inducit: hoc ingraueſcente excitatur quidem æger, non releuatur. Sed tarde ad mortem properat. Quod ſi venenum ad tempus fuerit datum, paulatim conglobabitur & coaleſcet ſanguis, & cum omnia vaſa non obſtruat, quædam propter acquiſitam acrimoniam aperiet, vt propterea concretus ſanguis è naribus prodeat, aliquando etiam ab ano extrahatur. Hi tamen (vt bene animaduertit Petrus Salius) liquato hoc ſanguine, & proprio calore reſoluto moriuntur. At quæ à cardiaca ſyncope communiter mors ſuperuenit, longe alio modo accidit.

Vale.

# ADRIANI SPIGELII BRVXELLENSIS

## DE ARTHRITIDE.

*Articulus quid.*



E articulorum dolore acturi, dicimus, nos per articulum, intelligere coniunctionem duorum ossium per διάρθρωσιν, vel συνάρθρωσιν; per διάρθρωσιν articulatio motum edit manifestum, vt in humero, coxendice, cubito, genu &c. per συνάρθρωσιν quæ fit articulatio, motum habet obscurum, vt in carpi metacarpii ossibus. Circa has articulationes dolor factus ἀρθρῖτις Græcis appellatur, Latinis morbus seu dolor articularis, Barbaris gutta, (quod guttatim destillatio, seu fluxus in hoc malo fiat) & arthetica passio. Alioquin articulum, quem Græci ἄρθρον vocant, omnem significare speciem articulationis, constat apud Gal. libr. de ossibus, vbi omnia articulationum genera recenset. Neque si circa suturam capitis aliquando doleat, vel circa dentes, qua parte maxillis iunguntur, dolor articularis dicendus est. Dicitur etiam morbus hic iuncturarum, stricte sumpto morbi nomine pro dolore. Nam luxatio alioqui morbus est articulorum, vel iuncturarum, sed in situ. Est autem ἀρθρῖτις vera, dolor partium articulorum, ex interuallis per defluxionem accedens. Per articulorum autem partes, non tantùm intelligo extremitates vtriusque ossis, quæ mutuo coniunguntur, aut ligamentum, quod coniungit interiùs, & in articulo coxendicis & humeri rotundum est, sensus expers: sed omnes eas partes quæ exteriùs has ossium extremitates amplectuntur, vt sibi inuicem coniungantur melius, nempe ligamenta externa, periostium, membranas, tendines musculorum, musculos ambientes neruos, ipsasque musculorum extremitates. Hæ enim cunctæ in dolore articulari maximè patiuntur. Dixi in definitione ex interuallis, per defluxionem humoris dolorem arthritidis accedere, excludens vnà cum Gal. eum dolorem articularem, qui fit à siccitate, cuius fecit mentionem Hippo. 16. Aph. s. 3. Hic enim impropriè arthritis appellatur. Dixi defluxionem fieri per interualla, quod in omni arthritide est necessarium, quæ iam confirmata est. Quod si vero quispiam podagra corripiatur, & interuallo nullo redeat dolor, tamen dicenda est arthritis, nisi ex interuallo prouideatur. Differentiæ doloris articularis statuuntur

*Synonyma.* *Definitio.* *Arthritis impropriè dicta.* *Differentiæ.*

tur variæ, à materia dolorem causante, dicitur arthritis biliosa, pituitosa, sanguinea, melancholica, mixta; à qualitate venenata huic materiæ implexa dicitur arthritis Gallica. Sed communis differentia sumitur ex articulis variis, quos hic morbus solet affligere: sic quæ pedes exercet, podagra dicitur, quæ manus, chiragra; quæ articulum coxendicis ischias, quæ genu, gonagra, cæteros articulos, si quando dolor infestat, nomine caret, & communi arthritidis appellatione gaudet. Cæterum sub quo affectu præter naturam arthritis teneri possit, non est multis verbis inuestigandum curiosius, cum dolorem esse dicamus, qui est de genere symptomatum: at si respiciamus affectum dolorem facientem, hoc est tumorem ex distensione partium articulorum, ex humorum defluxu factum, morbum esse dicemus, nempe tumorem œdematosum, vel vt plurimum, inflammationem impropriè dictam. Causa coniuncta ab autoribus recensetur varia: quidam tum nudam intemperiem, tum etiam ventositatem statuunt, vt Guainerius, & Gradus: Græci, Latini, & Arabes humores: Recentiores hunc quidem vnicum statuunt, vt Fernelius frigidum, pituitosum, vel serosum ac tenuem, qualis tempore frigido, è cerebro per nares solet effluere. Cæteri vnà cum Græcis plures humores accusant, nempe quatuor simplices, bilem, pituitam, melancholiam & sanguinem, quibus etiam posset addi serosus humor, tum mixtus ex his. Siccitatem aliquando generare ischiadem testis ex Hipp. cur non potest eadem generare alias arthritidis species? Partes enim similes, similibus morbis sunt obnoxiæ. Verùm Alexander Trallianus cum ait, non solum ob materiæ influxum in articulos fluxiones fieri, sed etiam propter nudam qualitatem calidam, vel frigidam, & ad hæc siccitatem, vel humiditatem subinde fluxiones concitare, videtur existimare, articulorum seu partis affectæ intemperiem non esse causam proximam doloris arthritidis, vel solutionis continui, sed concausam, quæ facit debiles articulos. In omni enim fluxione necesse est partis imbecillitatem adesse, & humoris abundantiam. Sed & partium imbecillitas non à sola dependere intemperie mihi videtur, sed ex amplitudine vasorum, venarum scilicet & arteriarum, & laxitate partium circa articulos, quæ vitia, vel ab ortu genita sunt in nobis, & tum fit arthritidis hæreditaria, accedente humorum copia: vel postea fiunt, à causis euidentibus laxantibus & emollientibus vincula, & articulorum membranas, vt sunt contusiones, balnea, Venus & vinum immoderatum, in balneo, vel statim postea potum, quemadmodum in Germania fieri solet. Porrò humor hic, qui est causa continens non consistit in eo spatio, seu ea cauitate, quam constituunt ossium duo extrema, quando sibi inuicem coniunguntur; (quemadmodum multi hactenus somniarunt,) sed fere semper in membranis, tendinibus ac vinculis externis, à periostio originem suam habentibus ossium extrema ac musculorum tendines

*Sub quo affectu præter naturam.*

*Causa coniuncta.*

*Intemperies an causa proxima arthritidis.*

*Imbecillitas articulorum.*

*Hereditaria arthritis.*

*Sedes humoris in arthritide.*

tendines nectentibus, idque cognoscitur manifestè sic se habere ex nodosa podagra & chiragra, in qua tophus, seu humor iam in calculum concretus, aperta ruptaue cute plerumque eruitur è digitorum articulis externo vinculo, vt scribit Fernelius, integro atque illæso. Præterea, si materia in cauitatem internam articuli flueret, nullus vel admodum obtusus exitaretur dolor, quòd hoc vinculum nectens interius ossium duo extrema ex osse oriatur, nullumq; sensum habeat; & ideo quia cum ossis cartilagine connascitur χονδροσυνδέσμου nomen apud Græcos accepit. Sed vnde & per quas vias humor hic dilabatur in has articulorum partes, ex veterum & recentiorum scriptis cognoscere, perquā est difficile. Nonnulli enim à capite fluxionem fieri putant, alii ab hepate; nos verò ab vtroque. Eorum qui à capite fluxionem fieri asserunt, vnus ab internis capitis partibus, ipsoq; cerebro per spinalem medullam, vel infundibulum, vel ossa vertebrarum, vel per mediam spinalis medullæ substantiam, & sic per neruos in articulos deriuari censet; alter vero à capitis externis partibus, & extra caluariā positis, atque per summa corporis, sub cute deorsum decurrere in articulos; & hæc postrema opinio fuit Fernelii, non infirmis fulta rationibus, sumptis ab iis signis, quæ solent arthritidem præcedere. Præcedunt enim capitis grauitas, somnolentia, dolor externus, & qui contactu, præsertim inuersis capillis exacuitur; tumor in capite œdematosus, interdum vt cera mollis, cuti præsertim ad occipitium subiectus, cutis densa, nec caluæ propius adhærens: aitque idcirco idem Fernelius, eiusmodi humorem pituitosum, tenuem & serosum sub cute capitis densa cumulari ac repere per venas iugulares externas à partibus infernis. Qui verò ab hepate fluere materiam dicunt per venas in articulos, his rationibus nituntur. Quod crises fiant in febribus continuis per articulorum dolores; quod in arthritide frequenter conspiciantur inflammationes circa articulos, quod fieri non posset, si à capite, iuxta Fernelium, flueret humor intra pericranium & cutem. Non enim potest semel extra venas consistens, venas rursus intrare. His addo alias, quod videmus per hæmorrhoidum ac mensium purgationes restrictas, podagras & articulares morbos tum viris, tum mulieribus euenire. Dicebat enim Hipp. mulier podagra non laborat, nisi cum menstrua defecerunt. Videmus ortas nonnullas podagras à sanguine & bile, cessare vel præseruari venæ sectione. Sed mea opinio est, tum à capite, tum à iecore fieri posse fluxionem, & à capite per venas & arterias; rarò per locum sub cute, vt putat Fernelius; nunquam verò per foramen medullæ, quo spiritus continetur, (paralysis namq; fieret in defluxione,) vel per foramen nuchæ, supra membranam extimam spinalis medullæ in neruos transudare, & per eos in tendines musculorum defluere. Nam humor intra caluam, & supra meningem non fluctuat,

*A capite vt fiat fluxio in articulos.*

*A iecore vt fiat fluxio.*

*Ex suppressione alicuius euacuationis orta podagra.*

ctuat, expurgarique is, si adesset, posset per nares, vt omnis humor, qui in cerebro continetur, per nares & palatum pellitur à natura commodius. Fernelius, cum docet, sub cute capitis congestum humorem tenuem deorsum ad articulos currere, per summa cutis, nullo argumento id mihi videtur probasse, nisi fortassis per laxitatem nostræ cutis, & dolorem quem ægri percipiũt ætate prouecti, in frigidis regionibus, & iam antea arthritidem perpessi (crassiore reddita materia, ac tardiore ad motum) è ceruice, vel per humeros in cubitos & manus, vel per dorsum in coxendices, genua pedesque sensim deuolui, sensu interdum frigoris oborto, quo corpus omne perhorrescit. Sed quia in multis arthriticis hic dolor non semper obseruatur, etiamsi diu eò cum morbo conflictati fuerint, & materia dilabens crassior facta sit, credendum est, materiam non in omni arthritide, si quando ea à capite defluit per humeros, vel dorsum in subiectos articulos repere per summa cuti subiecta, vel summa cutis ipsius, sed per venas, & arterias iugulares, non solum externas, sed etiam internas (per quas ab infernis partibus, iecore præsertim, ferebatur humor in capitis externas internasque partes, nempe cerebrum,) remeare in venam cauam, & arteriam magnam, vel eius magnos ramos sub iugulo constitutos, atque sic in articulos deuolui, quod nullus sanæ mentis negabit, modò intellexerit per ampla hæc vasa in viuo corpore, repentinum ac facilem fieri refluxum ac fluxum humoris, quique obseruarunt, ante vniuersalem totius corporis vacuationem, ab externis remediis manui vel pedi applicatis, materiam refluxisse ad partes nobiles, febres continuas excitasse, multosq; celebres in arte medica viros, qui podagram, secundum communem medicorum opinionem, periculo vacare temerè pronunciauerant euentu mendaces fecisse. Neq; etiam est credendum, humorem hunc tenuem, & frigidum Fernelii initio arthritidis leuis, cum mole tam exiguus in manus, vel pedes, vel eorum vnum digitum tantum dilabatur, vel vsq; adeo esse frigidum, vt digeri à Natura non possit citius, quam in pedes à capite per tam longum spatium dilabatur; vel eam esse, per summa corporis cutis, laxitatem, quæ tam celeri motui, & concoctioni, vel digestioni materiæ per poros repugnanti conueniat. Qui enim hunc simplicem ac frigidum semper esse contendunt, ex sensu cum descendit à capite frigoris oborto, quo totum corpus perhorrescit, non videntur obseruasse, materiam calidam sæpe sensum frigoris inducere, cum sensiles partes tangit. Si erysipelas instet in pede, vel alia parte, antequam per febrem calida & biliosa materia expellatur ad partes, corpus perhorrescit, vel frigore, aut rigore premitur; febresq; tertianæ, quæ à bile, stimulante partes sensiles, originem habent, initio suæ accessionis cum horrore, rigore ac frigore inuadunt. Porrò negandum non est, non per venas modò materiam ad caput repete in arthriticis; sed etiam ab aliis infernis partibus, in

*Contra Fernelium.*

*Podagra periculo non vacat.*

*Frigus ex calida materia quomodo oriatur.*

ventre

ventre contentis ventriculo nempe intestinisque, vaporibus suscitatis caput repleri, pituitosamque materiam per palatum à capite dilabi in ventriculum, mox in venas meseraicas rapi, ac in iecur & venam cauam protrudi vnà cum aliis humoribus, ac sic quoque per aliam viam, quam per arterias & venas labi à capite in articulos. Sed hæc via non est vsque adeo conueniens tam celeri motui, qualis interdum in humore arthriticorum turgente solet animaduerti. Cæterum eæ rationes, quibus Fernelius probat, caput esse arthritidis semper originem, probant tantùm, quod in arthritide caput quoque offendatur, quod & in febribus lædi sæpe cernimus, ex capitis grauitate, somnolentia, dolore; non tamen propterea dicimus febrem à capite oriri: sed illud vel per consensum affectarum aliarum partium infernarum lædi, vel propter plethoram, & prauorum humorum copiam. Hac enim oppressa, natura tentat omnem viam, per quam exonerare se potest, eos per venas ad caput, renes, aluum, cutis spiracula pellendo. Quare concludimus raró aliam, quam quæ fit per venas & arterias, à capite vel iecore fieri fluxionem in articulos, quod etiam sensu commodè demonstratur. Videmus enim, antequam fit dolor in articulis, venas in membris, ad quæ futura est fluxio, nempe in manu vel pede, distendi ampliores que reddi; quo signo semper podagrici cognoscere solent, instare dolores: ita vt Fernelius non rectè senserit, à dolore, quem in articulo exiccauit humor fluxus, trahi materiam, postea inflammationis, vel alterius tumoris, qui ferè semper comparet, causam. Nam si hoc ita est, cur venæ ante dolorem tument ac turgent, si expectandus est dolor, à materia extra venas existente? Nunc autem quærat quispiam, quid est, quod si humor per venas fluat in articulos à capite & iecore, non statim in omnibus arthriticis in extremos articulos ruat, vel in eo spatio consistat ac hæreat, quod est inter articulum, & articulum? Nam dum fluit, verbi gratia, in brachium, prius in humeri articulo consistit per aliquot dies, vel in cubiti articulo, non in spatio, quod est inter vnum, & alterum articulum. Atque vbi per aliquot dies ibi hæserit, si non spontè, vel à medicamentis digeratur, tum demum ad inferiores partes transit. Res hæc, à nemine, quod equidem sciam, satis considerata, maiori indiget inquisitione. Fernelius, in articulorum naturam causam retulit. Ait enim, decursum fluxionis fieri in solis articulis, ibique materiam subsistere, & hærere, quod compacti sint densique: non item in mediis regionibus, quod amplæ sint, & laxæ, intelligens amplitudinem & laxitatem meatuum cutis, quæ circa articulos minor est, quam in interuallo medio inter duos articulos. Ego verò existimo, quod cum per magnas vias fluat materia hinc & inde in minores ramos, tamquam per fluuios in riuos à natura pellatur, quorum extremitates in articulis terminantur: in his, cum propter arctos meatus, & frigidam partis naturam, nequeat domari, atque euinci, vel

*Imminẽtis fluxionis signum.*

*Contra Fernelium.*

vel dissipatione per halitus & poros, vel alia coctione, in angustioribus quam, per quæ transiit, cancellis coercita, dolores in partibus sensu exquisito præditis pariens, quæret refluxum per eosdem ramos, per quos in articulos intrauit, in maiores venas, per quas deinceps vlterius in inferiores articulos per ramos minores nutritioni inferiorum articulorum inseruientes, protruditur. Causæ antecedentes sunt duæ præcipuæ, copia humorum commemoratorum in venis, tam capitis, quam aliarum partium existentium, & artuum imbecillitas; quibus addit Rhases tertiam, robur scilicet partis expellentis excrementa, nempe iecoris atque capitis. Alterutra enim, vel vt plurimum ambæ hæ partes principes, in omni arthritide, præbent humores, tamquam fontes totius mali, quibus aliquando associata cernitur ventriculi imbecillitas, orta ex humidissima, aliquando etiam frigida intemperie. Caput humidissimum copiosa gignit excrementa, & si vna frigidum sit, pituitosa, dulcia, aquosa: sin calidum, pituitosa, salsa, acria, præsertim, si iecoris caliditas cooperetur. Iecur præterea plerumque impense calidum est, quod non modò copiosos vapores, ex ventriculi concoctione in cibis, cerebro suppeditat; sed & ipsum vel sanguinem copiosum, vel atrabilares ac salsos humores generat, ac in venas defert. Externæ autem causæ sunt omnes eæ, quæ plethoram & cacochymiam venis inferunt, partiumque principum intemperiem fouent, quæque imbecillitatem articulorum generant, vt sunt vita ociosa, vel cum paucis laboribus & exercitiis nimia ciborum, nec cuique temperamento conuenientium repletio; potus vinorum generosorum multus, præsertim in ieiunio; venus, balnea: his addentur concitatiores motus, ambulationes, equitationes, præsertim statim à cibo, insueta frigidæ potio, animi affectus omnes, prolapsus, contusio, luxatio, & si quæ sunt aliæ, quæ partem debilitant. Retenta excrementa, quæ vel per menses, vt mulieribus, vel per hæmorrhoidas, vel sanguinis profluuium è naribus expurgari consueuerunt; nonnulli inter internas causas connumerant. Sed ex causis externis, vinum, & venus principem locum obtinent. Atque ideò Poetæ Græci podagram Bacchi, & Veneris filiam esse finxerunt. Hipp. ait eunuchos podagra non laborare, neque pueros ante vsum Veneris. Nam Venere non modò corpus laxum redditur, & artus debiliores, sed omnia vasa fiunt ampliora. Et licet eunuchi podagra laborasse, dicantur, id contingit ex intemperantia vitæ, aliisque causis externis. Sic Seneca in epistolis inuehitur in mulieres, quod propter luxum, Hippocratem mendacem fecerint. Sed omnibus illis, quas cognoui, mulieribus, etsi menses fluxerint, podagra laborantibus, diminute tamen fluebant. Extat apud me quæstio non inelegans cur podagrici generent podagricos. Communis medicorum schola respondet cum Hipp. & Gal. quod patrum semen sit vitiatum in partium imbecillitatem generando. Excernitur namque auctore Hipp.

*Causæ antecedentes.*

*Caput & iecur fontes arthritidis.*

*Causæ externæ.*

*Podagra Bacchi & Veneris filia.*

*Cur podagrici generent podagricos.*

Hipp. ſemen genitale ab omnibus corporis partibus, à ſanis ſanum, à morboſis morboſum. Horum tamen ratione, quamuis antiqua, non planè mens mea quieſcit. Probatio enim, qua demonſtratur ſemen eſſe prorſus vitiatum, neganda. Non enim ſemen defluit ab omnibus corporis partibus, à ſanis ſanum, à morbidis morboſum. Nam à teſticulis, in quibus elaboratur, dimandatur in paraſtatas, & coitus tempore excernitur; à teſticulis vero attrahitur materia ſeminis & ſpiritus à vaſis magnis, arteria ſcilicet magna, & vena caua, per quas ſanguis & ſpiritus vitalis funditur in omnes corporis partes, non mittitur à partibus vel à vaſis recipientibus. Quocirca quod podagrici generent podagricos fit, quod materia ſanguinis in podagricis ſit podagrica, quemadmodum & ſpiritus, qui in arteriis continetur, ſcilicet vitiatus à prauitate humorum in maſſa ſanguinea exiſtentium, ex qua ſpiritus vitalis elaboratur, & corporis omnes partes alimentum capiunt. Signa vero diagnoſtica ſatis patent ex definitione. Nam adeſt dolor circa articulos, modò acris, modo mitior, cum pondere & grauitate membri, modo pungens, modo magis obtuſus, modo profundus, modo in ſuperficie, aliquando abſque tumore, ſæpius cum tumore ſimplici, vel mixto, prout eſt natura humoris, qui ad articulum confluit, vel ſimplex, vel mixta. Hinc apparent tumores inflammatorii, œdematoſi, eryſipelatodes, duriores, molliores, flatulenti, & ex his compoſiti atque permixti. Qualis vero ſit cauſa coniuncta, an humor, an ſimplex intemperies manifeſtabunt quoque ſua ſigna. Nam humorem eſſe indicabunt, tum tumores in articulis, tum colores tumorum atque dolorum ſpecies, iuuantia & lædentia. At qualis nam ſit, ſimplex ne an commiſtus humor, qui in articulum influxit, non modo ex his, ſed etiam ex cauſis internis, eorumque ſignis fit manifeſtum, ad quas cognoſcendas, inſpicere oportet cauſas externas, & inter haſce in primis victus rationem, quæ præceſſit, anni tempus, aeris conſtitutionem, ætatem, habitum corporis, intemperiem partium principum. Si igitur ſanguis arthritidem cauſetur ob copiam, pars affecta tumorem habet ingentem circa cutem, & venæ tument, calor in parte tumida eſt moderatus, cum inſigni rubore, pulſus percipitur profundus, dolor extenſiuus, veluti in aliis inflammationibus pariq; pondere pars grauatur; ea quæ forinſecus applicantur, ſiue valde calida ſint, ſeu frigida, lædunt (quamquam ſint aliqui, qui à refrigerantibus iuuari ſcribant) ægrique aſſiduo exacerbationem ſentiunt; & quidam per circuitus irritatione vexantur. Vrinæ eorum fuluæ ſunt, ſubſtantia mediocres, cum hypoſtaſi, vel nubecula, vel contento albo, ætas temperamentumque corporis, & partium principum, vernum tempus, regio temperata apta generationi copioſi ſanguinis, præceſſit victus ratio, quæ boni fuit ſucci, maximè alentis, & ſanguinis copiam generantis. His nonnulli addunt alia ſigna, ſudores nempe modicos, in facie, in fronte vel

*Quomodo ſemen generetur.*

*Signa diagnoſtica.*

*Cauſæ coniunctæ ſigna.*

*Signa arthritidis ſanguineæ.*

vel capite; grauitatem, somnolentiam, quandam perturbationem in sensibus, intellectu & cogitatione, corporis lassitudinem sine labore præcedente, & si quæ sunt alia, quæ indicant plethoram sanguineam. Quod si à bile fiat, nullus, secundum Trallianum, tumor in parte affecta est conspicuus, cutis dolor subruber spectatur, qualis in erysipelate, calor ac dolor acris, sine pondere vel grauitate membri; articulus dolens læditur à calidis, iuuatur à frigidis applicatis, siue sint actu talia, siue potentia, exacerbationes animaduertuntur de tertio die in tertium; febris in ipsa accessione succedit valida, cum siti & insigni rigore; Vrinæ conspiciuntur flauæ, & subfuluæ, splendentes, substantiæ tenuioris, acrimoniæ participes. Victus ratio præcessit, quæ bilem generare abundanter potuit, ex acribus & attenuantibus cibis salsisque, animi affectiones, iræ, vigiliæ, mœrores, curæ, fatigationes, ætas iuuenilis adest cum temperamento corporis calido & sicco; æstiuum tempus, & calida regio. Quod si à pituita oriatur, tumor apparebit circa articulum œdematosus, hoc est, colore subalbido aquæ inter cutem similis conspicietur, & cauus ad digitorum compressionem, ac laxus; dolor aliquando fortis, aliquando mitior, quotidiana exacerbatio notatur, quæ omnia paulatim irruunt, & augentur, & per plures horas durant, breuemq; intercapedinem habent, immo nec vnquam integrè remittunt, tardiorque fit fluxio, vnde tumor paulatim augetur: calidis ægri iuuantur, læduntur à frigidis: adest senilis ætas, temperamentum frigidum & humidum, & talis aer, tempus hyemale, percipitur aliquando frigoris sensus. Victus ratio præcessit refrigerans & humectans, balnea à cibo, vita otiosa ac deses, vrinæ crassissimæ, aliquando perturbatæ in iis reperiuntur. Quod si verò ab atra bile contingat arthritis, tumores conspiciuntur duriores, nigro colore præditi, frigoris sensum quandoque habentes, & afficiuntur in profundo corpora, veluti atterantur & scalpantur; redit circuitus exacerbationum de quarto in quartum, mediocres magnitudine & impetu: adest ætas consistentis ætatis, & inclinantis ad senectutem, temperies corporis calida & sicca, aeris constitutio, regio, tempus autumnale; edulia quæ copiam bilis atræ generare potuerunt, vel ipsam melancholiam, lassitudines immodicæ: vrinæ tenues initio & aquosæ, postea vero atriores quam naturales requirunt, modicè crassæ cum contentis ad fuscum colorem vergentibus, aliquando vero mixtum, subcruentum & fuscum, vt Paulus, & Aetius aiunt. Sed raro à simplici humore fit arthritis, plerumque à mixto oritur, & præcipuè à bile, & pituita, & tunc nonnullis ea vocatur pituita salsa, cuius indicia sunt mixta, scilicet tumor œdematosus cum calore & rubore, acrimonia in cutis superficie, vrinæ variæ, modo aquosæ & tenues, modò crassæ & turbidæ. Similiter si causa arthritidis sit commixtio aliorum humorum, tunc quoque mixta apparent signa. Verum diligenter

*Signa biliosæ arthritidis.*

*Signa pituitosæ arthritidis.*

*Arthritidis ab atra bile ortæ signa.*

*Arthritis raro à simplici humore oritur.*

*Signa bilæ & pituitæ mixta.*

genter animaduertendum est, quod quandoque hæc signa nos possint decipere, quod etiam ab aliis notatum video. Nam in permixtis humoribus color membri, & caliditas nos decipiunt. Si enim bilis cum pituita permisceatur in articulo, tunc ad circumferentiam facilè bilis fertur, & idcirco in cute rubedo cum flauedine, & calore cernitur. Ex quibus non est existimandum, dolorem articulorum cum hisce signis erysipelatis vel inflammationis, fieri tantum à bile. Sic etiam contra contingit, vt si bilis interius dolorem efficiat, pars affecta exterius cernatur, vel aeris, vel medicamenti exterius frigidi applicati vi alba vel liuida, non propterea mera pituita erit arthritidis causa: vti, si cum sola pituita dolorem efficit, articulus vero à medicamento calido applicato, vel aeris caliditate, vel alia extrinseca causa rubet, atque calet exterius, non rectè dicetur pituitam esse bile permixtam. *Humor præterea*, inquit Guainerius, *existens in profundo membri, membri superficiem plerumque non mutat: & sic membri color tunc nullum tibi indicium daret. Contingit*, inquit idem, *vt humor frigidus adiuncturas defluat dolorem intensum faciens, cuius causa febris fiat, causabitur insomneitas, pulsus velox erit, & vrina tincta, dolori succurrere intendens sanguinem, & spiritum in multa qualitate, ad locum illum mandabit, qua ex causa locus iste rubet tunc atque calet: quæ omnia calidæ materiæ sunt signa, etsi frigida sit in causa. De colore igitur membri, caliditate seu frigiditate, nisi perseueret confidendum non erit. Occurrunt enim sæpe plurima, quæ tam caloris seu frigiditatis, quam caliditatis membri causæ esse possunt, contra tamen materiæ peccantis naturam. Cum igitur signa talia fallacia sæpe sint, ad alia dicta recurrendum erit. Alius autem in applicandis localibus error sæpe contingit. Nam hora paroxysmi interdum applicari frigida consueuerunt, quæ aliqualiter stupefaciendo dolorem remittunt, materia tamen frigida existente, quam huius de causa pro tunc forsitan calidam iudicamus. Contingit interdum quod materia calida existat & pauca, & ex applicatione calidorum, materia ista pauca resoluatur, & sedetur dolor, ex quo ad pauca respicientes, materiam istam fuisse frigidam facilè iudicaremus: hinc ergo patet, quod in casu nostro ex iuuantibus & lædentibus esset per se iudicium fallax. Ne igitur hos in errores tam hora paroxysmi, quam quietis incidas, particularia, quæ supra te docui, diligenter perscrutare, & super quem humorem plura concurrunt, eum in causa fore iudica.* Hæc ille. Arthritis vero gallica fit, cum partium excrementa sensim colliguntur, sine defluxione admodum manifesta; & cognoscitur, quod fiat sine tumore, sed cum dolore totius perioftii: dolet caput, vel sternon, vel omoplatæ, etsi nullum adsit vlcus manifestum, vel intra vel extra cutem, quod nonnullos decepisse scribunt autores. Patiuntur hanc pituitosi, statim post bubones venereos non suppuratos, sed repercussos, vel propter intempestiue adhibita remedia, & vsum vini statim à sudoribus: multumque exsiccantibus iuuantur. De nocte, & temporum mutationibus exacerbatur vel excitatur, maximè flante austro, & modico lecti calore. Signa vero arthritidis ex simplici

*Deceptio in signis.*

*Arthritidus gallicæ signa.*

simplici intemperie ortæ, vel ex flatibus, sunt apud Guainerium & Valescum.

Ita etiam Petrus Salius Diuersus, libr. de aff. part. cap. 17. cum per nomen arthritidis intelligat omnem articulorum impeditum motum & dolorem, arthritidem à siccitate (quam nos pseudoarthritidem nominabimus) oriri putauit autoritate Hipp. lib. de internis aff. qui, vbi coxendicum dolorem à bile generari affirmauit, pariter eundem dolorem à siccitate articuli generari testatus est: per siccitatem non intelligens intemperiem siccam partium solidarum, articulum ipsum constituentium, videlicet, ossium, ligamentorum & tendinum, sed consumptionem eius glutinosæ humiditatis, qua naturaliter nutritur, & ad faciliorem motum subungitur articulus ipse. Talem humorem continue natura articulis subministrat, ne exsiccati ad motum inepti reddantur. Cum autem (inquit Salius) contigerit humiditatem hanc, aliqua ex causa, quæcunq; ea extiterit exsiccari, tunc articuli motus impeditur, difficultasque in motu ac dolor vnà succedit. Huiusmodi affectum, si in coxæ articulo fiat, vocat libro citato Hipp. ischiadem coxendicumve dolorem, perinde ac vocet eos, qui à fluente generantur materia. Quem eundem affectum ego, nō in solo coxæ, sed inquocunq; alio articulo gigni posse animaduerti, hincq; fieri alteram arthritidis differentiam notaui, si per arthritidem omnem articulorum dolorem, & impeditum motum intellexerimus. Consumpta enim ea humiditate, quæ ex naturæ præscripto articulos subungit & humectat, coguntur ac in vnum compinguntur articuli: vnde ad motum inepti ac impotentes redditi, dolore ex quocunque leuissimo motu cruciantur; tales articulorum dolores, in constitutionibus siccioribus Hipp. lib. 3. Aph. 16. fieri monebat. Quoniam vt docebat Galenus, in eiusdem aphorismi commentatione, immodicæ aeris siccitates articulorum humiditatem consumentes, eos ad motum difficiles ac impotentes reddunt, doloremque hinc nonnunquam inuehunt. An autem tales affectus verè sub nomine arthritidis comprehendantur, visus est negasse ibidem Galen. cum tamen rem indeterminatam reliquerit: qui cum de nominibus parum sollicitus fuerit, ideo hanc partem, quæ circa nomen arthritidis, & non circa eius essentiam versatur, neglexit. Si autem nos per arthritidem morbum in articulis à materia fluente factum intellexerimus, tales dolores ac articulorū impedimenta, sub nomine arthritidis non erunt recensendi. Si vero omnem articulorum impeditum motum ac dolorem pro arthritide accipiamus, hi proculdubio arthritidis nomine vocandi erunt. Quam sententiam Hipp. libr. cit. de aff. inter. clarè admisit, pariter coxendicum dolorem hunc, ac eum, qui à materia articulos occupante causatur, appellans. Qui dolor à sola humiditatis naturalis articulorum consumptione, non à sicca partium solidarum, vt iam dictum est, ipsum articulum constituentium, intemperie dependet: quoniam quando-

*Arthritis à siccitate.*

cunque illa naturalis humiditas abundauerit præsensq; sit, non adeo insigniter exsiccari poterunt partes articuli solidiores, vt hinc impeditus motus aut dolor succedere queat: deficiente tamen hac humiditate, ac supra modum exsiccata, nonnunquam etiam communicatur hæc exsiccatio partibus ipsis solidis: & hoc potissimùm, cùm à causa externa & valida ortum ea habuerit: hincque admodum exsiccatis supra articulum tendonibus, & partibus neruosis in hac affectione consueuerunt aliquando, vt notauit Hippoc. succedere conuulsiones, quas quandoque sequuntur & febres, quæ ratione doloris & cruciatus accenduntur. Hæc de nomine, & essentia huius affectus habet Salius: nunc causas recensens, inquit: *Quæcunque humiditatem articulorum naturalem resiccare & consumere apta sunt, ea omnia talem coxendicum dolorem, talemve arthritidem causare poterunt. Vnde & diurnum ac vehemens exercitium, sub sole factum, vt habet Hipp. libr. de aff. inter. & siccitates aeris immodicæ, vt habet libr. 3. aphor. 16. possunt esse eorundem causæ: pariter & victus exsiccans hoc idem causare poterit; quoniam hinc consumptis humiditatibus internis, etiam illæ, quæ ad articulos naturaliter defluere solent, multoties consumuntur: cuius ratione, vt recitat Hipp. qui in Æno leguminibus, (quoniam talis victus est exsiccans,) vescebantur, infirma habebant crura: & qui orobos, (quoniam hi leguminibus sicciores sunt) comedebant, genuum dolores patiebantur. Quod idem, & longæ & diuturnæ ægritudines, quæ corpus exsiccare aptæ sunt, agere poterunt; vnde videmus aliquando conualescentes, qui ex huiusmodi morbis liberati fuere, male incedere, ad omnemque motum ineptos esse: qui si etiam coguntur deambulare, non leuem articulorum præsentiunt dolorem, qui deficiente ipsorum articulorum naturali humore succedere consueuit.*

Harum omnium causarum signa de se patent. Nam omnes hæ causæ sunt præcedentes, quæ vel ex ægrotantis relatione, vel ex sola Medici inspectione nullo negotio comprehendi possunt. An autem sicuti ab externis ita ab internis causis possit talis affectio procreari, si quis quæreret, dixerim hoc pro possibili admittendum esse, cum huius humiditatis, pariter ac cuiuscunque alterius partis nil sit, quod exsiccationem impossibilem reddat: hoc tamen non ita experimento comprobatum est. Quare pro huius affectionis cognitione sufficiant ea, quæ de exterioribus causis exposuimus. De quibus hoc aduertatur, quod ex omnibus molestior ea est affectio, quæ à vehementi & diuturna exercitatione, sub sole facta, occasionem habuit. In hac enim dolores sunt multo quam in cæteris sæuiores, ac æstuosi vna cum caloris sensu existunt, sæpiusq; his superueniunt febres, aliquando & conuulsiones. Quare quod ad prognosticum, hæc erit cæteris difficilior & periculosior: reliquæ autem non ita sæuæ sunt, & minori cum discrimine affligunt ægrotantes, ac minori cum labore

ab

ab his iidem liberantur. Quæ omnes affectiones, quomodo præsentes cognoscendæ sint, superfluum esset enarrare, cum ex sola articulorum resiccatione, & compactione, omni tumore absente, ac ex sola inspectione prudenti medico patere possint. Signa prognostica arthritidis veræ sunt alia, quæ morbum præsagiunt, alia quæ curabilem vel incurabilem indicant. Præsagiunt artuum debilitas ex parentum semine contracta, si intemperantia vitæ adiuncta sit, & aliæ causæ internæ atque externæ. Mulier podagra non laborat, nisi cum menstrua defecerunt, vel sint admodum diminuta, & ipsæ in victu intemperantes. Sic puer non laborat podagra, ante vsum Veneris: & eunuchus podagra non laborat, teste Hippoc. quod ita intelligendum est, si facti sint eunuchi, cum adhuc pueri essent. Nam si cuipiam secentur testes, qui podagricus est, & intemperanter viuat, eum non credo posse à podagra liberari. Rustici in Italia rarò hunc morbum sentiunt, neque serui; in Germania aliquando: Quibus podagrici dolores instant, iis vere, & autumno magna ex parte mouentur: quoniam eo tempore redundantium humorum maior copia, & commotio. Sed nonnullis tanta est intemperantia vitæ, vel motionis humorum celeritas, & partium summa debilitas, vt non tantum semel aut bis in anno, sed ter quaterue, aut pluries eos molestent. Imo obseruati sunt aliqui menstruis fluxionibus toto vitæ tempore cruciari. Quibus vero iam instat podagra iis vt plurimum hoc peculiariter præcedit, quod non sudant, vel mingunt vt solebant. Dixit Hippoc. aph. 6. 49. Quibuscunque morbi podagrici fiunt, iis sedata in quadraginta diebus inflammatione finiunt, modo, (addit Gal. in Commento) medicus in curatione nil deliquerit, & ægri sint obedientes. Sed sciendum est, podagras pro natura humorum eas facientium citius vel tardius finiri. Nam ex bile vel sanguine ortæ citius, quam quæ ex pituita fit, terminantur. Imo ex bile, si oriatur intra septem vel quatuordecim dies, si modica sit, soluitur, vt idcirco Hipp. aphorismus mihi videatur esse intelligendus de vltimo termino, eum videlicet esse quadragesimum diem, nec veterius, ex quacunque materia podagra oriatur: non tamen negat intra hos dies multos podagra liberari. Ego tamen vsu medendi cognoui, eos, quos podagra insignis semel aut bis in anno inuadebat, ex pituita & bile non facile ante quadragesimum diem fluxionibus liberari, etsi purgantia & venæ sectio, ad inhibendam fluxionem, essent adhibita. Vel enim de lecto (vbi dolor videbatur plurimum mitigatus) surgentes, & obambulantes, aerique exponentes se, iterum in eadem parte affecta radicabantur, vel aliis nouis fluxionibus, & doloribus capiebantur. Quare nonnullis podagricis consulo, ne citius aeri se exponant, vel ad solitum cibum redeant, etiamsi omnis dolor euanuerit, antequam attigerint quadragesimum diem, vel nullus frequentior pulsus amplius animaduertatur: aut febricula leuissima, ex

*Signa prognostica.*

*Hipp. aph. sect. 4. 28. 29. 30.*

*Rustici raro podagra laborant.*

*Quæ podagræ accessionem præcedunt.*

qua sum solitus fluxiones prædicere, præsertim si vnà cum vrina spumea corona supernatare videatur. Imo moneo vt omnes podagrici in principio, per quadraginta dies, etiamsi leuis podagra fiat, curationem instituant, ne radix mali in corpore relinquatur. Aiunt nonnulli practici, in biliosa arthritide, si multum se repleat, interficit, habetque suas periodos, & non inducit spasmum. Vrina crassa alba copiosa eam quandoque indicat: febris superueniens cum crisi, vel hæmorrhoidum fluxus, vel varices. Interdum febres continuæ in arthritidem terminantur. Vnde Auicennas: *senes huic malo apti, & longas ægritudines habentes, & conualescentes maleque se gubernantes.* Chiragram citius reliquis desinere, non semper verum est. An podagra curari possit certatur sententia vulgi contra medicos. Sed dico, quod quibus intemperantia sanatur, iis quoque podagram facile sanari, modo, ex qua materia seu causa oriatur, probe cognitum sit ab eo, qui tales curat ægros. Et ideo inquit Trallianus contra eos, qui hunc morbum statuunt incurabilem. *Vbi differentiæ rectè cognoscuntur, faciles sunt curatu omnes istæ affectiones.* Notæ sunt plurium historiæ, qui vel temerario vel fortuito ac leui medicamento liberati esse dicuntur. Narrant autores, cœlo duntaxat mutato, in quibusdam desiisse podagram. *Marcus Agrippa pedum graui morbo conflictatus,* (loquor cum Plinio,) *cum dolorem eum perpeti nequiret, dummodo illo dolore careret, volebat potius vsu pedum sensuque omni carere. Demersis itaque in acetum calidum cruribus, ab eo morbo euasit. Quidam neglecto vino annuo aquæ potu vsi, eo cruciatu toto vitæ spatio liberati sunt. Tutam enim valetudinem permittit saluberrimus aquæ haustus. Vini potus largior in Creta, annorum interuallo* (*Nam vina gypso, & calce concinnant*) *etiam validissimos homines aduenas articulari morbo corripuit: qui exinde manibus pedibusque distortis nodosisque, neque calceos induere, neque manibus quid tenere potuerunt. Sed aliud exemplum subtexemus, ne podagrici desperatione valetudinis, remedia negligant. Sextus Pompeius Prætorii viri pater, Hispaniæ citerioris Princeps; cum hordeis suis ventilandis præsideret correptus dolore podagræ, mersit in triticum sese super genua, leuatusque siccatis pedibus mirabili modo, hoc postea remedio vsus est, cuius vis tanta est vt cados plenos siccet.* Hæc Plinius. Cæterum eæ podagræ, quæ iam incipiunt omnes facilè curantur, si modo purgentur diligenter per quadraginta dies cum debita victus ratione, vt omni cacochymia corpus liberetur. Alioqui relictis in leui podagra cacochymiæ reliquiis, vbi ægri se sentiunt paululum à doloribus liberos, denuo ad intemperatam vitam redeunt, atque ideo nunquam liberantur: quia quo magis accumulantur humores praui, eo sæpius eos natura cogitur expellere ad articulos, quo fit, vt primum quidem singulis duobus aut tribus annis, deinde annuatim, mox bis in anno, tandemque sæpius, articularibus morbis crucientur. Ea vero arthritis, quæ multos annos inuasit ægros, difficulter curatur, multoque magis, si ex mixtis humoribus fiat: imo in senibus mitior reddi

*Qui morbi in arthritidem terminentur.*

*An podagra sanari possit.*

*Podagrici multi sanati.*

*Podagra recens facilè curatur.*

reddi

reddi poteſt, curatur vero nunquam ſi per multos annos antea oppreſſerit. Ouidius hic canit:

*Soluere nodoſam neſcit medicina podagram.*

Quod ſane falſum eſt: vidi nodoſam podagram in ætate iuuenili, & conſiſtente curatam. Trallianus notat electuarium, quo podagricorum nodi intra annum ſunt ſoluti: at in ſenibus nodoſa perfectam curationem non admittit. Concludam igitur cum Hipp. qui in ſecundo prorhet. hæc ait: *Qui aut ſenes ſunt, aut* (legerem, &) *circa articulos callos habent, aut ærumnoſe viuunt aluo adſtricta; hi omnes ſanari non poſſunt humana arte, quantum ego noui.* Sanant quidem hos optimè dyſenteriæ, ſi ſucceſſerint; ſed & aliæ eliquationes valde proſunt, quæ ad internos locos repunt. Qui vero iuuenis eſt, necdum ſuper articulos ex callo tubercula habet, & accuratè viuit, & laboris amans eſt, & aluum bonam habet, ad obediendum medicamentis, hic ſanè, medicum prudentem nactus, ſanus fieri poterit. *Ouidii ſententia.*

Duplex in arthritide proponitur curatio, vna præſeruatiua, altera curatiua ſic dicta. In illa ſcopi ſunt cacochymiam & plethoram auferre, prohibere ne amplius hæ generentur, partium principum intemperiem corrigendo: præterea articulos laxos ac debiles corroborare, partes per quas fluit humor, anguſtas reddere & aſtringere: in hac verò, præter dictos ſcopos, fluentes etiam humores reuellere, deriuare, intercipere oportet, iamque fluxos in articulos, euacuare, dolores, ſi admodum vrgeant, mitigare. In ſumma, eædem ſunt in arthritidis curatione intentiones, quæ in quatuor tumoribus præter naturam. Inter præſidia, quæ ſunt chirurgica, venæ ſectio principem obtinet locum non ſolum ratione plethoræ, quæ non ſemper adeſt, ſed ratione doloris. Neque eſt quod Paulum ſequamur, qui ait, iam ſæpius eiuſmodi arthriticis fluxionibus conflictatos, plus noxę quam auxilii ex ſanguinis detractione ſenſiſſe, pręſertim ſi ſint corpore frigido, & debiles. Nam omni arthritidi in primis acceſſionibus ſemper venæ ſectio confert: in aliis vero pituitoſis, præſertim iam aliquoties fluxione tentatis, non item. Verum locus, in quo adminiſtrari debet, variat prout varia eſt ſpecies arthritidis, vel locus affectus diuerſus. Si enim vniuerſalis eſt per omnes corporis articulos, brachii vena media ſecanda: ſi vero pedes laborant, ſimiliter in brachio mittere ſanguinem conuenit eius lateris, cuius pes afficitur. Hoc enim melius eſt, quàm venam poplitis oppoſiti lateris, ſecundum aliquos Galeni autoritate ductos, aperire. Illa namque humores fluentes intercipiuntur & reuelluntur, hac tantum deriuantur, quemadmodum alibi plenius demonſtrabimus, contrà vulgarium medicorum receptam opinionem. Non enim habent eandem vaſorum rectitudinem, vt putant illi, cum loco affecto pes ſiniſter atque dexter. Frictiones quoque hic conueniunt, in parte eiuſdem lateris, oppoſita nempe ſuperiori, vt auertant & à pedibus reuellant fluxionem *Indicationes curatiuæ, & præſeruatiuæ.* *Venæ ſectio.* *Frictiones.*

*Cucurbitula.* nem, sintque lenes, si quando paruis euacuationibus opus habeamus: quin & cucurbitulæ hic erunt admodum necessariæ, si caput huic malo consentiat, scapulis affigantur, cum scarificatione, si corpus sanguine abundet, vel parti oppositæ, si reuellenda sit fluxio. Si vero in coxendice dolor est, vena eiusdem pedis saphena aperienda: si in humero, eiusdem brachii manus vena, vel cubiti. Si dextra manus laborat, ex sinistra vena trahatur. Si in genu sit morbus, pedis eiusdem vena aperiri potest, postquam in cubito secta sit vena eiusdem lateris, & omnis plethoræ suspicio abfuerit. Nam si in ischiade dextri lateris, vena poplitis secanda est secundum Galenum, cur non potest in gonagra pedis vena aperiri, fluxa iam materia? at si fluere incipiat, prius in cubito expediet venam tundere, deinde vero in pede, vt reuellamus & intercipiamus priori venæ sectione deriuemus & euacuemus per posteriorem.

*Cauteria.* Cauteria seu fonticuli à multis in hoc affectu commendantur, si caput vna laboret brachio sinistro infigantur, cruris verò internæ parti, vel supra genu, vel infra, si iecoris adsit caliditas. In vtroque loco commode ponitur, si à pituita, & bile oriatur, vt plerumque solet, & iam sæpius hominem inuaserit: in dolore coxendicis, vel ischiade, cruris eiusdem lateris externæ parti infra genu inuritur. Multi supra articulum fonticulo facto, ac aliquandiu detento aperto, sanitatem pristinam sunt adepti. Admoto etiam iis caustico parti internæ poplitis, qui gonagra molestabantur, ab acri fluxione liberati sunt, euacuata per vlcus ea materia. Quo fit, vt non incommodè vesicatoria his partibus ad-

*Vesicatia.* hibeantur. Trallianus ad podagram; *vbi initio,* inquit, *videris pedes inflammari, allium leuigatum quotidie ipsis inducito, non soluens donec fuerint exulcerati: deinde vrinæ pueri impubis, quam calculis marinis candentibus accenderis, omnia iniicito, & vtitor; postea si absinthio pedes obducas, adeo efficax est; vt non amplius podagra infestet.* Purgationes erunt instituendæ, pro peccantis humoris varietate. Si enim arthritis biliosa sit, bilem purgantia erunt danda, prægresso leniente, vel ex flore cassiæ, pulpæ tamarind. vel ex syrup. rosarum laxatiuo, cum foliis senæ; vel solutiuo cum rosis pallidis infusis, permixta manna. In purgatione humorum biliosorum aduertunt practici, permiscenda esse medicamentis bilem purgantibus ea, quæ & pituitam educunt. Quod tamen non video esse necessarium, cum omnia fere, quæ purgant bilem debiliter, purgent quoque pituitam. Ita præparatis prius humoribus per tres dies hoc iulepo, R. syr. de violis vnc. j. aquæ cichorei, endi-

*Præparantia.* uiæ, sonchi, vel lactucæ an. vnc. iiij. M. pro tribus dosibus; potest cum prædictarum herbarum decocto; & præberi decoctum tamarindorum, & sebesten. Vel detur per tres dies, singulo mane iusculum alteratum cichorio, endiuia, lactuca, solatro, portulaca, soncho, dente leonis, cucurbita, prunorum sebesten. Paschasius notat, in dolore magno, absq; syrupis & coctione euacuandam esse bilem,

lem, quamuis non sit turgida proprie. Nam quemadmodum, inquit, in vehementissimo dolore narcotica sunt necessaria, quæ dolorem curant, causam non auferendo: ita coactè vacuandus est humor dolorem pariens vehementem sine concoctione, quia est maius auxilium nocumento. Alioquin Aetio visum est, non esse prius euacuandum, quam acrimonia humoris humectata sit, & contemperata. Purgentur electuario de succo rosʃ. cum lenitiuo vel diacatolicone; vel si potio esse debet, R. rab. elect. dra. ij. spicæ scr. ʃ. fiat infusio in aquæ cichorei vel endiuiæ vnc. iij. colat. adde syr. rosʃ. sol. vnc. ij. diacathol. elect. de succo rosʃ. an. drach. I. s. M. F. p. Vel fiant pilulæ ex elect. de succo rosʃ. drac. ij. rab. elect. drac. I. s. cum syr. rosʃ. sol. Sed hic oritur quæstio, an in solidiori forma cōueniant medicamenta in arthritide biliosa? item, an arthritis requirat medicamenta purgantia è longinquis partibus? Quod pilulæ in purganda arthritide magis conueniant, videntur probare illi, qui existimāt in arthritide omni, quādo damus medicamenta purgantia, ea præscribenda esse, quæ ex longinquis partibus trahūt, cuiusmodi sunt, scammonium, turpetum, hermodactylus. Nā quæ in solidiori forma dantur medicamēta, ex longinquis partibus generosius trahunt, quam quæ liquida sunt. Hinc præscribunt pilulas aureas, quæ multum scammonii recipiūnt vel pil. de hermodactyl. minor. dra. I. vel scr. iiij. vel elect. de succo rosʃ. vt nos fecimus. Contra vero formam pilularum hic minus conuenire aiunt respectu materiæ peccantis, nempe bilis, quæ liquidis tutius purgatur quam solidis; deducta enim aliqua bilis sincerioris quantitate ad ventrem magis torquet ægros sua acrimonia, & siccitate, vnde requirit purgantia, quæ etiam humida sint, & actu & potestate, quantum fieri potest. Huic difficultati respondeo, quod oportet distinguere arthritidem, si coniunctum habeat symptoma doloris acerbissimi; tunc oportet post leniens, & leuiter purgans primas regiones, dare aliud medicamentum, quod ex articulis vel longinquis partibus educat. Vbi vero non est magnus dolor, qui etiam externis leniter placandus est, prius validioribus erit opus, siue sint in potione, siue in pilulis. Sed si in forma solida capiantur medicamenta, post vnam vel alteram horam aliquid iuris alterati cichoreo, endiuia, lactuca, cucurbita, superbibi potest Extat in biliosæ arthritidis magnis doloribus nobile purgans, quod dicitur hermodactylata, cuius variæ sunt descriptiones, sed hæc egregia, qua Fallopius testatur dolores gallicos optimè leniri. Datur à nonnullis in omni genere arthritidis, statim initio ad sistendam fluxionem à drach. j. ad drach. Is. summo mane è iure carnis pingui: & hæc est eius descriptio. R. hermodactyl. turpethi an. drac. iij. diagridii drach. I. s. zingiberis drach. I. mastichis dra. ʃ. sacchari drac. 6. M. fiat puluis. Eiusdem farinæ est garyocostinum Baieri, sic dictum, quod garyophyllos, & costum recipiat: R. Hermodactylorum alborum, à corticibus diligenter

*Purgantia.*

*Hermodactylata descriptio.*

 purgato-

purgatorum, diagridii an. drach. ij. costi, cumini, zingiberis, garyophyllorum an. drach. j. contusa cribrentur, & cum syrupo, facto ex melle, & vino simul coctis fiat opiata. Datur à drach. ij. ad vnc. s. cum nebulis, aut vino albo non potenti, & austero, summo mane. Admiscent auctores cuminum, masticem, zingiber, hermodactylis, quoniam teste Tralliano efficiunt, ne ii, qui hermodactylis vtuntur, crebrius fluxione, vt alioqui contingit, tententur. Alii etiam euphorbium admiscuerunt, arbitrati, hermodactylos refrigeratorium quippiam habere & narcoticum, alii id negant ob insignem eorum virtutem purgandi: sed falsum esse arbitratur Trallianus. *Omnes enim*, inquit, *qui biberunt, eo die stomachum cibis, qui offeruntur non oblectari causant. Idonea igitur sunt, quæ cumino, zingibere & pipere participant, & malitiæ ipsius, qua stomachum offendit, resistunt; sed nullum adeo, vt aloë ipsi adiecta opitulari potest.* Obseruandū est præterea, quod ego nunquam, vbi præseruari debet ab arthritide ægroti, in purgationib. vtoriis, in quibus ingreditur hermodactylus. Nō enim opus est educere humores ex iis partibus, in quas adhuc nil decidit (nisi antiqua & nodosa sit arthritis, quæ per frequentes accessiones suos habet dolorū recursus) & ideo simus cōtenti iis, quæ venas & caput, si consentit, purgant, post leues purgationes. Aliqui hic tempore accessionis abstineri volunt à præscriptis validioribus medicamentis, & non nisi leuioribus esse faciendam purgationem, vel validioribus in minori quantitate, & rectè. Nam fortes purgationes humorum copiam insignem à partibus ignobilioribus & externis, trahunt ad partes nobiliores & internas. Vnde contigit aliquando nonnullos ab insigni purgante in febrem ardentem malignam incidisse atque funestam, mirantibus amicis morbi periculum, in quo soler esse nullum. Idcirco in arthritide biliosa caute est purgandum, & (vt nonnulli rectè monent,) tempore accessionis instantis oportet necessario lenissimo medicamento ad constringendum dato, vt triphera persica, quæ lenissimè euacuat citra agitationem humorum, vti, qua re non irritetur defluxio. Atque eo etiam asseuero, me plurimos blandis medicamentis sæpe repetitis, & temperatis, vel non multum calefacientibus, curasse feliciter, quos iam defluxio in pedes & alias partes detinuerat, vt cum proba victus ratione vterentur, non amplius malum redierit. Nec mirum: non enim eum humorem, qui iam in articulos defluxerat, per purgantia tollere curaui. Etenim natura sua sponte leuioribus medicamentis paulatim ab onere & multitudine prauorum humorum, qui sunt in venis, & prima corporis regione, alleuata, insurgit ad expulsionem reliquorum sua vi expultrice, quam paulatim per omnem corporis viam molitur per sudores, & halitus factos per cutis poros, (quibus etiam discutitur materia in articulos fluxa) per vrinas: (vnde videmus eos, qui à suo paroxysmo incipiunt conualescere, copiosius mingere, quàm consueuerant, vbi vero morbus incipit, minus

*Garyocostini descriptio.*

*Purgatio in accessione periculosa.*

minus mingunt, quam potus requirit) per inteſtina in quæ maxima humorum pars per venas iterum depellitur, quæ ſi multa ſit, & confertim fluat, alui ſequitur fluxus: ſi verò modicè confluit, non ſequitur, ſed à medicamento facile depellitur, & ideo non ſunt ſemper vel ſingulis diebus præbendæ purgationes, etiamſi ſit corpus cacochymum, vt in omni arthritide fere eſſet ſolet; ſed ſingulis ferè quatuor diebus, vel pluribus, vt denuo bilioſa ac etiam pituitoſa materia, ex aliis corporis partibus ad ventrem confluxa per venas, ibi iterum colligatur in prima regione corporis. Quod autem natura vim quandam ſingularem ſemper habeat expellendi pituitam, & bilioſa excrementa per aluum ex omnibus corporis partibus, probatur exemplo infantium recens natorum, qui cum nondum quidquam comederint, copioſiſſima excrementa pituitoſa, bilioſa atque aduſta, in ventre, dum adhuc eſſent in vtero matris, collecta, ab omnibus corporis partibus, per duos vel plures dies expellunt. Quod ſi autem arthritis fuerit ſanguinea eadem purgatio decernenda, quæ bilioſæ. Sanguis enim inflammatur, & in bilem vertitur, ſerumque redditur acrius, ſi in corpore præter naturam copioſius contineatur. Itaque bilem & ſerum purgantia erunt danda. Pro pituitoſæ vero arthritidis purgatione, vomitus, ſi ægri conſtitutio ad eum apta ſit, in primis decernendus eſt, per longa interualla, modo à cibo, modo à ſtomacho vacuo; ſint autem vomitoria blanda, & tutiora, vt oxymel, prius ſine, deinde cum raphano, poſt cœnam allium ſumptum, & paruo interuallo aqua calida poſt ſumpta, vomitum facere, auctor eſt Octauius Horatianus. Nam in ventriculum à valido medicamento pituitoſus humor attractus, periculum inducere poteſt. Si valentius quæramus, proderit oxymel cum iure carnis pinguis vituli, vel pulli non ſaliti, addito oleo amygd. dulc. vel decocto hordei cum butyro recenti. Foreſtus laudat magis vomitum in iſchiatica, quàm in chiragra, propter diuerſionem magis conuenientem. Aetius etiam in bilioſa arthritide vomitum præſcripſit, cum aqua tepida, aceti exiguo, vel ſyr. acetoſo permixto. Dabuntur pillulæ de hiera cum agarico, vel aloephanginæ, & de agarico, vel aſſaieret, vel infuſione agarici in oxymelite, cum melle roſ. ſol & decoct. beton. & polypodii. Nam agaricum, teſte Plinio, facit ad articulorum dolores, ſi cum aceto mulſo pari pondere ſumatur. Alibi namque etiam ſcribit, oxymel ſumptum ſimpliciter, credi articulorum morbo conflictatis prodeſſe. Extenuentur, & detergantur per quatuor, vel quinque dies humores, melle roſ. colato, vel oxymelite, ſyrupo de beton. de ſtœchade, (ante perfectam purgationem à diureticis abſtinendo, quod notent quidam, calculo renum & veſicæ affectos, ex vſu longo diureticorum arthriticos euadere.) cum decoct. beton. florum anthos, ſaluiæ, iuæ, ſtœchados, ligni guaiaci, & aliis eorundem aromatizatis cum ſpec. diarrhodon abb. drach. s. pro ſingula doſi. Poſtea eadem

*Purgatio in ſanguinea.*

*Vomitoria in pituitoſa.*

*Lenientia in melancholica arthritide.*

dem purgantia repetantur; vel capiat pil. imperialium ſcrup. iiij. vel elect. diacnicu drach. iij. vel pillular. fœtidar. & artheticar. vel ſine ad quibus drach. j. Si fuerit melancholica arthritis, confert pro leniente dare elect. lenitiuum cum diacatoli, & trochiſ. de violis ſine ſcammonio. Si atra bilis fuerit, vel decocto epithymi, fol. ſenæ, polypod. florum cordial. fumar. lupulorum, cum ſyr. roſ. ſol.

*Præparantia.*

Præparatio fit cum ſyrup. de fumar. de ſcolopend. de ſucco bugloſſæ, vel viol. cum decocto fumar. borrag. ceterach, lupulorum, polypodii, meliſſæ.

*Purgantia.*

Purgatio fit cum diacathol. & confectione hamech, vel diaphœnico, vel fiat potio, quæ ℞. fumar. ceterach, cap. ven. meliſſæ, florum cord. an. m. s. glycirrhizæ, polypodii vuarum paſſul. an. vnc. v. coquantur in aquæ ſuff. quant. ad vnc. v. addendo in fine epithymi vnc. v. vel drach. iij. decocto per cribrum colato addantur caſſiæ fiſtulæ, vel mannæ calabr. vnc. v. confect. hamech, diaphœnic. an. drach. 1 s. ſyrupi violacei ſol. vnc. j. M. pro potu, capiat in aurora. Deinde alternis diebus, (quia hic humor eſt rebellis,) detur decoctum epithymi ad drach. ij. in ſero caprino cum drach. ij. cort. myrobal. indorum infuſorum in ſero caprino per duodecim horas, vel ſingulis diebus, per ſeptem dies, capiat decoctum hellebori nigri prædicti ad drach. j. in ſeri caprini lib. 1. cum floribus violarum, & bugloſſæ alterati. Vltimò dentur pilulæ Indæ, & artheticæ, an. ſcrup. ij. Sed raro contingit ab atra bile arthritis, plerumque ex mixtis humoribus originem trahit, & propterea mixtæ debent eſſe in purgantibus perſcribendis intentiones, hoc eſt, danda erunt medicamenta purgantia, quæ & bilem flauam, & atram, & pituitam purgent. Purgato corpore, partium principum intemperies corrigatur, ea ratione, qua in eorum morbis à practicis eſt traditum. Nonnulli ſtatim veniunt ad ea, quæ neruos, & articulos roborant, internis remediis, externis verò pugnant cum parte affecta, eius dolorem mitigando, & debilitatem corroborando: ſic ſtatim facta purgatione, accedunt ad vſum reſinæ therebinthinæ, quæ neruos mundat, aluum ſoluit, iecur, lienem, renes, pulmones, & inteſtina abſtergit, dant mane ſingulis ſeptimanis facta concoctione dra. s. cum aqua iuæ lotam, hybernis temporibus præcipue. Fernelius, *ſi humorum* (inquit) *reliquiæ ſumendis digerendæ, diſſipandæque videbuntur, in id apta erunt ſimplicia, quæ ad cerebri affectus ſupra attulimus: quandoquidem neruorum eadem, atque cerebri eſt ratio.* Propriè vero, & particulariter ad artuum dolores hæc commendantur; helenii radix, & iridis, chamæpytis, verbaſcula duo, calamẽthæ, acori radix, centaurium minus, hermodactylus in apozemata aliasve compoſitiones aptãdus. Herba chamædrys, inquit Innominatus, in puluerem tenuiſſimum redacta, cum aqua calida paregoricum doſis ſit drach. s vel j. Dioſcorides chamædryos decoctum, betonicam herbam in vino amomi, aut androſaces, aut mel decoctum cum aqua, ſuccum è centaurio minore, arthriticis aſſumpta ſubuenire di-

cit.

cit. Iuuare item & esum viperæ, de quo, & infra dicemus. Extant apud Alexandrum Trallianum, & Plinium Valerianum antidota, quibus in totum quempiam liberari promittunt ea, mane quinque vel sex horis ante cibum debent assumi per annum, cum optimo vitæ regimine. Sed in causa calida nil magis puto conuenire, experientia edoctus, quam puluerem foliorum cichorii syluestris, mense Maij collectarum, & in vmbra exiccatarum, eius datur drach. I. vel scrup. ij. cum iure carnis pulli non saliti, mane quatuor horis ante prandium, & vesperi cum vadit dormitum, vel absque cœna, vel cum cœna parca: hoc vidi in biliosa podagra, incipientes iam fluxiones ita cessasse, vt mitior paroxysmus redierit, & breuiori tempore durarit, duobus vel tribus diebus continuis assumpto. Verum in causa frigida, vel mixta ex frigidis & calidis humoribus conducent summopere antidota prædictorum auctorum, diacorallium Tralliani, Theriaca Andromachi, & Mithridatum: tum etiam antidotus alexipharmaca contra luem gallicam Fernelii, de quibus drach. j. per autumnum, & hyemem sumere satis est, superbibendo mane vnc. iiij. vel v. aquæ communis tepidæ. Antidotus podagrica nostra R. trochis. de vipera, fol. centaurii minoris, chamæpytis, betonicæ in vmbra cum charta siccatarum an. vnc. j. chamædryos vnc. ij. rad. gent. aristol. rotundæ, pœoniæ, bardanæ, an. vnc j. baccarum lauri, myrrhæ, rab. elect. spicæ nardi an. vnc. s. garyophyllorum drach. ij. in puluerem cuncta redacta, seruentur in vitro bene clauso, vel cum melle despumato, fiat electuarium ad formam opiatæ dosis in puluerem scrup. j. opiatæ drach. superbibendo aquam tepidam Hastulæ regiæ rad. drach. j. pondere potu dolores podagræ sanat Plinius. Quidam ossium humanorum cinerem, vel alterius animalis quadrupedis à drach. j. ad drach. ij. dant secundum Rhasem ex aqua: Guainerius insuper iubet chiragricum sumere ossa manus, podagricum pedum, ex syr. conuenienti: valet & puluis stomachi vulturis, vel pulmonis vulpis, sæpe bibitus ex syr. de iua, vel cichorea: verum mihi in primis placet statim à purgatione, non tantum pro curatione paroxysmorum, sed etiam pro præseruatione in posterum decoctum salsæ, chinæ, atque ligni guaiaci, alteratum cum iis, quæ & roborant partes internas, & humorum peccantium reliquias (quæ recidiuas facere consueuerunt) tollant, digerendo per sudores, ac per victum exiccando, intemperiem quoq; partium corrigant. Idcirco si bilis abundans arthritidis causa est, decoctum chinæ opitulabitur, alteratum cum cichorea, endiuia, plantagine, soncho, quibus nil eorum indendum est, quod vel neruos, vel articulos roborare dicatur: quod ea suo calore impediant iecoris refrigerationem, quæ in hoc casu procuranda est, ad prohibendum materię biliosæ regenerationem. Imo multi curati sunt solo cichoreo, vel dente leonis, vel soncho, datis eorum per quadraginta dies succis ex iure

*Cichorii syluestris folia.*

*Antidotus podagrica auctoris.*

*China decoctum.*

pulli

pulli non salito, vel concisis herbis, & ad spissitudinem pultis coctis, ac comestis pro ientaculo summo mane: quibus mire iecur ab obstructionibus & intemperie liberatum vidimus. Externis præsidiis dum sumitur simile aliquod decoctum in præseruationis cura, erunt articuli iis corroborandi, quæ mox recensebuntur. Capere decoctum poterit per triginta dies cum victu, neque admodum exsiccante, neque multum humectante, neque valde tenui. Comedat

*Victus ratio.* carnes vitulinas, vel gallinarum, & caponum assas, panem bene coctum. Quod si autem doloris necessitas, vel initio paroxysmi dum purgatur corpus, vel post purgationem, dum capitur decoctum chinæ sudorificum topicis eum mitigare postulet, fomentum cum pannis lineis sæpe sæpius renouatis, imbutis ac madidis lacte vaccino recens multo maximè proderit. Fuerunt enim podagrici, qui

*Topica.* capram in cubiculum adductam supra dolentem partem emulgeri iusserunt, cum magno leuamine, possunt & alia lacti permisceri in eundem vsum, vt far. hordei, panis medulla, oleum violaceum, ros. lumbricorum, vnguentum populeum, vt fiat cataplasma: quod fiet validius si lactucæ, semperuiui, portulacæ, cichorei, solatri folia, vel sola coquantur, vel lacti permisceantur, vna cum mucilaginibus sem. psyllii, altheæ, citoneorum, extractæ cum aqua rosarum, vel solatri, vel plantaginis, quæ mucilagines quoque per se solæ conueniunt illitæ. Sed cum admodum refrigerantibus cautè progrediendum; itidemque notandum, quod quando lac cataplasmatibus inditur ad sedandum dolorem, parumper vel nil (si fieri potest) coquatur, ne pars serosa, quæ vim habere dicitur anodynam, euanescat, vel lac fiat coctione acrius, & caseosa atque emplastica, quæ relinquitur, sua adstrictione magis noceat. Forestus sola lactis crema, oblinendo partes affectas, dolorem intensissimum mirum in modum sedauit. Idemque refert Simonem quendam Leidanum lenticulam aquæ, & flores chamomillæ decoxisse in lacte, addendo parum farinæ hordei in fine in modũ cataplasmatis, & apposuisse ad sedandum dolorem cum maximo miraculo, in progressu vero plus de farina hordei addidisse. Vtor quoque interdum Fernelii fomento, ad podagræ chiragræque dolores, præscripto ex aquis stillatitiis rosarum, plantag. solatri cum aceti quadrante, quod reprimit fluxiones, & collectam materiam quodammodo discutit. Plinius radicem cucumeris podagricis decoquit in aceto pro præsentaneo remedio; item ramenta corticis cucurbitæ recentis ad podagram refrigerandam. Opitulatur etiam frequenti experimento oui luteum cum oleo violaceo subactum, vel aquis stillatitiis prædictarum herbarum, aut earundem succis: præterea pulpa cassiæ fistulæ cum succo solatri, vel aqua, iuxta Auicennam, æstate frigide cum pannis lineis, hyeme tepidè applicetur. Dicitur & aqua ranarum stillatitia, & oleum mirabiliter hic prodesse, tum experientia quorundam, tum Plinii authoritate; qui libr. 32. scribit oleum

articularibus morbis vtilissimum esse, in quo decocta est rana, & ipsius intestina. Plinius Valerianus muscum, qui in aqua nascitur tritum & impositum commendat, & limum aquaticum cum oleo subactum. Apud Morauos Olmutienses nobile nuper hoc experimẽtum didici pro sedandis illico doloribus podagricorum. R. herbam barbicapram (quæ alias dicitur vlmaria) apud vulgum & Brunsfelsio Prinomon, ea cum suis radicibus floribusque destillatur, & in hac panni linei madefacti imponuntur podagricis, vel cum penna illinitur articulus dolens, nec mirum; adstringere enim dicitur & refrigerare; vnde articulorum calidis fluxionibus plurimum conducere poterit. Sutor quidam Viennæ natura biliosus, podagra circa magnum pedis pollicem atrociter corripitur, multis remediis frustra tentatis, tandem omni dolore liberatur cataplasmate sæpius de die renouato ex stercore vaccino recenti in sartagine cum butyro frixo, quo postea & alios ab immanibus doloribus sanauit. Dioscor. in parabilibus stercus bubulum calens, imponit podagræ; & stercus caprinum, tritum cum axungia & veteri caprillo adipe. Expertus fui fel piscis cyprini inunctum profuisse podagricis. Sed communiter in omni ferè arthritide, à quacunque causa oriatur, soleo feliciter vti (si quando potest applicari) cataplasmate ex vino & panis medulla facto. Si sit causa calida vinum rubrum capio, cui addo oleum rosaceum: si frigida vel mixta, vinum album cum puluere florum chamomeli, furfuribus bene tritis, & oleo rosaceo. Hoc autem cataplasma ex pane, & vino, non modo omnem fluxionem repellit; sed & influxum non mediocriter digerit: imo instante paroxysmo, si manibus vel pedibus applicatur prohibet chiragricam vel podagricam fluxionem, quamdiu adhibetur parti debilitatæ, vt in multis experti sumus, tum præcipue in Principe de Liechtenstein anno 1613. Barbari quidam, emplastrum cum scordeo in aceto cocto, vel mixto cum aqua, omnibus podagricis conferre scribunt. Notandum omnia ea, quæ podagricis in causa calida applicantur, ad tollendos, vel mitigandos dolores, æstate frigida, hyeme tepida esse adhibenda. Dolores autem intolerabiles, nec prædictis remediis mitigati, narcotica requirunt, cum ea tamen cautela, vt simulatque sint mitiores redditi statim à narcoticis abstineatur, quæ etiam in exigua dosi erunt præscribenda Longior enim eorum vsus & in maiori quam consueuit copia constringendo humorem influxum, ac in tophos vertens, motus articulorum perdifficiles parit & tardos, longo tempore & sensum obtusum; vnde ablato calore, calefacientibus erunt partes fouendæ, roborandæ ac siccandæ. Igitur narcotica in tali cataplasmate poterunt adhiberi, R. far. hord. vnc. iiij medullæ panis tritici vnc. ij: lactis q. s. ad ignem parum misce donec coeat ad consistentiam mellis, cui adde ol. ros. vnc. j. vitelli ouorum num. iij. opii scrup. j. cui & drach. sem, hyosciami addi potest, & scrup. s. castorei ad corrigendum

*Vlmariæ aqua stillatitia.*

*Narcotica*

M dum

dum opium, præsertim si aliquis humor pituitosus permixtus esse videatur. Rondeletius crocum imponeret: quia vbi opium vel hyoscyamus, vel mandragora ingreditur medicamentis croco corrigit. Paschasius hoc cataplasma laudat in doloribus intolerabilibus à causa calida: R. far. hord. sine furfure, medullæ panis an. p.j. fol. hyoscyami, mal. violatum an. M.j florum chamomeli, corticis papaueris albi an. p. 1. ex his decoctis fiat cataplasma, addendo oleorum lumbricorum, & papaueris an. vnc. j. opii & croci an. drach. s. quod cataplasma super folia lactucæ, supposito panno lineo distendatur, & forinsecus imponantur super cataplasma folia betæ. Post vsum horum narcotitorum vel anodynorum refrigerantium calidis fomentis, vt decocto pulegii, saluiæ, origani, calamenthæ, centaurei minoris & similium in aqua vel vino, loci dolentes irrigentur ac corroborentur, ne frigiditas nimia adhibitorum quidquam noceat. Porro arthritis, quæ est à sanguine iisdem anodynis tractatur quibus ea, quæ à bile fit, nisi quod in hac, quæ à sanguine fit, refrigerare conueniat cum minus humectantibus & relaxantibus. Vnde eligenda sunt, quæ exteriùs applicantur, refrigerantia, cum iis quæ nonnihil exsiccent & adstringant, & modice quoque discutiant, Parietaria in aqua vel posca cocta foueantur pedes. Nam huius herbæ decoctum teste Apuleio mire sanat podagram, si pedes eo foueantur. Conducet etiam cataplasma ex lacte, pane & ol. rosaceo omphacino cum succo semperuiui. Vel R. far hordei, fabarum, an. vnc. iij. coquantur in vino & aqua ad consistentiam cataplasmatis leuigati, addendo in fine ol. rosacei vn. ij. pul. fol. parietariæ drach. ij. Coquitur & aliud cataplasma ex medulla panis in posca cum oleo rosato & pul. florum chamomeli. Omnis etiam generis inflammationi conducit medulla panis aquæ frigidæ immersa, & cum oleo communi subacta in forma cataplasmatis. Emplastrum expertum apud Plinium Valerianum, quod semper nobiscum ferre possumus, R. cerussæ vnc. iij. spumæ argenti tres, ceræ punicæ sex, axungiæ porcinæ veteris colatæ lib. j. cerussam vero & spumam in thebaico mortario tamdiu teras donec in puluerem redigas, ceram autem & axungiam solues, & puluerem totum paulatim admiscebis, & leuato cacabo mittes manum, & agitabis tepidum, donec omnia soluantur, & sic in patellam fundes, vt regelet; seruenturque munde, & cum opus fuerit malaxatum oleo rosato imponatur. Neque interea dum fluit materia, supra partem dolentem applicanda sunt repercutientia & valde constringentia, præsertim in augmento doloris & inflammationis. Etenim augentur his dolores, tum quia prohibent aliquam materiæ per poros cutis expirationem, tum quia coarctant & constringunt articulorum partes sensitiuas & vasa. Conuenient hæc constringentia (quæ repercussiua barbaris dicuntur) initio inflammationis paulo supra articulum posita, vt si in pedes fluxio fiat, supra articulum pedis

*Paschasii cataplasma.*

*Anodyna in sanguinea arthritide.*

*Plinii Valeriani emplastrum.*

pedis in media tibia, si genu articulus dolere incipiat in femore. His enim locis trium vel quatuor digitorum transuersorum latitudine pannus lineus vnguento constrictiuo, vel cataplasmate, vel linimento imbutus circumcirca imponitur. Puluis constrictiuus albumine oui & aceto exceptus circumducitur. Vel cataplasma ex fructibus loti arboris, (guaiacum Patauinum dictæ apud herbarios,) nondum maturis, pyris syluestribus, malis cotoneis, sorbis, cornis aut eorundem succis, exceptis puluere myrtillorum, balaustiorum, sumach, rad. bistortæ, additis bolo armeno vel sanguine draconis far. fabarum & lentium, acacia, hypocisthide, portione aceti & olei rosacei omph. myrtillorum, cotoneorum, ne nimium & statim arescat cataplasma. Item R. boli armeni orientalis vnc. I. s. litharg. argentei vnc. s. succi mali granati acidi vel cytoneorum, aceti, ol. ros. omph. an. q. s. M. fiat linimentum forma nutriti. Cæterum vbi materia non est amplius influxa, sed quæ influxit crassior facta fuerit concoquens ac digerens cataplasma imponendum est, cum refrigerantibus castigatum, tale est R. rad. altheæ & maluæ an. vnc. ij. parietariæ, violariæ, maluæ, florum violarum, meliloti, an. m. j. coctis in aqua & contusis adde far. hordei vnc. iij. farinæ sem. lini & fœnigræci an. vnc. I. s. vitelli ouorum num. ij. ol. ros. chamæmel. an. vnc. I. s. fiat cataplasma. Post cuius vsum apponi potest diachylum simplex, vel diapalma emplastrum cum oleo amygd. dulc. vel liliorum alborum mollificatum. Alexander Trallianus articulis statim, inflammatione tentari incipientibus, cataplasma inducit, quod ex cortice mali punici & rhoe diligenter in vino coctis addita polenta & semperuiuo parat. Ad eius imitationē ex Galeno Bayerus mirabile esse dicit hoc cataplasma. R. corticum mali granati M. ij. coquantur in vino ad mollitudinem, postea R. fol. semperuiui, cymarum rubi an. M. j. contusa cribrentur & adde far. hordei non maturi, M. j. cum sufficienti quant. vini prædictæ decoctionis fiat cataplasma coctis omnibus parum: imponatur articulis æstate frigide hyeme tepide. Aucta inflammatione fouet Trallianus cerembrocho dicto fomento, quod constat ex sapæ partibus duabus, rosacei vna & ceræ modico, vt fomentum crassius efficiatur, quod excipitur lanis succidis imponiturque hyeme tepide æstate frigide. At si in profundo fuerit inflammatio nitri paululum & olei dulcis loco rosacei sapæ admiscet. Quod si dolor adhuc remanserit cataplasma imponit factum ex foliis brassicæ coctis leuigatisque diligenter, quibus fex aceti, ouorum lutea duo, & rosacei paululum adiicitur. In pituitosa arthritide post vniuersalia conuenit decoctum salsæ & ligni prout vel magis vel minus est calefaciendum & arthritis est sincerior. Nec est inconueniens decoctum radicis bardanæ, cum incidat, discutiat, sudoriferum sit, vrinas moueat. Applicatam enim foris radicem tritam podagricis succurrere, dolores sedando, testis est Dioscorides. Refert Forestus

*Repellentia.*

*Tralliani cataplasma.*

*Bayeri cataplasma.*

*Tralliani externa medicamēta.*

*Pituitosæ arthritidis remedia externa & interna.*

*Decoctum salsæ & guaiaci.*

Vastellium Pensionarium Mechliniensem cum in lecto decumberet ex doloribus articulorum, vt nulla membra mouere posset, bibisse decoctum cereuisiæ, in qua radix lappæ incocta erat; quo epoto, cum nullis remediis à medicis curari posset, plurimum minxit lotium album instar lactis, & à doloribus liberatus fuit. Rondeletius dicit se multos vindicasse ab hoc morbo, vel potione aquæ, quibus per defluxionem fiebat, & frequenti vomitu, vel purgatione per aluum. Puto aquæ potum in causa pituitosa sinceriore nullo pacto conuenire, quod concoctioni eius resistat, quæ in hoc malo est perquam necessaria: nisi calor natiuus satis vigeat, qui eam concoquat, ac per se digerat, interea dum corpus ab excrementis vacuum tenetur, quod fortassis fecit Rondeletius frequenti facto vomitu cum aqua tepida. Idem autor ad corpus humidum exiccandum dat dra. j. huius pulueris sequentis hora matutina: R. cineris priapi tauri & cranei hominis an. dra. iij. galangæ dra. j. sacchari candi dra. iij. M. deinde reuertitur ad pilulas purgantes ex agarico trochis. & rab. an. dra. ij. rad. aristol. & quinquefolii an. scrup. j. palangæ, garyophyllorum, spicæ nardi an. scrup. s. malaxentur cum succo brassicæ vel rosarum, & fiant pilulæ, de quibus capiat semel in hebdomada dra. s. vel singulis diebus pilulas duas. At instante paroxysmo abstinendum à medicamentis purgantibus, sobria victus ratione præscripta & quiete. Imo antequam instet paroxysmus per aliquot dies nempe 8. vel. 10. non esset à ratione alienum tenuem victus rationem instituere, & postea sic purgare. Quod vero spectat ad externa præsidia, si materia iam fluere ad aliquam partem incipiat, defendere eam oportet defensiuo supra articulum, in quem fluxura est, apposito, & cataplasma statim inducendum est pedibus vel manibus confectum ex pane vinoque & lixiuii modico cum portiuncula salis, vt si quæ materia leuis irrepserit, exsiccetur, discutiatur, prohibeaturque ne alia influat. Quod si verò iam fluxerit in partem, multis anodynis veluti in causa calida, non censeo esse opus, quod podagra à causa frigida non vsque adeo doleat. Sæpe arthriticis à pituita contingit, vt œdemata post dolores sedatos remaneant, quæ optimè discutiuntur fomento ex sale torrefacto sæpe renouato, quod non sinit in tophum materiam concrescere, vti Trallianus obseruauit: vel potest fieri sacculus ex sale torrefacto, milio & furfuribus, quo calido locus affectus sæpe foueatur. At si ex bile & pituita permixta sit arthritis, anodyna sint ex calidis & frigidis temperata. In podagricis doloribus, cum calore aut frigore præter naturam, Fallopius vtitur hoc emplastro, quo valde dolorem sedari scribit: R. ol. ros. chamomel. aneth. & sint lumbricata an. vnc. ij. furfurum, pul. florum chamomeli, far. hordei an. M. ij, œsyp. vnc. I s. aceti vnc. j. sapæ vnc. x. M. & coque in sartagine ad formam emplastri, quo calido locus fouetur, postea illinitur flore cassiæ. Valent etiam quorundam testimoniis hermodactyli pulueri-

*Rondeletii puluis.*

*Emplastrum Fallopii.*

zati,

zati, cum farina hordei, & vitellis ouorum, in massam redacti, quæ massa extensa super lineum pannum loco patienti calida applicetur, per modum emplastri. Æginetæ & Trallianus thymum, origanum, satureiam, calamintham in aceto acerrimo decoquunt probè, quo aceto adhuc calido affectas partes non modo semel aut iterum, sed sæpius & frequenter superinfundunt, & fouent, fatenturque permultos sanatos perfectè fuisse, quibus non modo à pituita, sed etiam à bile erat podagra infesta. At Elidæus de Padoanis, vt ex m.s. didici, in causa frigida vel mixtis humoribus biliosis & pituitosis laudat oleum myrrhæ. Ad podagram & omnem tumorem neruorum, herbæ plantaginis folia trita & cum salis modico imposita, optimè facere certum est quorundam experimentis. Ad omnem speciem podagræ aut guttæ, suffumigium cum foliis vrticæ viuæ ab aliquibus celebratur. Herba betonica decocta ad tertias, & aqua potui data, ac peræquè trita, & imposita, mirifice dolores tolli, inuenio inter experimentatores. Quantum valeant caules rubei, foliis suis ad ignem calefactis & impositis apud Forestum legitur, qui recitat nonnullos his sæpe renouatis, dolores non modo tolli vel leniri, sed & eisdem humores resolui. Oblinunt nonnulli folia prius butyro recenti & ita applicant, alii simpliciter sine vllis vnguentis. Idem Forestus hoc vnguento plurimos ab arthriticis doloribus liberatos recenset. R. stipites duos sambuci decem vel duodecim digitorum, à quibus extrahatur pulpa interior seu medulla intus latens, demum impleantur rursus crasso sale, & luto vtrinque foramina sigillentur, ne sal excidat, postea in tegula ignita sæpius circumuoluendo comburatur, & fiat puluis, cui addatur olei lauendulæ & rosacei tantum, quod sufficiat & coeat in vnguentum, quo loca affecta perungantur. *Foresti vnguentum.* Emplastrum Lucæ Medici Delphensis in arthritide ab omni causa, quanquam in frigida magis conuenire videatur. R. ficuum seu caricarum pinguium quantum volueris, contundantur & cum semine sinapios contuso, pane albissimo trito & cocto, radice lepidii. Germanicè pfefferkraut, & axungia porcina, concinnetur emplastrũ. Trallianus scribit se quẽdam nouisse, solo sinapi in frigidorum humorũ defluxionibus, dum maxime vrgerent, accessiones feliciter dolore liberasse. Admiscebat ei frequenter caricas, & cum aceto in emplastrum formabat. Sed in vsu (ad quem aliquando peruenire nos cogit pertinacia dolorum, qui interdum immutari nequeunt, nisi aliquod acrius ipsis admoueas) eiusmodi acrium vt sunt sinapi, euphorbium, cantharides, allium & alia, quibus ad phænigmos vtimur obseruandum, vt cum mollientibus permisceantur, ne tenui humore attracto, quod crassius est in articulis impingatur & relinquatur, nimiumque exassentur humores à potenti siccandi & calefaciendi virtute. Dioscorides in Parabilibus, ponit ad podagram sambuci folia cum caulibus trita, additis marrubio & adipe. Experimentum regii cuius-

dam chirurgi, inquit Mizaldus, aduersus chiragras & podagras: Habe manipulum artemisiæ, deferuefacito in oleo dulci oliuarum, donec decrescat ad tertias, & eo dolentem locum inunge, senties breui tempore dolorem sedari. Qui plura cupit, ea apud insignes practicos reperiet fere innumera: apud Dioscoridem & herbarios non pauca. Sedatis iam doloribus reliquiæ humorum sunt resoluendæ, ne in totum paulatim, præsertim ex iteratis fluxionibus, concrescant. Inter ea remedia, quæ supra podagræ & arthritidi conuenire, inter anodyna recensuimus, non pauca leuiter discutiunt mixtasq; habent vires, tum humorum reliquias dissipandi & exsiccandi, tum dolores mitigandi, vt alio non sit opus. At si iis Anodynis, quibus partes affectæ refrigerantur, ad arcendas inflammationes, & ardorem humorum compescendum, vel quæ leniunt temperant atque fouent calorem, sine humorum aliqua insigni discussione, pro humorum reliquiis absumendis, inter leuiora conueniunt ol. liliorum alborum, chamæmelinum vulpinum, cui addi potest, vt fiat validius, modicum aquæ vitæ: vel oleum irinum, vel rutaceum, lumbricorum, cum guttis aliquot spiritus terebinthinæ resinæ in causa frigidiori. Valebit etiam vnguentum anseris à Guainerio descriptum, adeps viperinus, oleum viperinum quod fit ex libr. I. ol. antiquissimi, cui incoquuntur vipera vna, cum ruthæ m. I. hoc pars affecta illinatur. Sanat integrè & est remedium Aboaly. Ex cinere cyclaminis cum aceto & melle factum emplastrum, dicitur esse mirabile: item ammoniacum cum fæce vini vel cinere caulium. Stercus caprarum cum hordei farina & oxymelite in forma cataplasmatis impositum, discutit egregie, & dissoluit etiam incipientes nodos. Cinis sarmentitius aut ex brassica cum axungia & oleo conuenienter illinitur. Nam œdemata discutit, & articulorum nodis contusionibus ac doloribus mire prodest. Experimentum Plateri & aliorum R. limacias ex cochleis demptas num. 25 granorum ebuli recentium, vel loco eorum miuam, salis q. s. in vase mundo vel vitro subtus pertuso primum ponantur limaces, tum grana ebuli cum sale, & repetatur, donec totum fuerit impositum; hoc in loco obscuro vel cella vinaria subspendes vas suppones, quod excipit liquorem, hic supra pannos lineos distentus, podagrę apponitur in declinatione, tophum non sinit succrescere, & extrahit breui ex alto humorem multum, laudatur oleum guaiaci, præsertim in lue gallica, arthritidem patiente. Ceratum quod semper ad vsus seruetur; R. ammoniaci in aceto dissoluti vnc. s. cineris caulium rubeorum, stipitum sambuci an. drach. j. sulphuris drach. s. salis scrup. j. ol. chamom. liliorum alborum an. vnc. j. ceræ flauæ vnc. I. s. M. f. ceratum. Quod si quid remanserit, inquit Mercatus, in articulis impactum, antequam ad incurabilem duritiem perueniat, vtendum diachalcitide à principio, cum modico seuo caprillo, vel oleo de cucurbita, vel postea solo, quo magis resoluat. Ad corro-

*Discutientia mitiora.*

*Oleum viperinū.*

*Oleum Guaiaci.*

corrobotandos articulos confert imprimis vſus vinaceorum, tempore vindemiarum per dies triginta; item balneum in muſto, dum adhuc feruet. Arnoldus de villa noua & Leonellus commendant epithema ex filato canabino ſeu ſtuppa in lixiuio decocta. Plinius radicem cannabis in aqua coctam, podagras & articulos cõtractos mollire ſcribit. Balneum noſtrum, quo reliquiæ humorum ex articulis auferuntur, luxatique ex fluxionibus & ligamentorum relaxatione reſtituuntur. R. lixiuii mediocris ſarmentorum vitium vel oſſium humanorum vel aliorum animalium quadrupedum in cinerem combuſtorum, vini rubei chalybeati, herbarum iuæ, chamedryos, abſynthii, ſaluiæ, centaurii minoris, florum anthos, florum roſ. rub. chamom. an. M. s. furfurum tritici M. j. bul. cuncta in vino parum, deinde cum lixiuio permiſceantur, pro balneo pedum & manuum: genu vero & humerus ſpongiis in calido balneo madefactis foueri poterunt, vel filtris (vbi minor eſt quantitas decocti pro balneo) quæ in prædicto decocto expreſſa, articulis alligantur etiam poſt balneum, vel ſine balneo. Hoc pacto etiam adminiſtratam veterem vrinam humanam mirabiliter profuiſſe vidimus abſq; balneo, ſolo fomento, etiam adhuc perſtantibus inſignibus doloribus, fortaſſis ex conſilio quorundam barbarorum, qui ſcribunt: In vrina hominis patientis, vel alterius hominis valde ſenis calefacta intingatur pannus albus non coloratus, & loco dolenti calidus applicetur. Poſſunt in calida podagra in lixiuio coqui plantaginis & rubi folia, cortices granati, balauſtium, abſynthium, ſal & nitrum, folia myrti cum vino rubro, & ſalicis cortices. Poſt hoc vngi locus poterit oleo lentiſci & myrtino, roſaceo, omphacino in calidioribus, vel vulpino & maſtichino cum ſalis modica quantitate; vel ſi cauſa ſit frigida. R. olei de lateribus, vulpini an. vnc. ij. ol. maſtichini vnc. s. M. Nonnulli decocto ſimili, quod pro balneo deſcripſimus, ſupra lapidem molarem, vel pyritem, vel ferri ſcoriam candentem inſperſo vaporem exitant, & partibus affectis ſuffumigium putant; quod pannis circumquaq; obuolutis, ne quid expiret, tamdiu applicant, donec parti affectæ ſudorẽ moueant. Atq; ego in capitaneo Ieremia, poſtquã ſudaſſet per viginti dies, cũ decocto ligni guaiaci & ſalſæ, plurimum profuiſſe vidi. Nam cum in fine curationis, à balneo, quod pedibus nimis calidũ adhibuerat, iterũ noua fluxio in pollicem maiorem ſiniſtri pedis influxiſſet, circa veſperã igne articulũ, vbi rubebat vſſi; appoſito ſtatim emplaſtro diapalma appellato & cum crederem cruſtam deceſſuram, & per vlcus materiã paulatim exiturã, nullum factum, nulla cruſta ab vſtione deceſſit, ſed tertio die tumor pollicis euanuit & cruſta, quæ exuſta erat ſicca permanſit, vt ſtatim quo vellet potuerit incedere; quod proculdubio contingit ab iſtis ſudoribus, cum vaporibus decocti roriſmarini, ſaluiæ, beton. abſynthii, centaur. min. & flor. chamomeli cũ vino & lixiuio coctorum. Dederam autem hora vna mane, antequam

*Articulos corroborantia.*

*Balneum Auctoris.*

quam assumeret decoctum sudoriferum, per multos dies meam antidotum, qua destillationes etiam sistebantur. Sed & simplex partium lotio, cum sale & vino plurimam fert opem. Item luta naturalia ex balneis qualia sunt apud Patauinos D. Petri & D. Bartholomæi post ædes, & D. Helenæ. Possunt etiam balnea parari ex thermis, quales in Italia, & aliis plurimis regionibus scaturiunt, vt thermæ S. Philippi, quæ dicuntur esse aluminosæ in villa Corosona prope Lucam, quæ sulphureæ, aluminosæ & nitrosæ esse perhibentur: prope Pisas circa montem S. Iuliani, quæ aluminosæ & sulphureæ; & aliæ in Germania & Pannonia, de quibus consule auctores, qui de hisce naturalibus balneis scripsere; possunt etiam ad horum naturæ imitationem fieri artificialia ex sale, nitro, alumine, sulphure, vel bitumine. Verum in horum balneorum vsu hodie maximus error, & præsertim in Germania committitur. Etenim iam mos inualuit, cum nonnulli ægri viderint quosdam à fluxionibus capitis, & catarrhis liberatos, articulos ex parte corroboratos, corpus à serosis & biliosis humoribus exoneratum, quod cognoscunt ex cutis rubore, qui solet per aliquot dies in vsu balnei comparere cum pruritu sæpe molesto, vt quiuis fere podagricus & arthriticus statim nulla facta corporis præparatione, vel leui purgatione adhibita, balnea naturalia & artificialia ingrediatur. Quæ sanè pessima est consuetudo. Nam etsi corpus ab aliqua humorum serosorum quantitate liberatum esse videatur, & partes corroboratæ; tamen cum partium principum intemperies non auferatur, ab horum balneorum tali vsu obstructiones viscerum, & præcipuè mesenterii & pancreatis non reserentur, articulorum venæ laxiores reddantur à tepido balneorum calore; hinc contingit vt paulo post vsum balneorum breui interuallo arthritici frequentius, & ad plures partes fluxionibus tententur, sæuioraque symptomata redeant, regeneratis denuo aliis humoribus sese commiscentibus cum iis, qui adhuc à balneo in venis erant relicti. Quocirca in arthritide vniuersali, quæ paulatim ex longo tempore repetentibus sæpius, & inualescentibus fluxionibus originem habuit, à prædictis balneis abstinerem, quod partium principum languor vix vnquam hisce restitui queat, nec etiam aliis internis auxiliis: neque etiam in arthritide biliosa tentarem eiusmodi præsidium, quod corpus, sanguinem, articulos & iecur maximè accendat: neque post purgationem solam & simplicem, quod reliquiæ prauorum humorum non semper balneis euacuentur totæ; sed in arthritide, quæ vnam vel alteram tantum partem inuasit, vt pedes vel manus vel extremos artus, vel ferè vniuersalis est, sed non antiqua, conflata ex mixtis humoribus, prædominante pituita cum multo sero, facta diligenti totius corporis purgatione, euacuatis per sudorifica & diuretica vi antidotorum maxima humorum saburra, ne quispiam ad articulos adhuc facile confluat, corroboratisque visceribus, & ob-

*Luta naturalia.*

*Balnea artificialia.*

*Error Germanorum in vsu balnei.*

& obstructione liberatis, balneis præscriptis commodè vtendum esse moneo. His conditionibus Aetius, & alii, quando arthriticis balnea commendarunt, præscribi voluerunt. Ludouicus Mercatus solui quouis balneo humores, & effeminari articulos laxioresq; reddi putat, quantumuis resolutoria aut adstringente vi polleant. Quippe plus præualere dicit aquæ humiditatem, & teporem aut calorem, ad humorum fusionem & articulorum laxitatem, quam possit aquæ aut mineralis, aut cuiusuis alterius medicamenti vis ad resoluendum. Quod sanè falsum est: monstratq; Mercatum balneis naturalibus raro vsum, forte quod in Hispania raræ sint thermæ. Existunt enim nonnulla naturalia, quæ constant ex commemoratis mineris, quæ potenter exsiccant & resoluunt, præsertim si sulphureos habeant vapores permixtos, vel naphtham, vel bitumen & nitrum. Nam & hydropicos hisce à ventris & corporis mole liberatos frequenter vidimus spatio quadraginta dierum, cum probo victu præscripto. Hoc anno 1614. Illustris Comes Philippus Rheingraff arthriticus, & multis capitis fluxionibus obnoxius, & Iohannes de Molart Consilii militaris apud Cæsarem Præses podagricus, cum balneis quibusdam chymici artificialibus ex sale, alumine, spiritu sulphuris & nitro vti vellent spatio 30. dierum bis terve vsu balnei in alui profluuium prolapsi sunt, quo multa biliosa & pituitosa reddebant. Nam etsi his venæ à tepore & humiditate balnei ampliores & patentiores redderentur, vis tamen aluminis, constringendo cutem, articulos & habitum corporis carnosum, ita fluentes humores compescebat in venis, vt ab habitu corporis ad ventrem eos, si qui à calore balnei in venis funderentur, coegerit & diarrhæam excitarit, cum tamen corpus antea satis congruenter à me esset purgatum. Sic & alius quidam cum à balneis & lutis ita corroboraretur penes articulos, antequam partium principum imbecillitati esset prospectum; post aliquot septimanas, accumulata noua materia, cum non amplius ob corroboratos nimium articulos ad imbecilles antea fluere posset, puta pedes & manus, ad interiora regressa partes nobiles inuasit, febrisque continuæ atque lethalis causam præbuit. Possunt igitur optimè exterius balneis medicatis adstringi & corroborari artus, & in iisdem superflui humores exsiccari ac discuti. Ad arthritidem calidam balneum aquæ dulcis laudarunt Trallianus, & alii docti viri post vniuersalia. Hoc tamen articuli non videntur corroborari, cum potius laxentur, sed tantum intemperies iecoris corrigi, & sanguis in venis refrigerari. Idcirco Gal. 2. Meth. cap. 20. balneum eiusmodi arthriticis maxime aduersum infert. Nam cum prius dixisset, in febribus imbecilla existente parte principe, balneum aquæ dulcis esse maioris detrimenti & periculi, subdit: *Quod si præterquam quod nulla pars princeps imbecilla sit, etiam inferioris notæ partium aliqua sit inualida, veluti podagrici pedes, & iis qui articulari vitio laborant, vniuersi corporis articuli, maxima salutis*

*Contra Mercatū.*

*Historia.*

*Alui profluuium ex balneo.*

*Balneum aquæ dulcis pro calida arthritide.*

*pars ægro comparabitur ex balneo ipsis infirmis partibus, quæ superuacua sunt excipientibus. Assolent enim nonnunquam, & citra balneum superuacanea in partes infirmas confluere, à balneo vero magis, vt potè succis ipsis per id liquatis, tum viis per quas meent patefactis. Ambo enim hæc ex moderato calore proueniant necesse est.* Hæc Galenus: Ego tamen existimo ex parte articulos balneo aquæ dulcis corroborari posse: quandoquidem ex calidis fluxionibus frequentibus contrahunt in se artus intemperiem calidam, ob quam fiunt imbecilles, & facile non modo recipiunt, sed etiem attrahunt humores in corpore mobiles. Hæc intemperies corrigi aquæ dulcis balneo potest; præterea venarum laxitas eadem constringi, si eo modo administretur, quo nos in podagricis docuit Trallianus his verbis: *balnea dulcis aquæ his conducunt: atque ea quæ vesperi adhibentur magis quam matutina. Nam post cibum maximam vim ad calidorum intemperiem corrigendam obtinent, præsertim in gracilibus, siccioribus & acrioribus corporibus. Nam in eiusmodi si quotidie balnea adhibeas non eis nocebis, sed plurimum etiam adiuuabis.* At priusquam æger in calidum balnei aerem ingressurus sit, confert ei pedes aqua frigida prius irrigare. Vbi vero medium domum balnei ingressus fuerit, deinde modice sudauerit, situlæ tepidæ ei superfundentur, atque ita totum corpus hydrelæo perungi oportet. Porro balnei aerem temperatum esse conuenit, similiter & lauacri solium. Post vnctionem ex transitu, statim in calidæ solium æger ingredietur. Quod si etiam frigidam aquam influere contingat, pedes scaturigini submittat, priusquam in ipsum descendat. Egressurus rursus è thermis descendere omnino in frigidæ solium debet: etsi æstas fuerit & oblectetur, in ea natet, vestimentis autem indutus pedibus iterum aqua frigida iniiciatur. Reuersus à balneo in domum æger non statim bibat vinum, præsertim merum; sed ptisanæ cremorem aut tepidam aquam prius assumat. In medio autem prādii si æstas fuerit aquam frigidam; sin autem hyems temperatam bibat. At si hoc balneo non satis corroborati esse videantur articuli, validiora poterunt adstringentia & refrigerantia adhiberi, emplastrum diacalcitheos, cum aceto rosaceo, succus acaciæ cum posca, lycium cum croco. Quod si nodos, & tophos materia podagræ fecerit, vt solet contingere (si quando diu, & frequenter fluxione tentati sint artus) vel per se sponte à victu nimio crassos & crudos humores generante, vel à mala curatione, nempe adhibitis, magis quam decet, refrigerantibus & narcoticis, aut validis discutientibus, tenui humore exhalato, crasso & terrestri relicto in articulis atque impacto; aut præassatis humoribus à validis exsiccantibus & acribus, sine admistione eorum, quæ emolliunt, his quoque tam internis quàm externis remediis erit succurrendum. Ad rectam autem horum curationem, plurimum scire interest à quanam materia oriantur. Nam si pituitosa sit, vt plerunque est, erit excalefaciendum, & attenuandum,

*Modus administrandi balnea Tralliani.*

dum. Pro internis horum remediis proponuntur à Tralliano antidota, inter quæ duo hæc mihi maximè arrident, quod constent ex iis medicamentis, quæ haberi possunt: primæ descriptio talis est: R. centaurei vnc. v. chamædryos vnc. ix, hyperici totidem, aristolochiæ rotundæ, gentianæ, petroselini, agarici, phy-dulcis mei an. vnc. iij. spicæ nardi vnc. j. excipito melle datoque ex aqua tepida. Alterius antidoti descriptio, quod datur ad annũ similiter, præterquam quod callos in articulis concretos summe discutit, medetur etiam articulorum capitis, stomachi, oculorum, iecoris & renum dolori vrinæque difficultati eodem Tralliano teste, qui ipsam dat Mense Ianuario diebus quinque alternatim, Februario, Martio, Aprili diebus quinque alternatim, Iulio vno die, Augusto vno die, Septembri vno die, Octobri duobus diebus alternis, Nouembri duobus diebus alternis, Decembri quatuor diebus alternis. Abstinendum est mero, carne suilla, bubula, leporina; Item brassica & sinapi & crudis omnigenis oleribus, hydrogaro. Et bene concoquat æger, qui medicamentum assumet, pedes aqua calida lauet, & oleo inungat, lactis potione abstineat. R. rapontici, agarici an. vnc. ij. phy. vnc. iij. petroselini macedonici vnc. iiij. meu totidem, hyperici vnc. vj. gentianæ totidem, aristolochiæ vnc. vij. centaurei vnc. viij. chamædryos vnc. ix. dantur viris scrup. ij. mulieribus vnus. Nouit quendam Trallianus cum tophos habere incepisset, decocto chamæpyteos & origani assumpto prohibuisse, ne alii nascerentur. Huc refer ea etiam antidota podagrica quæ superius recensuimus. Porro externa remedia sint, si nondum nodi articulorum planè gypseam aut lapideam materiam contineant, ammoniacum cum modico aceti dissolutum, vel hoc emplastrum. R. ol. oliuarũ veteris vnc. ij. lythargyri aurei præparati in tenuissimum pollinem (vel lapidis pyritis præparati secundum Diosc.) gagatis, cui inest vis emolliendi & discutiendi (& ideo podagricis medicaminibus, & acopis additur teste Dioscoride) adipis decoctionis pernæ vetustæ an. vnc. j. additur vnc. s. aceti, vbi fluxiones calidæ nodos molestare solent, coquitur in emplastrum: proderit & oleum viperinum, & lacertæ viridis, & adipes earũdem præsertim vetustiores, vel R. diachyli simpl. vnc. j. ammoniaci, galbani, bdellii, sagapeni an. dra j. ol. irini, liliorum alborum an. vnc. s, pul. ireos vnc. j. M. cogatur denuo in ceratum. Validius, quod emollit & discutit cataplasma pro duris tophis. R. rad. bryon. cucumer. agrestis, iridis, sigilli B. Mariæ crudæ an. vnc. ij. rad. altheæ, & liliorum alborum sub calidis cineribus coctarum an. num. iij. sem. vrticæ, sinapios, nasturtii an. vnc. j. trita cum adipe anserino, & oleo amyg. dul. q. s. fiat cataplasma; imponatur, facto prius fomento cum decocto altheę, maluæ, florum chamomeli, & meliloti. Ceratum excellentissimum tophos articulorum dissoluens adeo, vt neque an oborti fuerint adhuc appareat. R. aphronitri vnc. viij. therebinthinæ vnc. xij. ceræ

*Traslliani antidota.*

*Modus exhibendi Traliani antidotũ.*

*Cataplasma pro duris tophis.*

vnc.xv.olei veteris vnc.xxj. lixiuii, quo pilearii vtuntur pro lanis ſuccidis abluendis, quod etiam nonnulli Græci protoſtacton vocant vnc. vj. Hoc jubet vti Trallianus vt præſtantiſſimo. At celeberrimum eſt, & à multis hodie probatum quod ex caſeo veteri à Galeno conficitur. R. caſei veteris & acris vnc.iij. vel quantumlibet; intingatur in iuris carnis ſuillæ ſalſæ ſufficienti quantitate; mox in mortariis ſubactum piſtillo, tophis imponitur. Nam cute ſponte diſrupta abſque ſectione, articulos citra noxam, quotidie lapidibus liberans, reficit. Alii poſtea ad Galeni imitationem pedes ſuum ſalitos in aqua decoquunt in mucilaginem, cui poſtea admiſcent caſei antiqui partes duas, naſturtii puluerizati partem vnam, & ſic emplaſtrum conficiunt, quo innumeròs à ſe curatos eſſe teſtantur. Podagricorum tophis ac neruorum ſeu tendinum diſtortionibus hæc facile parabilia præſcripſit Dioſcorides: ammoniacum cum arida pice impoſitum, bdellium ieiuni ſaliua emollitum, cannabis ſyl. impoſita, ſtyrax ſaliua emollitus, ſeſamum in forma cataplaſmatis adhibitum. Æque efficax eſt hoc ceratum, quod ex tabaco conficitur, & citrinum appellatur: R. ſucci tabaci, ſeu herbæ reginæ vnc.iij. ceræ citrinæ nouiſſimæ vnc.ij. reſinæ pini vnc.1.s. reſinæ terebinthinæ vnc.j. olei myrtini q.s. M. fiat ceratum molle. Huic addantur luta emollientia & reſoluentia quorundam balneorum naturalium vt D. Petri & D. Bartholomæi in agro Patauino; quibus mane atque veſperi ſingulis vicibus per horam vel amplius calide fouentur articuli, mox aqua thermali abluuntur & imponuntur cerata & emplaſtra præſcripta, magis & minus reſoluentia & emollientia, vti requiret indicatio. Nonnulli hic validius ſtatuunt ſuffumigium ex lapide molari, quod ſcirrhoſis nodis commodè adhibetur. Prius pars nodoſa fricatur donec ſudor appareat, deinde inungitur hoc vnguento, R. ol. amygd. dulc. vnc.ij. adipis gallinæ, anatis, ol. chamomelini an. vn. j. medullæ cruris bouis, reſinæ pini an. vnc.s. ceræ flauæ drach.v. diſſoluta ad ignem fiat vnguentum, bis hæc vnctio quotidie repetatur (vno intermedio ad vnguentum, & fricandum deſtinato) donec durities adfuerit. In hoc caſu reperio etiam pretioſum hoc cataplaſma, quod præter nodos podagricorum etiam luis venereæ duras, & ſcirrhoſas collectiones diſcutit. R. ſtercoris caprini, puluerizati, farinæ hordei ſingulorum partes æquales, aceti acerrimi, & aquæ an. q.s. vt poſſit fluere; ſupra pannum lineum diſtendatur, & alligetur parti nodoſæ tam calide quam poteſt ſufferri vno die, altero vero quieſcat ab eius impoſitione; vngatur tantum aliquo emolliente, & nonnihil reſoluente, vt adipe anſerino, vel præſcripto vnguento: nec debet hoc cataplaſma renouari quo die imponitur, niſi nimium ſiccescat. Quod ſi verò gypſea materia, aut inſtar lapidis dura, vel terræ cimoliæ ſimilis (qualem in noſocomio Delphenſi notauit Foreſtus, & ego Olmutii ex articulis digitorum manus cuiuſdam pauperis effluxiſſe,

*Cataplaſ. Gal.*

*Cerati citrini deſcriptio.*

fluxisse,qua pingebat,& inscribebat parietibus) ex nodis podagricorum exeat, & vlcerati euaserint, imponatur, donec sponte claudatur vlcus, nec amplius talis materia emanet, diachylum simplex prius cum adipe anserino emollitum, deinde sine adipe; triapharmacum, vel citrinum ex tabaco. At si nodi, & tophi à nimia exustione humoris melancholici vel biliosi nati sint, vel vi acrium medicamentorum plusquam decebat calefacientium & siccantium: à cibo siccante, & calefaciente, præscriptis antidotis, aliisque omnibus, quæ corpus & humores siccant abstinendum est: mediocriter calefacientibus, & humectantibus lapidescens materia diffundenda dissoluendaque. Igitur foueatur locus decocto maluæ, altheæ, florum chamomeli, & meliloti, capitis castrati, postea lana succida imponatur. Emollit plurimum, & calefacit admodum conuenienter quod in ventriculo castrati iam iam mactati reperitur, & præsertim nutriti herbis appropriatis, si eo adhuc calente per aliquot dies partes foueantur. Victus ratio non modo ratione materiæ, sed etiam temporis remissionis dolorum pro præseruatione, & tempore paroxysmi variat. Nam podagræ à causa calida sitis & fames non admodum laudantur, dum vrgent dolores; quod hisce, & partes, & sanguis inflammetur, euadatque acrior & biliosior, biliosique famem non valde tolerent, vt in arthriticis à pituita, vel mixtis humoribus biliosis cum multa pituita. Tempore igitur dolorum à bilioso humore natorum detur ptisana hordeacea vel far. vel panis coctus in aqua cum modico butyri recentis, vel iuris carnis non valde nutrientis, vel cum semine melonum vel lacte amygd. dulcium, quali modo, & oriza coqui potest in aqua pluuiali, vt in pultem prorsus abeat, & sic condiri cum aliquo ex præscriptis, vel cum sacchari modico. Carnes in prandio assumat, vel earum contusum: imò sæpe abstinere à carnibus multum conducit arthriticis, præsertim sanguineis. Frequens enim comestio carnium generat podagram dixit Rhases duodecimo continentis: ratio est quod plus alimenti accumuletur in nostro corpore quàm partes nutriendæ requirunt, & præcipuè articuli, qui in prouectiori ætate vt iuuentute, non attrahunt tantum alimenti quantum in adolescentia & pueritia: in quibus ætatibus articuli non solum nutriebantur, sed & augebantur ac firmiores solidioresque euadebant; quod cum non amplius contingat in iuuenibus ac viris & ætate prouectioribus, inde fit vt alimentum superabundet ex nimis nutrientibus cibis, & inde in excrementum prauosque humores vel crudos commutetur. Nonnulli tempore paroxysmi concesserunt ciceres à cortice liberatos & lentes. Dantur commode carnes borragine, buglossa, beta, lactuca, vel potius endiuia, soncho, cichorea coctæ cum omphacio: etiam spinachiæ, malua, portulaca cum modicis vuis passis, & butyro recenter facto: hoc enim minus calefacit. Potus sit aqua pluuia vel fluminis in qua panis calidus lotus

est, vel maceratus, vel pars cruris bouis sine carne, & medulla cocta, vel hordei decoctum cum vuis passis & cinnamomo, vel aqua saccarata. Sitim enim sedat, & per vrinas in multis facile transit. Vnde præscribitur, & aqua coriandri. Hoc claretum etiam commendo: R. hordei mundi M j. prunorum damascenorum nume. xx. granorum berberis si subacidum potum velit vnc. IV. aquæ pluuiæ vel fluminis lib. x. bul. ad consumptionem tertiæ partis; amotis ab igne & adhuc calentibus adde cinnamomi crassiuscule incisi vnc. s. sacchari albi lib. s. cola per manicam Hippocratis. Atque hæc omnia in declinatione nonnihil immutanda, vt paulo plenior sit victus: sed vino omnino interdicatur. Auerroes dimittendum esse vinum monet quousque integre sanetur, quam sententiam nonnulli putant intelligendam esse quo tempore vrget dolor: alii vero non tantum quo vrget, sed quo debet præseruari; sane Ægineta scribit plurimos sanitatem consecutos, qui prorsus à vino abstinebant: horum alios per morbi initia liberatos; alios in posterum rarius, & minori cum dolore accessiones percepisse. Quod si autem paroxysmus abierit, victus ratio nihilominus proba est instituenda, quæ generationi materiæ calidæ, & partium principum imbecillitati opponitur, qualis est refrigerans atq; humectans iam præscripta, sed paulo plenior, præsertim si æger non cogatur decumbere, sed propter vitæ institutum mediocriter se exercere queat vel debeat. Igitur in prandio ex carnibus comedat castrati vitelli, capræ lactantis, bouis & maximè eius ventrem. Noui quosdam, inquit Trallianus, qui ita fluxione copiosissima & valde acri laborabant, maxime carnibus bubulis adiutos. Dicebant enim non amplius se continuè aut vehementer pedibus dolere, quemadmodum cum victu tenui vterentur: esse autem pedes bubulos aut ventres magis quam decoctum. Porro erat hic ætate florida, & calidior temperamento. Alibi tamen Hipp. iecur bubula carne incalescere scripsit. Aues laudantur phasiani, attagenes, perdices, gallinæ cohortales non pingues admodum, merulæ, turdi; pisces saxatiles carnis albæ atque friabilis in aqua cocti, cum pauco oleo, & paucis acribus seminibus; item testudinis, ranæ, aut viperæ caro, qua comesta noui quendam dolore coxendico liberatum, qui extractum eius per circulum destillatum assumpserat. Nam per cutim materiam ex alto pellit & discutit sudoribus. Porro coquitur cum oleo, vino, salis exiguo & anetho; sicque præparatam puto in omni arthritide conuenire. Cochleæ latæ potæ tollere dicuntur articulorum dolores, vt Plinius autor est. Ostracoderma vt pectines, chamæ, dactyli, vngues, ostrea concedi interdum poterunt; myaces articulari vtilissimi sunt, vt refert Plinius. Carnes testudinum coquuntur, eodem autore, in aquæ congio sale modice addito, ita decoctarum ad tertias partes succus articularios morbos sentientibus bibitur; eiusdem decollatæ sanguine pedes fricantur. Hordei

*Victus ratio in arthritide qualis.*

farina

farina in aqua cocta, vel tritici, vel ptisana, vel puls auenacea cum modico butyro recenti, vel iure carnis bubulæ; oua tremula commoda sunt. Inter legumina concessit Trallianus fabas virides, & siccas leuiter feruefactas: item faseolum Alexandrinum, quod puto nunc esse hareomam caramaniorum, & dora dictum, peregrinum apud nos; seritur aliquando in Italia. Hoc enim inter omnia legumina, quæ noui minus inflat, & est melioris nutrimenti; à cæteris abstinendum: fructum pomaceum bene maturum admodum dulcem, inquit Trallianus offerre consulo circa horam secundum aut tertiam; præsertim persica aut rhodacina, aut vuam duram, & non adstringentem, damascena, mala dulcia, citria purgata, & excorticata probe; quibus addo mala vinosi saporis sub cineribus cocta, & cytonea. Pyrum vero malum punicum aliaque omnia raro aut nequaquam offerre iubet. Arthriticis noxia nuces iuglandes, aut pineæ, aut amygdalæ, aut placentæ. Ex bellariis castaneas potissimum assumere voluit Trallianus. Acetum quoque in omni cibo pro condimento nocet, quod neruis, tendinibus & stomachi tunicæ sit maximè inimicum, vno aut altero cibo in prandio & cœna æger sit contentus. Varietas enim eduliorum repletionis omnisque fere fluxionis mater. Brassicam edentes, teste Plinio, liberati à podagra inueniuntur. Si æger præscriptis pro potu vti noluerit, nec vino abstinere, bibat loram, aut vinum tenue oligophorum, facile per vrinas transiens, quale in planis locis natum in Italia, & arenosis colligitur mense Iulii & Augusti ex vuis æstiuis bene maturis; in frigidiori regione ex vuis maturis montanis exprimitur mustum, cui tertia pars aquæ fluminis, (à nonnullis chalybeata) permiscetur, imponitur cadis donec bullierit per mensem, deinde obturatur orificium, ne quid expiret, & sic seruatur ad annum; alii vinum graminis extollunt: potest graminis radicis debita quantitas aquæ incoqui, quæ cum vino solet ante ebullitionem permisceri. Cur Trallianus absynthites vinum his præscripserit equidem non assequor, cum calefaciat magis, & caput grauet inducereque somnum videatur, si cum cibo sumatur. Fortassis eo fluxiones sisti autumat, quod biliosa detrahat, quæ stomacho, & aluo inhæserunt, vrinam cieat, crapulam in potu præsumptum arceat, vt de absynthio scripsit Dioscorides. Porro nil peius in hoc morbo quam bibere inter prandium, & cœnam ieiuno stomacho, & præcipue si vinum sit, quod æger bibit. Hoc enim vehementer mouet fluxiones & irritat neruos iecurq; & sanguinem calefacit. Sic & statim bibere in prandio vel cœna nō confert valetudini, sed octo vel decē bolos presumpsisse de cibo melius est. Post cœnam etiam bibere vetitū volo, ac multum quoq; bibere Arthritici à sanguine hac eadem victus ratione sunt tractandi; sed paulo tenuiori, & minus nutriente; dandaq; omnia quæ minus sanguinis generāt. At si pituita arthritidem causetur, confert his victus, adhuc tenuior, & cibi ac potus.

*Fructus arthriticis concedendi.*

*Quæ arthriticis nocua.*

*Victus ratio in pituit sa.* tus interdum abstinentia. Corporibus enim carnes humidas habentibus famem adhibere conuenit: fames enim inquit Hipp. corpora siccat. Quamobrem vbi doloribus vel fluxionibus torquentur, semel in die comedant, parum bibentes in prandio, vel si abstinere tantum à cibo nequeant, incidentia attenuantia, calefacientia & siccantia offerantur & quæ non multum alunt. Eadem etiam intermediis temporibus, quando à doloribus vacat æger, pro præseruatione porrigenda paulo pleniore victu, quæ multum nutriunt bis in die offerantur neque multa. Conuenit his imprimis orizæ succus in aqua coctæ cum saccharo & cinnamomo asperso; vel ex iure carnis porrigatur cum petroselino alterato. Carnes commemoratæ sint potius assæ quam elixæ, pisces saxatiles similiter; sed elixari quandoque poterunt cum petroselino, anetho, fœniculo, hyssopo, satureia, maiorana, serpillo, pulegio. Vuæ passæ, & cappares in aceto mulso conceduntur à pomis, pyris, prunis, persicis, cæterisque eiusmodi fructus abstineat. Aetius etiam iuglandes & pistachia concessit. Vinum bibat aliquando tenue, fuluum, maturum atque vetus, sed parce attingat. De cætero potus sit aqua cocta cum aniso, fœniculo, vuis passis, radice acori, cinnamomo; vel cereuisia tenuis, in qua baccæ lauri, vel iuniperi, vel radix lappæ vel vuæ passæ, dum adhuc recens esset vna bullierint. Extollitur hic multum aqua mulsa. Nam Mesues affectus frigidos cerebri neruorum & articulorum iuuare ait, loco vini potum tussim humidam, puris & pituitæ crassæ expectorationem, promouere, lauare, tergere, purgare, viscera, intestina & meatus vrinarios, colicis prodesse, ac calculum in viis vrinæ prohibere ne hæreat, aut generetur. Quamobrem & Plinius, mulsum dari solere veteribus articulari morbo laborantibus, memoriæ prodidit. Venere in omni arthritide abstinendum est, at in calida quam maximè, & statim à cibo; hanc ante cibum moderata corporis exercitatio iuuat, fatigatio summopere lædit, quod à lassitudinibus corpus & articuli imprimis incalescant. Vehementiora exercitia & corporis motus cum leui lassitudine iis, qui frigidis fluxionibus tentantur, iure concedantur. Caueat sibi etiam æger à forti frictione, caligis & calceis angustis, ligaturis fortibus, equitatione forti & vigiliis superfluis, somno denique post prandium. Roborant articulos, præsertim pedum, caligæ integræ strictæ ex panno infecto in cocco basico seu chermes, cum quo etiam dormiat si velit. Pro pseudoarthritidis curatione duabus satisfaciendum est indicationibus, nempe humectandi artus exsiccatos, & regenerandi naturalem eorum humiditatem. Pro his consequendis conducet (omissis in totum purgationibus, & præsertim acribus & vehementibus, ob nimiam earum exsiccandi vim, quæ articulis nocere possunt) interius victum medicamentosum, exterius balnea, fomenta, emplastra, vnguenta adhibere. Victus præscribatur, qualem biliosæ arthritidi præscripsimus;

*Pseudoarthritidis curatio.*

primus; pleniorem tamen & minus refrigerantem ſiccantemque. Sint omnia, quæ menſis apponuntur, boni ſucci, facilis concoctionis, nec multas ſuperfluitates in corpore gignentia, qualia ſunt carnes hœdi, vituli lactentis, capones, & pulli gallinacei pinguiuſculi earumque pedes: elixæ potius quam aſſæ, carnes ſuillæ recentes ſtomachis robuſtis, oua recentia ſorbilia tremula, ptiſana ex hordeo ſpelta ſeu zea, auena, farre, oriza cum iure carnium prædictarum, caſeus recens, lac recenter mulctum & potum. Potus ſit vinum tenue maturum ſubdulce, & oligophorum. Balneum aquæ dulcis alteratum radic. altheæ, & maluæ, capite caſtrati, pedibusque eius & vituli: ingrediatur æger quotidie ad minus ſemel. Exeuntem, etſi ſit ambulandi impotens, ducere tamen oportet, vt exerceantur leniter articuli, & ſic ad ipſos humiditas attrahatur; cauere tunc oportet, ne aer vel calidior ſit quam tepidus, in quo æger verſatur, vel frigidior. Nam frigus articulos conſtringendo in ipſos humorem, quem poſtulamus, illabi non ſinit, & tendines muſculorum rigidos facit, qui ad articulos confluunt: vnde ad motum fit æger ineptior. Hæc etiam vt præcaueantur conſulimus, vt æger à balneo oleis actu calidis circa articulos inungatur, quale eſt amygd. dulc. chamomelinum maſtichinum, narciſſinum, oliuarum dulce, & lumbricatum: à cæteris reſoluentibus abſtineatur. Adhiberi etiam articulis poterit emplaſtrum ex eiſdem oleis confectum cum medulla ceruina, vitulina, axungia ſuilla recenti & butyro quam recentiſſimo, additis mucilaginibus lini, altheæ & fœnigræci & cera flaua nouiſſima: præſertim ſi conuelli patientes ſe circa laborantes articulos perceperint. Tunc mulſam præbere ſatis eſt, & vino interdicere. Vbicunque à balneo abſtinuerint (inquit Petrus Salius) fomenta ex eiſdem rebus, (nempe ex quibus fit balneum) parata in vſum habeant: in quorum adminiſtratione hoc animaduertant adſtantes, vt antequam caro detumeſcat, vel hominem è balneo educant, vel fomenta remoueant; alias in his adminiſtrandis, ſuccedente humoris attracti reſolutione reſtauratio deperditæ humiditatis non eſſet ſperanda.

FINIS.

# INDEX.


A


Llantois quæ membrana. 8
Allantois vnde nomen acceperit. ib.
An reperiatur in humano fœtu. ibid.
Auctoris opinio de allantoide, quod scilicet reperiatur in humano fœtu. 9
Allantoidem in humano fœtu reperiri probatur. ibid.
Allantoidis humanæ figura qualis. ibid.
Allantoidis ouilis figura. ibid.
Allantoidis substantia. 10
Allantoidis situs & vsus qualis. ibid.
ἀλλάντα farciminis genus. 8
Amnios quæ membrana. 10
Amnios membrana vnde dicta. ibid.
Amnii varia nomina. ibid.
Amnii substantia qualis. ibid.
Amnii situs & vsus. ibid.
mulierum superstitio de Amnio vnde orta. 11
Animal sanguineum sine corde permanere non potest. 64
Antidotus podagrica auctoris describitur. 87
Anodyna in sanguinea arthritide. 90
Aphorismi cuiusdam explicatio. 5
Arteriæ vmbilicalis insertio. 18
Arteriarum vmbilicalium vsus ex mente auctoris cōtra alios omnes anatomicos multis argumētis probatur. 20.21
Arist. sententia de arteriarum vmbilicalium vsu. ibid.
Arteriarum vmbilicalium vsus ex mente auctoris proponitur. 23
Arteriæ vmbilicales cur prope cor non oriantur. ibid.
Arteriarum vmbilicalium vsus ex Gal. mente argumentis probatur. 20
Articulus quid. 68
Arthritis quid. ibid.
Arthritidis synonyma. ibid.
Arthritidis definitio. ibid.
Arthritis quæ impropriè dicta. ibid.
Articulorum imbecillitas à quibus causis proueniat. 69
Arthritis raro à simplici humore oritur. 75
Arthritidis Gallicæ signa. 76
Arthritis à siccitate quomodo fiat. 77.78
Articuli an ab internis causis exsiccari possint. 78

B

BAyeri cataplasma pro arthritide. 91
Balnea & luta naturalia pro arthritide. 96
Balnea artificialia pro arthritide. 96
Balnea in arthriticis quomodo administrari debeant ex Tralliano. 98
Balneum auctoris pro arthriticis. 95
error Germanorum in vsu Balnei. 96
Balneum quomodo profluuium alui causare possit. 97
Balneum aquæ dulcis pro calida arthritide. ibid.

C

CAput fœtus in vtero expurgatur. 26
Capitis fœtus magnitudo quem habeat vsum. 51


Capiti

*Capitis ossa in fœtu quomodo coniungantur.* 53
*Caussa coniuncta arthritidis quæ.* 69
*Cataplasma pro tophis articulorum.* 99
*Ceratum excellentissimum pro iisdem.* ibid.
*Cataplasma Galen. ex caseo describitur.* 100
*Cataplasma anodynum Paschasii describitur.* 90
*Causæ antecedentes arthritidis.* 73
*Caput & iecur fontes arthritidis.* ibid.
*Causæ externæ arthritidis quæ.* ibid.
*Capitis cur variæ sint figuræ.* 56
*Cauteria & cucurbitulæ in arthritide an administrandæ.* 82
*Chorion quæ membrana.* 7
*Chorion totum ambit fœtum.* ibid.
*Chorii nomen dupliciter accipitur.* ibid.
*Chorii qualis substantia.* 8
*Chorii verus & falsus proponitur vsus.* ibid.
*Chinæ & salsæ decoctum pro arthritide.* 87
*Cichorii Syluestris facultas in arthritide.* ibid.
*Coniunctio vasorum fœtus cum vtero ex mente auctoris.* 6
*Cotyledonum vox apud Græcos æquiuoca.* 4
*Cotyledonum nomen vasorum vteri osciliis tributum est licenter.* 5
*Colostrum quid.* 27
*Colostrum pueris dandum.* 28
*Corroborantia articulos quæ.* 86. 94
*Cutis in fœtu cur tenuis.* 48
*Cutis fœtus ab adultorum cute diuersa.* ibid.
*Curatio arthritidis.* 81

D

*Dentes quomodo generentur.* 56
*Dentes duplici constant substantia.* ibid.
*Dentes cur simul omnes non oriantur.* ibi.
*Dentes superiores cur prius nascantur.* ib.
*Differentiæ arthritidis quæ.* 68
*Discutientia in arthritide.* 94

E

*Emplastrum Fallopii anodynum.* 92
*Equinus fœtus quomodo vtero annectatur absque placenta.* 6
*Euacuatio aliqua suppressa podagram causat.* 70
*Excrementa fœtus quomodo vocentur à Græcis, & Latinis.* 25
*Excrementa fœtus crassa cur atra.* 27
*Excrementa fœtus quomodo generantur ex mente auctoris.* 25
*Excrementorum fœtus internorum vsus.* 26

F

*Ferreum cingulum in pueris herniosis cur administrare non conueniat.* 61
*Fluxio à capite & iecore in articulos quomodo fiat.* 70
*Fluxionis imminentis signa.* 72
*Fœtus in vtero non mingit.* 19
*Fœtus sanguine æque puro ac impuro nutritur.* ibid.
*Fœtus cur aliquando laqueatus nascatur.* 15
*Fœtus statim natus cur tot excrementa excernat.* 27

*Fœtus cur statim natus distinctè videre non possit.* 50
*Fœmina mare perfectior nascitur.* 59
*Fœtus sexto mense natus vitalis.* 62
*Fœtus variis in vtero morbis laborare potest.* 63
*Foresti vnguentum pro arthritide.* 93
*Frigus à calida materia quomodo oriatur.* 71
*Fructus Arthriticis concedendi.* 103

G

*GAl. auctoritates de vsu arteriarum vmbilicalium.* 20
*Gal. argumenta de vsu arteriarum vmbilicalium refutatur.* 21
*Garycostini descriptio.* 84

H

*HErodoti sententia de partibus vmbilicum constituentibus.* 13
*Hermodactylatæ descriptio.* 83
*Hermodactyli quando vsurpandi in arthriticis.* 84
*Hipp. modus in eximendis secundis.* 16
*Hippocr. auctoritates de vsu arteriarum vmbilicalium.* 19
*Hipp. sententia de purgatione capitis fœtus in vtero.* 26
*Hipp. loci de chorio explicantur.* 7

I

*INterna vteri superficies in non grauidis læuis, & lubrica est, si menses non fluunt.* 5
*Infantes statim post ortum medicamentis non sunt purgandi.* 27
*Infantium medicina vnde sumenda.* 28
*Intertrigines quomodo curandæ.* 49
*Intestinum cœcum in fœtu cur magnum.* 52
*Infantes cur trepano tractari non debeant.* 54
*Infantes cur statim nati caput erigere nequeant.* ibid.
*Infantes quomodo in cunis locandi.* 60
*Incertum est omnibus animalibus parienditempus.* 64
*Infantes post ortum cur non ambulent vt agni & vituli.* 58
*Intemperies an causa proxima arthritidis.* 69
*Indicationes curatiuæ & præseruatiuæ arthritidis.* 81

L

*LAmbdoides sutura cur locum sæpe mutet.* 54
*Lac calidius citius dentes generat.* 57
*Lenientia in melancholica arthritide.* 86
*Locus ad amputandum vmbilicum aptus.* 16
*Loci Arist. & Hipp. de cotiledonibus explicatur.* 5

M

*MAmmæ fœtus cur lac habeant.* 49
*Meatus auditorius in fœtu cartilagineus.* 54
*Modus amputandi vmbilicum.* 17
*Morbi quibus pueri qui non purgantur sunt obnoxii.* 28
*Modus inueniendi allantoidem in humano fœtu.* 9
*Mulier quæ per sexdecim menses vterum gestauit.* 62

*Narce-*

N

Narcotica quæ in doloribus articulorum administrari possunt. 89
Neruum ad vmbilici compositionem concurrere probatur. 13
Neruus ad vmbilici compositionem non concurrit ex Gal. mente. 14
Notæ boni lactis. 28
Nutrices quales eligendæ. 60

O

Os vltimo genitum. 53
Os frontis quomodo in fœtu constitutum. 57
Os ἀνώνυμον cur in adulto tria habeat nomina. 58
Ossa puerorum cur in vtero non perficiantur sicuti cæterorum animalium. ibid.
Ossa in pueris quomodo post ortum generantur ex aliorum sententia. 61
Ex auctoris sententia. ibid.
Ouillus fœtus quomodo vtero adhæreat. 4

P

Partes fœtus propriæ quæ dicendæ & quæ communes. 3
Partium externarum fœtus enumeratio. ibid.
Partium externarum synonyma. ibid.
Partus naturalis quomodo fiat. 15
Partes fœtus internæ propriæ quæ. 18
Partium fœtus diuisio. 3
Partes principes in fœtu magnæ & cur. 50
Partium communium diuisio. 48
Partus tempus incertitudo ex quibus proueniat causis ex mente aliquorum. 63
Ex mente auctoris. ibid.
Placentæ caro qualis. 5
Placenta cui annectatur. 6
Placentæ vsus secundum Arantium proponitur & reiicitur. ibid.
Ex mente auctoris. ibid.
Plinii Valeriani emplastrum pro arthritide. 90
Pituitosæ arthritidis externa, & interna medicamenta. 91
Podagra periculo non vacat. 71
Podagra cur Bacchi & Veneris fingatur filia. 73
Podagrici cur generent podagricos. ibid.
Podagrici multi sanati. 80
Præparantia & purgantia humores in biliosa arthritide. 82.83
Præparantia & purgantia in melancholica. 86
Pseudoarthritidis curatio. 104
Pulmones fœtus cur sanguine copioso nutriantur. 24
Pulmones in fœtu cur ponderosi & in natis leues. 52
Pueri cur plurimo muco abundent. 51
Pueri carent articulis. 58
Pueri cur fasciandi. 60
Pueri cur celeriter ambulent. 61
Pueri cur possint in posteriorem partem se flectere. 58
Pueri cur statim post ortum non loquantur. 57
Purgantia in sanguinea arthritide. 85

Q

Quæ obseruanda in sectione vmbilici. 16
Quomodo ligandus vmbilicus & vbi. 17

Quamdiu pueri solo lacte nutriendi. 57
Qui sint ab arthritide immunes. 79
Qui morbi in arthritidem terminentur. 80
Quæ arthriticis nocua. 103

R

REnum fœtus figura. 52
Repellentia in arthritide quomodo applicanda. 91
Rondeletii puluis pro arthriticis. 92
Rufi Ephesii opinio de allantoide. 8

S

SAlamandra comburi potest. 66
Secundæ quomodo ex vtero eximendæ. ibid.
Semen quomodo generetur. 74
Sedes humoris in arthritide. 69
Signa diagnostica arthritidis. 74
Signa causæ coniunctæ arthritidis. ibid.
Signa arthritidis sanguineæ, biliosæ & pituitosæ. ibid.
Signa atrabilaris. 75
Signa quomodo nos decipiant. 76
Signa Gallicæ. ibid.
Signa prognostica. 79
Signa accessionem venturam indicantia. ibid.
Sordium fœtus vsus ex mente aliquorum 11
Ex mente auctoris. 12
Sudor in fœtu cur ab vrina separetur. 11
Sudoris varii vsus. ibid.

T

TEmpus docendi pueros ambulare. 60
Tempus secandi vmbilicum. 16
Topica, quæ in arthritide sint administranda. 88
Tralliani cataplasma. 91

V

VAccinus fœtus quomodo vtero adhæreat. 4
Vasorum vmbilicalium qualis substantia. 13
Vana medicorum cautio in secando vmbilico. 14
Vana superstitio de nodis vmbilici. 15
Vana superstitio in amputando vmbilico. 16
Vasa thoracis in fœtu quomodo constituta. 23
Venæ vmbilicalis insertio. 18
Veterum & recentiorum opinio de arteriarum vmbilicalium vsu proponitur. 19
Veteres cur crediderunt fœtum in vtero per os alimentum capere. 25
Vesica maior ventriculo in fœtu. 52
Vertebræ puerorum spina carent. 57
Veneno interempti signa. 67
Vena in arthritide an secanda. 81
Vesicantia an administranda in arthritide. 82
Victus ratio qualis instituenda in arthritide biliosa. 88
Victus ratio in pituitosa. 104
Victus ratio extra accessionem seruanda. 102
Vlpianus cur reprehendendus. 62
Vlmariæ vires in sedandis doloribus articularibus. 89
Vmbilici vox æquiuoca. 12
Vmbilici situs. ibid.
Vmbilici longitudo & craßities quanta. ibid.

Vmbili-

INDEX.

*Vmbilicus humanus cur magnus.* 14
*Vmbilicum non habere neruum probatur.* 13
*Vmbilicus cur longus.* 14
*Vmbilicus cur in inferiorem abdominis partem inferatur.* 15
*Vmbilicalia vasa cur orto fœtu in funiculos abeant.* 18
*Vmbilicalis vena cur vnica & duæ arteriæ.* 17
*Vmbilicalis venæ insertio.* 18
*Vnde orta Anatomicorum sententia de vsu arteriarum vmbilicalium.* 24
*Vomitoria in pituitosa arthritide.* 85
*Vrachi insertio.* 18
*Vsus vmbilici multiplex.* 14
*Vsus diuersæ vasorum thoracis constitutione in fœtu secundum alios anatomicos.* 24
*Ex mente Auctoris.* ibid.

FINIS.

VIRIS GENEROSIS, MAGNIFICIS, STRENUIS

Dn. CASPARO à Schönberg/ in Pulßnitz/Braun/Gürick &c. Hæreditario: Judicii Supremi Appellationum, Dresdæ quod est, Præsidi eminentissimo, & Consilii Secretioris in Aulâ Electorali Saxonica Directori gravissimo.

Dn. WOLFGANGO à Lüttichaw/ Hæreditario in Kmehlen/Tzschornaw &c. Serenis: ac Potentissim: Elector: Saxon: Consiliario intimo, & Aulæ ejusdem Cancellario meritissimo.

Dn. FRIDERICO Metsch/ in Reichenbach & Friesen Hæreditario: Aulæ Electoralis Saxonic: Consiliario, & Protosynedrii Ecclesiastici, quod Dresdæ est, Præsidi dignissimo.

*Dominis Patronis, & Mecœnatibus suis officiosissimè colendis.*



Vemadmodum illi, qui Rebuspublicis præſunt, Viri *Generoſi*, *Magnifici*, *Strenui*, *Patroni ac Mecœnates officioſisſime colendi*: maximoperè ſolliciti eſſe ſolent, quò non tantùm eas rectè adminiſtrent & conſervent, verûm etiam conſervatas augeant ac amplificent: Ita Medicos, qui Corpori Humano, quod cum Republicâ optimè comparari poteſt, præficiuntur, ſedulò anniti decet, ut ſuam ab aliis acceptam artem non tantùm optimè exerceant, ſed & eidem quandam acceſſionem faciant, ne forte in legem naturæ communem peccent, quæ jubet, ut quilibet pro ſui ingenii menſurâ & modulo aliquid ad cōmune bonum cōferat. *Pigri eſt hominis*, inquit Quintilianus *acquieſcere in iis quæ ab aliis ſunt excogitata, ſiquidē mentis acrimoniæ nihil non humanarum rerum ſubjicitur*. Et quid quæſo etiam prodeſt, veterum ſaltem inventis uti,

non

non autem ſuis quoque ſenſibus frui, nec, an Antiquorũ placita omnia cùm veritate conſentiant, penſitare: repetimus hoc modo tantùm aliorum tradita, nos autem nihil docemus, nec quicquam ſplendoris aut utilitatis arti ſuperaddimus. Reprehenditur ſervusq; inutilis vocatur, qui talentum ſibi concreditum linteo obvolutum domi tantùm conſervavit, nec quicquam eodem negotiando lucratus fuit. Eandem reprehenſionem incurrimus cuncti, ſi ſolummodo à Majoribus nobis relicta arte contenti ſimus, ei autem nihil quicquã addere, &, quod adhuc ipſi deeſt, ſupplere ſtudeamus. Imitemur potius bonorum genitorum probè educatos filios, qui paternas facultates non tantum optimè cuſtodiunt, ſed & eaſdem ampliores faciunt, quò liberis ſuis non ſaltem aliorum bona, ſed & de propriis aliquid relinquant: Ita nihil nobis prius aut poſterius ſit, quàm ut artem Medicam à Patribus nobis relictam benè ex-

colamus, eiq; etiam de nostris aliquid adjiciamus, aut, si quid in ea meliorari potest, perficiamus. Ad quod nos non parùm instigare & incitare quoque debet tùm *Subiecti* illius dignitas, tùm *Finis* nobilitas, quæ nihil in Medicina temerè incipiendum, sed omnia consideratè agendum, &, num, quæ à Majoribus proposita fuerunt, rectè etiam proposita sint, probè perpendendum esse jubent. Non enim versamur aliorum artificum more circa *lapides, ligna, plumbum, ferrum* & similia, in quibus quisque impunè operari, & quos fortè committit errores, de facili iterum corrigere potest. Sed nostrum subjectum *Corpus Humanum est*, DEI simulachrum & Spiritus Sancti templum; quod qui vel ex malitiâ vel imperitiâ destruit, *Creatoris* nostri Imaginem destruit, *Spiritus Sancti* Fanum destruit: suam imaginem vindicabit *DEUS*; Templum suum *Spiritus Sanctus* ulciscetur. Finis quoque *Sanitas* est, quâ nil dulcius dici, nil jucundius

*Medicinæ subjectum Corpus humanum.*

*Finis Medicinæ Sanitas.*

&

& amabilius excogitari poteſt; ſcitè eam Plinius *optimum vitæ condimentum*; & alii *ſummum* hujus vitæ *bonum* indigitârunt. Summa: Sanitas DEI donum eſt non cum omnibus *Crœſi* divitiis, vel auriferi Tagi & Pactoli arenis, nec cunctis Romani Imperii opibus conferendum, quemadmodum nemo rectius, quàm ii, qui hoc DEI dono aliquandiu privati, & cum morbis conflictati fuerunt, teſtari poſſunt. Quare ut vel eam præſentem conſervemus, vel amiſſam recuperemus, nullis laboribus parcendum, ſed opera danda ſedulò, quò ejus hoſtibus, morbis nempe, occurratur, hiq; rectè cognoſcantur, eorum inſidiæ, quas corpori ſtruunt, probè indagentur, demumq; ipſi armis vel mediis hactenus uſitatis, vel aliis novis profligentur, & ê corpore expellantur. Celebratur in Hiſtoriis *Furius Camillus*, quòd Romam ab hoſtibus occupatam recuperârit, eique priſtinum vigorem reſtituerit; imò tantam inde promeruit laudem, ut alter

*Romæ Conditor* dictus fuerit. Laudatur quoque *Alexander*, quòd ſuas regiones à cunctis hoſtibus repurgaverit, neque unquam cum ipſis congreſſus fuerit, niſi prius eorum technas & fraudes probè indagaverit, & ad eas nova quaſi ſtratagemata excogitaverit, Inde etiam tantùm nomen adeptus fuit, ut *Magnus*, *Prudentiſſimus* & *Potentiſſimus* *Alexander* diceretur. Quantam igitur promerebunt laudem ii, qui vitæ humanæ hoſtes, morbos nempè, rectè cognoſcunt, cognitosque novis remediis expugnare, corpusq; ab iis repurgare docent? Nonne ceu *Apollinis* & *Aeſculapii* filii ſummo encomio digni; meritisq; honoribus & præmiis afficiendi?

*Patriarchæ an Medicinam excoluerint.*

Quamvis autem negari nequeat à condito mundo (nam & *Patriarchas* Medicinam excoluiſſe, ex *Joſepho* patet, qui *lib. 1. Antiq. Judaic. cap. 4.* refert, Sethi poſteros, cùm ex Adamo avo intellexiſſent, Mundum aliquando vel aquarũ inundatione, vel igne

ali-

aliquid damni passurum, remedia à Patribus inventa duabus columnis, quarum una conficiebatur ex latere coctili, ut igni, altera ex lapide solido & duro, ut aquæ resisteret, litteris hieroglyphicis, quæ erant animalium effigies inscripsisse, ne fortè ea interirent. Imò annon *Adamus* in Paradiso hortum colendo, rerum naturas investigando, sibiq; ex iis alimenta convenientia, humidum radicale immutabile conservantia eligendo, illam partem Medicinæ, quæ ὑγιεινὴ vocatur, & præsentem sanitatem conservare docet, excoluerit, aliis judicandum relinquo. Ejectum autem è Paradiso eundem θεραπευτικὴν exercuisse, mediaq; filiis, quibus morbos depellerent, quæsivisse, quis negaret.) ad præsens usque tempus viros gravissimos in augendâ & amplificandâ Medicinâ multùm laborasse, & egregiam quoque in eâ excolenda operam præstitisse, omnes tamen, ut ut etiam laboraverint, & quantam ei accessionem fecerint, ita eandem perficere

*Adamus an quandam Medicinæ partem excoluerit in Paradiso.*

non-

nondum valuerunt, ut perfectisſima dici poſſet; reſtat enim & nobis aliquid adjiciendum, reſtabit etiam aliquid noſtris poſteris. Non dicā quid in Anatomie, Botanice, Chymia ſeu Medicamentorum præparatione aliisq; partibus ipſi adhuc deſit, & quotidie addatur: tantum disſimulare nequeo, nondum omnium morborū naturam, cauſasq; nobis ad unguem plenè explicatas eſſe, ſed indies aliquid innoteſcere, quod rectius nos in affectuum nonnullorum cognitionem deducat, cauſasq; eorum nobis longè aliter, quàm â Veteribus factum, explicandas demonſtret clareq; ob oculos ponat.

*Medicinæ indiciis aliquid additur.*

Inter quos nondum rectè expoſitos morbos, proculdubio etiam gravisſimus ille eſt, qui *Apoplexia* dici ſolet. Nam etſi Anteceſſores noſtri de ejus generatione multa propoſuerint, tamen, ſi omnia rectè perpendantur, cum veritate & principiis Anatomicis, aliisq;, (niſi me planè mea fallit opinio,) parùm conſentire videntur. Et cum

ab eo tempore, quo in hac Academiâ docui, magis ſemper propriis, quàm alienis oculis videre allaboraverim, ( teſtabuntur id mei auditores, quibus in omnibus meis, quos legi, tractatibus, non ſemper aliorum inventa, ſed ſæpius etiam propria, abſit arrogantia dicto, propoſui ) atque in fine Anni 1618, quo rogatu cujusdam, de Apoplexiâ Diſputationem conſcriberem omniaque paulò rectius penſitans, nervorum ſolorum obſtructionem tam gravisſimi & repentini morbi cauſam non facilè conſtitui poſſe, deprehenderem: mox de alia cogitare cœpi, tandemque cerebro aliquoties inverſo & Varoliano modo diſſecto, magis ob vitalium quàm animalium ſpirituum interceptionem hunc affectum produci mihi perſuaſi, meamque ſententiam ſub veritatis incudem revocare, & publicæ ventilationi exhibere non dubitavi. Et quanquam unus vel alter eandem infringere conatus fuerit, tamen cùm ab iis nihil ſolidi, quod me ab opinione meâ dimovere

 poſſet,


possent, hactenus adductum sit, hanc ipsam Disputationem, precibus nonnullorũ motus, revidere, eamq; additâ Curatione, & ab ea Præservatione, quæ adhuc deficiebant, in hanc formam libri redigere & in publicum emittere decrevi.

Vobis autem, viri *Generosi*, *Magnifici*, *Strenui*, Patroni & Mecœnates observandiss. vobis, inquam, qui maxima domus Saxonicæ fulcra cluetis, hunc meum laborem dedicare vestroq; Nomini & Honori inscribere placuit, non tantùm propter insignes virtutes Heroicas, quæ in vobis fulgentissimi Pyropi instar mirâ luce splendent, meritaq; in Patriam innumera nulli non nota: Verùm etiam in certum gratitudinis debitæ ac demissæ observantiæ signũ & testimonium, rogans officiosissimè, eundem ut benevolis animis suscipere, &, si opus, à lividorum, maledicorumq; hominum dentibus Theoninis, linguisq; viperinis vindicare non dedignemini. Est fateor

munu-

munusculum quidem exiguum, tantisq; Heroibus planè indignum. At quando vestram humanitatē singularem, miramq; benevolentiam, quâ Litteras & Litteratos prosequimini, perpendo, vos Cœlitum non dissimiles defuturos spero, de quibus refert Pythagoras, eos non tam doni dignitatem, quàm obferentis Mentem spectare. Intuemini itaq; & Vos, Viri *Generos. Magnifici & Strenui*, non munusculum hocce meum, quod chartaceum est, sed offerentis animum, eumq; vobis commendatum habete. DEUS ter OPT. ter MAX. vos Inclutæ domus Saxonicæ columnas diutissimè incolumes servet, ad veræ Religionis tutelam, & Patriæ utibile incrementum. Dab. VVitteb.

*V. Generos.*
*& Nobil.*
*Observantissimus*
GREGORIUS NYMMANUS
Phil. & Med. D. & Profess. P.



# AD CANDIDUM LECTOREM

## PRÆFATIO.

ETSI, Candide Lector, *ab aliis sæpius rogatus fuerim, quædam de meis scriptis, quæ domi reservo plurima, in publicum emittere: tamen eò hactenus adduci non potui, ut ipsorum petitis gratificarer, magis enim mihi, quàm aliis ingenii mei tenuitas perspecta; notum etiam quàm facilè sit labi & errare; turpe autem postea sua iterum emendare, seq; non semel atque iterum, (nam quis bono viro unam vel alteram opinionem interdum immutare vitio duceret, potius ingenui candoris signum est, lapsus suos emendare, quàm in iis pertinacius perseverare) sed pluries & ubiq; ferè hallucinatum fateri necesse habere: Notum insuper quàm periculosum hoc tempore sit publicæ censuræ aliquid subjicere,* Zoilisq; *id mordicus dilacerandum objicere: nam ubique ferè ex-*

tant

*tant malevoli, quibus nihil, nisi quod ipsi faciunt, placet; quiq; interdum vel ex odio erga autorem, vel ut aliis, quibus se adglutinarunt, quorum nudâ sæpè autoritate ferociunt, adulentur, iisq; rem gratam faciant, boni viri scripta, quæ sæpius non intelligunt, dente Theonino calumniosè arrodere, inq; iis omnia, optimè etiam dicta, nigro carbone notare solent: notum deniq; quotannis ferè à tot Clarissimis Medicis præclara scripta edi, ut meis non adeò opus videatur; neq; etiam deterrimo Φιλαυτίας vitio adeò imbutus, ut, quæ loquor vel scribo, ab aliis notari & legi digna putem: paulò humilius de me sentire, mihiq; non plus, quàm decet, attribuere dudum didici, quippe non ignorans, quomodo nobismetipsis sæpè blandiamur, nostramq; scientiam, non raro autem inscitiam, interdum pro sapientiâ venditemus, & cùm nihil ferè norimus, omnia tamen nos scire opinemur, indèq; fieri, quod aliorum maculas facilè; nostros autem nævos nunquam cognoscere soleamus: tandem tamen, cum aliqui etiam mea scripta, quantulacunq; sunt, ad aliquam frugem studiosæ juventutis pervenire posse, existimarint, iis amplius obluctari nolui, sed de illis quædam evulgare constitui: Cujus mei instituti inter alias etiam causas non minima fuit hæc, quod, (ab aliis, qui mei* Cur autor jam scripta nonnulla edat.

*testes esse poterunt, prius tamen admonitus,) viderim ex meis lectionibus, quas hîc publicè studiosis ad calamum dictavi, meas speculationes plurimas, quæ mihi multum sæpe laboris cōstant, extractas, in aliorum disputationibus & libris extare, & quidem meo nomine planè suppresso. Hoc quantum mihi doleat,* amice Lector, *facilè ipse intelligere poteris. Idem fortè & ego facere potuissem, si typis ea exscribi opus fuisset; quid alij in meos labores juris habent? vel si hi illis adeò placuerunt, cur autoris nomen ipsis tantopere displicuit, eúmq; proprio honore defraudare non dubitarunt; vellem, quibus nomen meum sorduit, illi mihi & mea reliquissent. At, quod in* Mercatura *sæpius, in Litteratura quoq; interdum accidere videmus. Vt enim in illa alij nonnunquam sunt, qui laborant, alij qui labores vendunt. Artifices sæpe summi qui laborant, & egregia artificia parant, viri pauperes sunt, obscuri, aliquando vix vicinis noti: qui verò labores vendunt, Mercatores celeberrimi existunt, quorū tabernas aspectū jucundissimas & egregiè exornatas prætereuntes cum voluptate intuentur, & quomodo quivis ipsorum tot artificiis, iisq; præclaris, sufficere possit, nō parum admirantur, nesciunt enim ipsos plurima non confecisse, sed confecta ab aliis, (: quos non nominant, ut soli autores credantur, & in*

*Mercatura cum Litteratura cōparatur.*

*hono-*

*honore maneant:) accepisse, iisq́ vel planè nihil, vel nudum saltem colorem externum interdum addidisse: Ita in hac, Litteratura nempe, alii nonnunquam sunt, qui laborant, alii qui aliorum labores aut arcana promulgant; qui dies noctesq́ se macerant, & multa hinc inde magno sudore conquirunt, sæpe in obscuro latitant, nec vel fortunæ vel aliorũ, qui eos supprimunt, injuriâ facilè emergere queunt: qui autem eorum inventa edunt (:absit verò, ut hîc de omnibus dicam, Quot enim Viri præclari egregia opera ediderunt, & hodie edunt, qui cunctis honorẽ debitum relinquunt, & unicuiq; suum quod est, reddunt; quos â meis nihil offendi peramanter rogo, ut, & â plagij crimine puri, se non tangi ultrò sentient:) omnibus notissimi. Quibus non notus* Montaldus, Eustachius Rhudius, *alios jam non nominabo: & tamen hosce plurima sua ab aliis mutuatos fuisse, & interdum integra folia ex iis transscripsisse, ostendi potest. Celebris inter Medicos quoq; est* Mercatus, *neminem autem fugit hunc totam suam* Methodum Medendi *ex duobus Medicis* Italis, *Anatomiam autem ex Medico* Galló, Laurentio *nempe, exscripsisse, ita ut* Riolanus *non immeritò per jocum dicat,* Mercatum per Metempsychosin factum esse Laurentium, *ut Ennius* Homeri *ingenio animatus fuit.*

*At*

*At hi omnes, quantum, dum aliis nocere ſtudent, ſibi ipſis noceant, non cognoſcunt; tandem enim facta illorum cunctis innoteſcunt, & de autoritate eorum non parum decedit. Cùm olim Litterati, quos* Ptolomæus Muſis & Apollini *dedicaverat, ſuppreſſo nomine aliena recitarent, idq; ab* Ariſtophane *cognoſceretur, & Regi indicaretur; Rex cum illis furti agi jusſit, condemnatosq; cum ignominia dimiſit. Videant itaque, qui hoſce imitantur, ne ſimili fortè cum iis præmio afficiantur. Ego quantum in me, ubi bonorum virorum ope adjutus, horumq; inventis propriis uſus fui, quo plagii crimen evitarem, honeſtam ubique eorum mentionem feci; Benignum & ingenui pudoris plenum cum* Plinio *exiſtimans fateri, per quos profeceris, obnoxii vero & infelicis ingenii eſſe, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere; Idem & alii facere potuiſſent, ſi modò voluiſſent. Valdè invehitur in* Bauhinum Riolanus, *quod ſuis inventis uſus autoris nomen ſuppreſſerit. Jam ſi* Riolano, *cujus tamen* Bauhinus *aliquoties meminit, ita dolet, quod non ubique autoris nomen addiderit, non immeritò aliis dolebit, quod aliqui vel eorum multo labore collecta, vel propria etiam inventa uſurpârint, nunquam autem mentionem eorum adjecerint. Vereor ne læſa demum*

*Riolan. in anthopogr.*

*patientia*

*patientia furor fiat, hicque sua cum aliis repetant. Cuilibet suus relinquatur honor, sic amicitia conservari potest, ex contemtu autem nil nisi contemtus sequitur.* Thales *cum* Mandraytum Prienensem *nova quædam de sole & cœlo docuisset, hicque, quam & quantam mercedem postularet quæreret,* Thales *respondit:* hoc pro omni mercede mihi esto, ut, quoties hæc apud alios proferas, Thaletem non celes autorem, *innuens labores Litteratorum non semper argento compensari solere aut posse, sed* Honorem, *quem* Cicero *artes alere dicit, maximum eorum præmium esse. Quare cùm hisce ultimis & turbulentis temporibus, quibus Phœbus Marti, & nescio cui alii amplius, fere cedere cogitur, nostra conditio sit mediocris, id nobis unicè restat, ut si non multùm pecuniæ, tamen aliquid Famæ posteris nostris relinquere valeamus, quâ si quis nos spoliat, omnibus bonis spoliasse videtur. Sed transeant jam hæc.*

*Lipsius in opere Critico.*

*Honor artes alit.*

*Confero me ad te iterum,* amice Lector, *tibique jam alterum meum tractatum, (proxime enim de Vita Fœtus in utero dissertationem accepisti)* de Apoplexiâ *offero, in quo hujus morbi periculosissimi & acutissimi, cognitu maximè necessarij, naturam describo; ejusque causam & generationem paulò aliter, quàm ab aliis Medicis hactenus factum, expono,*

*Cur Veteres veram Apoplexiæ causam non agnoverint.*

*licet non dissimulem, quosdam quoq; veterum veritatem quasi per transennam videntes, quando Carotides arterias obstrui dixerunt, cum animalibus Spiritib9 vitales etiã in Apoplexia intercipi annuisse, nec dubito, si modò hi ex cerebri ductib9 omnib9 rectè sese expedire potuissent, quin tandem ipsam quoq; veritatem attigissent; verùm quia Anatomiæ non ita periti fuerunt, ad verum scopum pervenire nondum valuerunt, sed multa proposuerunt, quæ aliter se habere hodiè ad oculum demonstrari potest. Disputavi autem de eadem materiâ* Anno 1619. mense Februario, *quæq; hîc propono, illa ipsa Disputatio auctior quasi est. Nam cùm animadverterem, eam nonnullis placere,* Anno 1627. mense Augusto *eandem revidi, (:ob typographi autem defectum, citius edi non potuit;) quædam fusius exposui, aliorum objectionibus satisfeci, &* Curationem *unà cum* Præservatione, *quæ adhuc deerant, adjeci, omniaq; in eum ordinem, quem vides, redegi.*

*Etsi autem probè mihi perspectum, te non facilè in meam sententiam descensurum, quippe cùm illa de nervorum obstructione opinio, primo intuitu speciem aliquam veri exhibens, tam firmas & altas in Medicorum animis radices egerit, ut citius Herculi clavam, quàm iis hanc opinionem excusseris:*

*roga-*

*rogatum tamen te cupio, ne in judicando nimium præceps sis, nec mea, antequam omnia probè cognoveris, refutes, nulloq; præjudicio præoccupatus perspicias, num quæ dixi, rebus consentanea sint, an non. Non enim quod tibi, mihi, multis aut paucis placet, mox verum est,* sed quod rebus congruit. *Et cùm mea opinio non tantum principiis Medicis & Philosophicis, sed maximè etiam Anatomicis innitatur, Philosophos non tantum, sed & Anatomicos, & quidem in dissectione corporum non parùm exercitatos, horum omnium judices & Arbitros constituo, eorumq; censuræ omnia committo; qui si mihi meliora ostenderint, est quod ipsis maximas gratias referam: interim nemini hæc mea obtrudere, velut iis fidem adhibeat ullũ quasi cogere volo, sed suum cuilibet judicium relinquo liberum, quiq; ea credere renuat, faciat per me licet, quodq; ego in tanta rei obscuritate absolvere non valui, ipse suppleat, & meliora doceat, si potest.*

*Neq; etiam hoc mihi,* Lector *amice, si vir Cordatus es, vitio vertes, quod cum quibusdam bonis Viris hîc disputem. Scis enim ipse, Disputationes inter amicissimos quosq; sæpè institui, nihilq; aliud esse, quàm* amicorum colloquia, *testorq; Genium meum, me, quæ hîc proposui, non altercandi, aliosq;* *Cur autor cum aliis disputet.*

 *repre-*

*reprehendendi, ſed tantùm mea defendendi,* & Me-*dicinæ augendæ gratiâ propoſuiſſe; quid & hactenus iſtæ collationes apud quosdam effecerint facilè ipſe judicare poſſes, ſi modò velles. Et ſicut eorum, qui me antea refutarunt, amicus ſemper fui, ita ipſi viciſsim, quãvis illis ad ea, quæ mihi objecerunt, reſponderim, vinculum amicitiæ nõ laxabunt, ſed mihi arctâ neceſ-ſitate conjunctiſsimi manebunt. Quod ſi quis eo-rum â* Gratiis & Muſis *ita alienus eſſet, qui omnia in peiorem partem rapere vellet, idem & mihi de ipſo imaginarer, & neſcio quid cogitare, deq; denegata libertate philoſophica, & Imperio in* Medicina*, qua-ſi monarchico, affectato præſumere deberem: Boni benè omnia interpretabuntur, eoq; quo â me pro-fecta ſunt animo optimè accipient. Quibus etiam, ſi modò hæc ipſis placere ſenſero, brevi plura, & tandem meas quoq; tabulas Anatomicas (forte ob methodum facilem, qua, quæ de partibus dici poſſunt uno quaſi intuitu offeruntur, multis non ingratas) communicabo, Proxime autem, ut Tractatus meus* de Venis, *quem* Anno 1625. 1626. & 1627. *hic publicè legi, typis exſcribatur curabo, in quo Venas corporis omnes exactè, quantum quidem â me fieri potuit, deſcripſi, ſingulisq; membris ſuas aſsignavi, & ubi illæ oriantur, ut quoties ex ijs ma-*

*Quid autor in tractatu de Venis explicet.*

*teriam revellere, evacuare aut aliunde derivare necesse sit,* Medicus *eas mox in conspectu habeat, & unde omnes initium ducant, quibusve in locis revulsio, derivatio aut evacuatio optimè institui queat, extemplò videre possit; imò ut rectius in earum cognitionem deveniat, loca simul, ubi vel in* Vesalij, Bauhini, Plateri, Valverdæ, Remmelij, (*jam &* Casserij *addo,*) *tabulis qualibet earum depingatur annotavi, addito semper folio, quo delineetur, & charactere, quo ab iisdem signetur. Et quia venarum cognitio exacta multa præsupponit, organa sanguificationis, nempe* Epar, Lienem & Pulmonem, *nam in hoc sanguinem arteriosum præparari multis rationibus probavi & ostendi, etiā exposui: Deinde* Venas per spinalem medullam excurrentes, *ab uno vel altero Anatomico leviter saltē attactas, paulò plenius descripsi, demonstravique eas non tantùm à lumbis ad caput, aut capite ad lumbos, ut hactenus dictum fuit, sed per totam spinalem medullam, quousque illius medullæ oblongatæ caudex integer est, excurrere: Præterea* Uniones Venarum thoracis cum aliis; *imò & Venæ Portæ surculis liquidò ostendi, & quomodo thorax tum per arterias, (materia ex intercostalibus ramis in Aortam regurgitante) tum per venas varias, modo per alvum, modo per urinam, vel*

*Nova ab autore proposita. Mens. April. 1627. Mens. Octob. 1626.*

*Mens. Decemb. 1626. & mens. Januar. 1627*

Menſ. Majo. 1627. *alia loca commodè expurgari poſsit, indicavi:* Vaſorum *inſuper in* Fœtu Cordis unionis uſum alium eſſe, *quam Medici hactenus nobis expoſuerunt, ex ſuis fundamentis docui. Et cum* Hæmorrhoides 9. Auguſti 1627. Externæ, (*quæ tamen Venæ Cavæ ſurculi ſunt, atq; ab ejus* ramo Iliaco interno, & *quæ ab hoc prodit,* Vena Hypogaſtrica *dicta oritur,*) *in* Hypochondriacis & Lienoſis *utiliter quoq; fluant, quo modo juxta anum cum* Internis, *quæ à vena portæ originem ſumunt, & inteſtinum rectum interius pervadunt, anaſtomoſin faciant, & de humore Melancholico in vaſis portæ exiſtente, aliquid ſimul expurgare poſsint, manifeſtum feci.* Valvulas *inſuper venarum nec* 28. Auguſt. Anno 1626. *in Corde, nec alibi in vaſis, imò nec in Vena Azygo, omnem ſanguinis regreſſum, adeoq; ejus revulſionem ad loca oppoſita impedire, ſed ſaltem affluxum humorum vehementiorem, nonnihil moderari, & interdum refluxum eorum omnem etiam prohibere, certis obſervationibus patefeci.* Partium conſenſum 1627. Menſ. Auguſt. *alium in* ſenſus voluptuoſi communicatione, *alium in* humorum transſumtione *conſiſtere, & hunc venarum & arteriarum beneficio, illum autem à ſolis nervis proficiſci, ibidem annotavi. Alia, utpote de principio venarum; de motu ſanguinis ad partes, de ſede affectionis Hypochondriacæ, alio-*

*rumq;*

*rumq; nonnullorum morborum &c. jam omitto, hæc autem propterea hic enumerare & recensere volui, ut, si quis interea ea evulgaret, aut jam evulgasset, sciant omnes, me horum autorem esse, omniaq; publicæ docuisse & demonstrasse. Nam cum in unius vel alterius venulæ distributione ipsemet adhuc dubius sim, nec ex una vel altera observatione mox Inductio universalis facienda sit, hæcq; omnia non nisi sensibus rectius assequi, & Anatome investigari posint: operam dabo, ut à Summo Magistratu unum vel alterum cadaver adhuc ad privatam sectionem, nudamq; vasorum inquisitionem impetrare valeam, atq; in omnia exactè inquirendo, mihi & aliis rectius satisfacere queam. Et quia hisce in locis Cadavera omni tempore in promtu non sunt, neq; ullum Ordinario* Anatomico, (*nam cum jam in superiorem locum concesserim, Professio Anatomes & Botanicæ, cui ego per integrum decennium præfui,* & Vitrico Tandlero, *etiam Anatomico, varia corpora & cadavera humana dissecanti, per plures annos adstiti, imò ejus vices sæpius sustinui, nunc alii commissa & concredita) quo ipse ad publica sectionem indiget, præripiendum sit, ut nunquam præripiam, optata quædam occasio mibi exspectanda,*

*& hinc*

*& hinc adeo certum tempus, quo hunc de* Venis *tractatum in lucem emittam & evulgem præfinire non possum, eoq; magis, quod jam mihi de* Venis lacteis *& quarto vasorum Mesaraicorum genere*, â Casparo Asellio *jam descriptorum quædam addenda, & quæ ab eodem autore de venarum & arteriarum mesaraicarum, aliarumq; partium vicinarum* usu & actionibus *proponuntur, paulo accuratius perpendenda atq; omnia diligenter inquirenda sint: annitar tamen sedulo ut id quam citissime, & si modò possibile sit, futuris nundinis fieri queat. Tu interim*, Benevole Lector, *his utere, & rudiori stylo ignosce mihiq; firmam sanitatem, qua maxime opus habeo, precare, ac plurimum salve Dab: VVitteberg. 24. Febr. Anno â nato Salvatore* 1629.

*Caspar Asellius Venas Lacteas invenit.*



# INDEX CAPITUM.

Caput
I. *De Natura & Nominibus Apoplexiæ.*
II. *De Definitione Apoplexiæ.*
III. *De Apoplexiæ differentiis.*
IV. *De Signis Apoplexiæ.*
V. *Quomodo Apoplexia ab aliis morbis consimilibus distingui debeat.*
VI. *An omnis Apoplexia Hominem subitò corripiat.*
VII. *An omnes Apoplectici sensu prorsus destituantur.*
IIX. *Cur aliis Motibus abolitis in Apoplecticis respiratio remaneat.*
IX. *An in Apoplexia cor, jecur, & pulmones afficiantur.*
X. *Quodnam verum ac genuinum Morbi Apoplectici subjectum constituendum sit.*

Caput

XI. *An Cerebrum in Apoplexia, vel Temperiei, vel Compositionis ratione afficiatur.*

XII. *An obstructio ventriculorum cerebri Apoplexiæ caussa sit.*

XIII. *An obstructio medullæ oblongatæ cerebri Apoplexiæ caussa existat.*

XIV. *Veram & propriam caussam Apoplexiæ ex mente autoris exponit, spirituumq; in corpore usum ostendit.*

XV. *Quo pluribus fundamentis assertionis hujus veritas stabilitur, Et, quæ vasa in Apoplexiâ occludantur clarè demonstratur.*

XVI. *Quomodo ex Apoplexia paralysis generetur.*

XVII. *De caussis cerebri sinus occludentibus, & in specie de humoribus pituitosis.*

XVIII. *An Melancholiâ Apoplexiam producere possit.*

XIX. *An detur Apoplexia ex sanguine orta.*

XX. *An bilis flava Apoplexiam inducere possit.*

XXI. *An serosi humores Apoplexiam excitent & qua ratione id faciant.*

XXII. *An inflammatoria cerebri dispositio Apoplexiæ caussa esse possit.*

XXIII. *An vulnera capitis & cranii depressio Apoplexiam inducere valeant.*



XXIV. *An*

# GREGORII NYMMANI
VVITTEBERGENSIS PHILOS. ET MEDICINÆ DOCTOR: ET IN ACADEMIA PATRIA PROFESSOR: PUBLICI,

*De*

# APOPLEXIA
## TRACTATUS,

In quo hujus graviſsimi morbi tum curatio, tùm ab illo præſervatio perſpicuè proponitur, clareq́; demonſtratur, iſtius mali cauſſam non tam eſſe, ut vulgò docetur, nervorum obſtructionem & ſpirituum animalium interceptionem, quàm ductuum quorundam, cerebri ſpiritum vitalem vehentium præcluſionem, èjusq́; inde dependentem ſubſidentiam.



*VVITTEBERGÆ,*
Typis JOBI VVILHELMI FINCELII,
Impenſis Pauli Helvvigii Bibliopol.
*ANNO* 1629.




*Quem Sophie super astra vehit; quem laudat Hygeia*
*Quem fovet* ANATOME; *quem quoq; Flora colit.*
NYMMANVM *studuit pictor depingere; vultus.*
*Vix sed adumbravit exterioris opus.*
*Nullus enim ingenii Zeuxes tibi pinget acumen*
*Huius sed faciem publica scripta dabunt.*


I. Sommer

*Lucas Kilian Sculpsit.*

Caput.
XXIV. *An ſpirituũ animalium defectus vel perturbatio Apoplexiam cauſſare queat.*
*XXV. An à ſpiritu vitriolato & conſtringente malum Apoplecticum generetur.*
*XXVI. An à fumis & vaporibus nonnullis Apoplexia induci poſſit.*
*XXVII. De cauſſis Apoplexiæ Procatarcticis & Remotioribus.*
*XXVIII. De cauſſis humores Apoplexiam immediatè efficientes generantibus ac producentibus.*
*XXIX. Quid Paracelſiſtæ, de Apoplexiæ generatione ſentiant.*
*XXX. Num aliquando in Apoplexia reſpiratio ita ad ſenſum tollatur, ut ad eam cognoſcendam certis quibusdam ſignis opus ſit.*
*XXXI. Quando Apoplexia extincti ſepeliendi ſint.*
*XXXII. De Signis cauſſarum.*
*XXXIII. De Signis Prognoſticis, ubi, qui homines facilè vel difficulter ab Apoplexiâ & corripiantur & ab eadem liberentur, oſtenditur.*
*XXXIV. De Signis Bonum vel Malum eventum morbi denunciantibus.*

*XXXV. An*

Caput
XXXV. *An spuma in Apoplecticis certum mortis indicium præbeat.*
XXXVI. *An stertor, quem Apoplectici sæpè edunt, imminentis mortis signum sit.*
XXXVII. *An febrem Apoplexiæ supervenire bonum sit.*
XXXVIII. *An post Apoplexiam magis dextra, quàm sinistra pars paralytica fiat.*
XXXIX. *De curatione Apoplexiæ à crassis humoribus ortæ.*
XL. *De curatione Apoplexiæ à Melancholia exortæ.*
XLI. *De Curatione Apoplexiæ sanguineæ.*
XLII. *De Curatione sensuum consternationis à spirituum affectione ac conturbatione, ob flatus potissimum ex hypochondriis ascendentes.*
XLIII. *A Fulmine læsis quomodo succurrendum.*
XLIV. *Quomodo illi, qui à vaporibus metallicis, carbonum & musti exhalationibus aut aqua penè suffocati sunt, in vitam revocari debent.*
XLV. *De vocis & Loquelæ defectus curatione.*



# GREGORII NYMMANNI
## DE
# APOPLEXIA
## LIBER
## CAPUT I.
## *De Apoplexiæ Natura & Nominibus.*



Orrendus sanè & perquàm gravis corporis humani affectus est, quem vulgò *Attonitum* vocant: eo enim qui corripiuntur, nullis interdum signis aut indiciis aliis antegressis, ceu fulmine tacti subitò & ex insperato, sæpè etiam, quando cum aliis epulantur & hilari animo jocantur, concidunt, & stipitum instar, voce, (nisi quòd aliqui quasi auxilium petituri in morbi invasione clamorem edant) sensibusq; etiam omnibus ex æquo ablatis, immobiles jacent, solâ respiratione eâque valde inordinatâ & imperfectâ, & nonnunquã vix ac ne vix quidem sensibus perceptibili, remanente. Et nisi ipsis idoneis & convenientibus præsidiis maturè succurratur, à violentia morbi ilicò

*Symptomata Apoplecticorum.*

jugulantur & interficiuntur. Hinc jure merito periculosissimus hic morbus inter *κατόξεις ἀκριβῶς ἢ ἐσχάτως*, hoc est extremè & *exquisitè peracutos*, seu, ut â nonnullis quoq; vocari solent, *perperacutos* referri potest. Græci hunc affectum Ἀποπληξίην & Ἀποπληξίαν appellant, ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν, quod fortiter & graviter percutere significat. Nam qui hoc morbo afficiuntur, illicò instar victimæ ad aram unico ictu clavâ vel securi cæsæ, corruunt atque concidunt. Mos enim olim erat, ad placandos Deos ad aras animalia unico ictu percutere, ut conciderent, & quæ â victimario ita cæsa statim ex unico ictu prosternebantur, propriè *Percussa* vocabantur. A quâ similitudine postea veteres huic malo nomen imposuerunt, & Apoplexiam *Percussionem* seu *Perculsionem*, correptos verò tali affectu *Apoplecticos* & *Percussos* indigitarunt. Germani & hodie adhuc ad illam nominis derivationem respicere videntur, quando morbum hunc den Schlag appellant.

*Cur Apoplexia dicatur.*

*Quæ animalia olim percussa dicebantur.*

Galeno lib. de totius morb: temper: *κατάπληγμα* & *κατάπληξις*, *Lapsus & Attonita Concidentia* dicitur; forsan quòd repentè homines humi prosternat, eosq; sensu ac motu privet. Vel ut Mercatus tom.3.lib.1.cap.13. fol.49. id exponit, quòd

*An rectè attonitus morbus appelletur.*

citra

citra tonum corpus reddat, cum tota ſalutis ratio ſtet in tono, commenſuratione, & harmoniâ corporis ejusq; actionum. Verùm *Montanus* & alii nonnulli negant Apoplexiam *Attonitam Concidentiam*, & Apoplecticos *Attonitos* propriè vocari poſſe, cum Ναρκώτικοι ſeu ſtupidi, ſenſu & motu non prorſus orbati, verè Attoniti nominentur. Quam tædioſam & inutilem de vocabulis diſputationem impræſentiarum non faciemus noſtram, rebusq; intellectis in verbis poſſumus eſſe faciles. Sufficiat nobis hîc notaſſe, non ſolùm Galenum, ſed & alios Medicos, Apoplecticos aliquandò Attonitos & ſtupidos, vocare, licèt hujusmodi ægri ſtuporem propriè dictum in membris non habeant, ſed omnes ipſorum partes reſolutæ ſint, motuq; ac ſenſu prorſus deſtituantur.

Alii Apoplexiam etiam *Siderationem* & *Morbum Sideratum* nominant, procul dubio â convenientia, quam Apoplectici habent cum iis, qui â fulmine (quod veteres ſidus eſſe opinabantur) percuſsi ſunt, vel quòd vulgus ſibi perſuaſum habeat, morbum hunc ab irato Deo proficiſci, & per peculiare ſidus aſtrale, (ita enim loquuntur) ſeu fulmen à ſideribus ortum hominibus ob inſignia peccata commiſſa immitti. Quò procul dubio etiam *Cur Apoplexia Sideratio nuncupetur.*

mulierculæ respiciunt, quando Apoplexiam *DEI Manum* oder die Hand Gottes indigitant.

*Hippocrati & Paralysis dicitur.*

Dicitur & communiter *Paralysis universalis totius corporis*, ad differentiam particularis, quæ certas solummodò partes infestat, illisq; motum ac sensum adimit. Quamvis Hippocrates Apoplexiæ nomen & particulari paralysi nonnunquam tribuat. Sic enim 2. Prorrh: 2. fol. 80. scribit: *Τῇσι δ' ἐν ἀρχῇσι τῶν πυρετῶν, ἤν τε παραφροσύνη ἐπιγένηται, ἤν τε ἀπόπληξις τῶν μελέων τινὸς εἰδέναι τὸν ἄνθρωπον ἀπαλλύμενον*, hoc est: *Si febrium initiis delirium succedat, aut aliquod membrum sideretur, de hominis morte existimatio facienda est* &c. Et in eodem libro *siderationis linguæ* mentionem facit, quam *γλώσσης ἀποπληξίην* nominat. In coac: prænot: s. 2. fol. 182. 477. scribit: Quibus *ex vulnere corporis impotentia accidit, ii quidem febre citra rigorem obortâ sani evadunt, alioqui dextrâ aut sinistrâ parte siderantur.* In Græco habetur *ἀποπληκτικοὶ γίνονται τὰ δέξια ἢ τὰ ἀριστερά.* Item alibi loquitur: *ἀπόπληκτον αὐτῷ τὸ σκέλος ἐγένετο*, h. e: sensu & motu carens ei crus evaserat. Et 7. aphorism: 40. scribit: Si *derepentè lingua aut aliquod membrum attonitum stupeat*, (*ἀπόπληκτον* dicit) *signum est Melancho-*

*licum,*

*licum*, &c. Quæ omnia hîc obiter quaſi ob lectionem Hippocratis, ne quis aliquando Apoplexiam cum Paralyſi confundat, notare volui. Propriè enim hæc duo diſtinguenda. Nam qui Apoplectici ſunt, prorſus ſunt *Paraplectici*, at *Paralytici* ſeu *Paraplectici* non prorſus ſunt *Apoplectici*, quia non omni intelligentiâ & diſcurſu deſtituuntur, nec partes corporis univerſas ſed aliquas ſolùm reſolutas habent.

*Differentia Apoplexiæ & Paralyſeos.*

Nonnunquam tamen eidem Hippocrati Apoplexia & ἀφωνία dicta fuit, (quamvis Aphonia ipſi & alius etiam Affectus eſt, ut infra dicitur:) quemadmodũ ex lib. 4. de ratione. vict: in acut: lib: 6. aphoriſm: 51. lib. 5. aph. 5. & lib. 7. aph: 58. luculenter patet, ubi Hippocrates Apoplecticos ἀφώνους, hoc eſt, *voce carentes*, quòd repente obmuteſcant, nominat. Conſuevit enim, inquit Galenus in Comment: ad aphor: 58. l. 7. hic Autor plerumq; ex manifeſto ſymptomate τῆς ἀφωνίας ſeu vocis defectionis ita ſignificare eos, qui motum nullum voluntarium retinent, & omni ſenſu privantur, neque aliter atque attoniti ſine ullo motu proſtrati jacent.

*Apoplexia Hippocrati & ἀφωνία nominatur.*

Quibusdam Apoplexia & *Obſtupeſcentia* Item, *Stupor corporis univerſalis cum reſolutione* nun-

cupatur. Nonulli eam & *Ecplixin*, *Epiplexian*, *Astrobolian* & *Catarrhum* nominarunt. Nec desunt adhuc hodie, qui affectum hunc pro catarrhi suffocantis specie perperàm habeant.

*Gutta Paracelso vocatur.*

Theophrastus Paracelsus l.7. paragraph. cap.1. fol. 466. & qui hunc sequuntur alii, malum hoc *Guttam* indigitant, credentes, sanguinis guttam in Apoplexia è capite delabi in cor, idq; suffocare. Quam anilem & ridiculam opinionem â circumforaneis & agyrtis (quos Paracelsus tamen magnifacit, & sæpe omnibus aliis Medicinæ Doctoribus præfert, judicio perquam corrupto existimans, Medicum verum quandoq; vetulas, sagas, zingaros, rusticos, circumforaneos adire oportere, & ab iis sanandi artem discere debere, cum plus sciant, quàm omnes Academiæ Professores) hauserunt, qui in foro de hujus morbi caussâ differentes sæpe ignaræ plebi novitatis avidæ & decipi cupienti persuadent, tres in capite sanguinis guttas dependere, quarum si dextra vel sinistra decidat, dextri vel sinistri lateris paralysin fieri, si verò media ad cor prolabatur, Apoplexiam oriri, hominemq; necessariò jugulari. Unde etiam affectum hunc den Tropffen vocant. Et quando aliquem execrari dirisq; agere, aut alio modo inimicis im-

precari

precari volunt, dicunt: daß dich der Tropff erschlage: quod idem est ac si dicas: Utinam te subitò Apoplexia invaderet, & ê medio tolleret.

## CAPUT II.

### De

### *Definitione Apoplexiæ.*

EXplicatis variis Apoplexiæ nominibus, progredimur ad ejus definitionem. Ubi notandum pro duplici consideratione affectum hunc dupliciter, vel *ut morbum* vel ut *symptoma*, definiri ac describi posse. Nec magni momenti illa Medicorum controversia videtur, quâ disputant, an Apoplexia symptoma vel morbus sit. Utraque notio tam symtomatis quàm morbi ei competit, pro diverso respectu, quo sæpe consideratur. Nam si ad nudam vasorum occlusionem, & inde cerebri dependentem subsidentiam respiciamus, revera morbus est *conformationis*, & quidem vasorum & ductuum cerebri; si autem ad actiones læsas, nempe sensuum motusq; abolitionem solummodo attendamus, in symptomatum classem non inconvenienter referri potest.

*Apoplexia dupliciter considerari potest.*

*Apoplexia & Symptoma est & Morbus.*

Ut

*Ut morbus quomodo definiri possit.*

Ut morbus Apoplexia describi potest, quòd sit *occlusio vasorum & sinuum cerebri, spiritibus vitalibus ad organum functionum animalium transitum denegans & impediens, facta à re quadam, sinus & ductus illos vasorum obstruente, comprimente, aut quocunque modo occludente & obturante.*

*Definitionis explicatio,*

*Occlusio quid notet?*

*Genus*, quod in accidentali definitione formæ locum obtinet, *occlusio* est, per quam hîc non solùm obstructionem, verùm etiam compresssionem, vel quamcunq; obturationem intelligimus. Cum autem non omnis occlusio & quævis vasorum seu meatuum obturatio Apoplexia sit, motumq; & sensum in partibus aboleat, Entisq; Ens sit Accidens, hoc est, non per se subsistat, sed alteri inhæreat, additum quoque in definitione fuit *subjectum*, quod in accidentalibus definitionibus differentiæ locum obtinet, nimirum *Cerebrum*, ejusq; meatus & sinus, quæ omnia hanc occlusionem ab aliis obstructionibus, quæ in corpore nostro fiunt, distinguunt ac separant.

*Subjectũ Apoplexiæ*

*Quid per cerebrum hîc intelligendum sit.*

Per cerebrum autem, ut & hoc moneamus, non intelligimus hîc solam ejus substantiam medullosam, *sed omne id, quod in cavitate cranei continetur, adeoq; & ipsas meninges*, quæ cerebrũ incingunt ac ambiunt, in quorum vasorum occlusione potissima Apoplexiæ caussa

con-

consistit. Et cùm omne accidens suo subjecto propter aliquam caussam, â qua pendet, inhæreat, quæ omni accidentali definitioni, ne imperfecta sit, addi debet, diximus obstructionem eam fieri â re quadam cerebri & crassæ meningis vasa occludente. Quicquid enim cerebri vasa & sinus crassæ meningis occludere, comprimere, vel quocunq; modo obturare, spiritibusq; vitalibus hac ratione ad cerebrum commeatum subitò & confestim impedire potest, id omne Apoplexiā excitare aptum natum est.

*Accidentali definitioni & caussa addenda.*

Ut *Symptoma* describitur Apoplexia, quòd sit *subita & repentina omnium actionum & operationum cerebri, motûs videlicet, sensus aliarumq; functionum animalium tàm principalium quàm minùs principalium abolitio, orta â vasorum spiritum vitalem ad cerebrum vehentium obturatione & occlusione.*

*Ut Symptoma quomodo describ:*

Quæ definitio cùm essentiam ac naturam Apoplexiæ nobis luculenter ac manifestò ante oculos ponat, priori non immeritò præferri potest.

## CAPUT III.

### *De Differentiis Apoplexiæ.*

Differentias Apoplexiæ quod attinet, primò alia Fortis est, alia Mitior.

Apoplexia fortis.

*Fortis* est, cujus symptomata vehementissima sunt, in quâ non solùm homines motu & sensibus prorsus orbantur, verùm etiam organa vitalia ita afficiuntur, ut respiratio vel difficilima vel adeò imminuta sit, ut ad sensum parùm appareat, cum pulsu valdè obscuro. Et cùm æquali tenore & citra remissionem ullam hæc Apoplexiæ species affligat, utplurimum lethalis est, quiq; eâ corripiuntur, nunquam, aut sanè rarissimè evadunt.

Mitior.

*Mitior* ea est, in quâ quidem sensus & motus purè animalis planè etiam abolentur, (nam hoc ad essentiam Apoplexiæ pertinet) sed cum respiratione minùs difficili, pulsuq; non ita obscuro. Unde etiam ægri aliquando non multò pòst morbi invasionem ad se redeunt, seseq; recolligunt, imò quidam, (faciliùs enim hæc, quàm prior curatur) quamvis ut plurimũ paralytici, ἄφωνοι, &c: remaneant, quoq; servantur. Non rarò etiam hæc Apoplexiæ species suos quasi paroxysmos habet, & nonnunquam remittit ita, ut ægrotantes rursus sæpè videant & astantes intelligant, sicq; quodammodo, (quamvis paralytici & muti adhuc sint,) â morbo respirent, post intervallum autem aliquod iterum revertitur malum, eosque de novo infestat. Quod cùm nonnulli ignorarent, nescio cum

quibus morbis aliquando Attonitum confuderint.

Deinde alia quoque Apoplexia *Vera* est, alia *Notha* seu Spuria. *Veram* nomino eam, quæ ab obstructione vasorum & sinuum cerebri originem sumit, pleniusq; à nobis in sequentibus explicabitur.

*Apoplexia Vera.*

*Notham* illam constituo, in quâ motus & sensus quidem omnes repentè abolentur, verùm non tam ob sinuum obturationem, quàm toni cerebri totalem & omnimodam destructionem, quemadmodum infra cap. 21. pluribus expositum fuit.

*Notha.*

Reducunt & ad Apoplexiæ species nonnulli illum morbum, qui jam multis in locis innotescere incipit, in quo homines interdum, ut in Apoplexia ferè, (rarissimè enim, præsertim in initio invasionis, aliquid loquuntur) obmutescunt, mutiquè aliquandiu permanent cum sensuum internorum insigni læsione, & quasi turbatione seu consternatione, non autẽ totali eorundem, quemadmodum nec motûs, omnimodâ abolitione: hinc ægri, qui ejusmodi affectu corripiuntur, non omnes in terram ex improvisò concidunt, sed aliqui persentientes malum suâ sponte se ad decubitum componunt, manusq; etiam durante paroxysmò movere

*Morbus novus inter Apoplexiam & Epilepsiam medius*

possunt, imò quidam & corpus nunc in hoc, nunc in alterum latus volutant; vomunt quoque ut plurimùm; & ex illo magnum emolumentum persentiunt. Cumq; malum in infimo ventre sedem habere videatur, proximè quidam *Apoplexiam per consensum* appellabat. Verùm me judice minùs convenienter: nam quanquam & in hoc affectu sensus interni afficiantur, imò & ferè aboleantur, non tamen omnis sensuum abolitio Apoplexia est, sed ea, quæ ob spirituum vitalium interceptionem ab obturatione vasorum cerebri factam accidit, & hîc minimè adest, saltem ita nominari potest: alioquin etiam *Syncope*, *Epilepsia* aliiq; similes morbi, in quibus ægrotantes nihil audiunt, vident aut intelligunt, Apoplexiæ species vocandi essent, quod tamen nemo Medicorum facit. Et nisi hic affectus ad *Aphoniam* Hippocratis, quando 5. *Aphorism. sect.* 5. ita scribit: Si *quis Ebrius derepentè obmutescat, nisi intra viginti quatuor horas redeat, aut febre corripiatur, moritur* &c. reducendus sit, eum planè novum, & quasi inter Apoplexiam & Epilepsiam morbum medium constituendum puto, ortum â vaporibus ex hypochondriis ascendentibus: Hi enim, si ex materiâ peculiari modo corruptâ, qualis interdum in hypochondriis continetur, eleventur,

*An rectè Apoplexia per consensum dicatur.*

& ipsi,

& ipsi, naturam ortus redolentes, sæpè specificæ cujusdam vitiositatis aut malignitatis participes fiunt, Corq; & cerebrum mirè afficiunt; potissimum autem Spiritus, eos vel turbando, obfuscando vel eorum motum nonnihil quasi sistendo, aut, si ita loqui placet, figendo, aut aliter ipsos afficiendo, insigniter lædunt, corpusq; ad actiones suas imprimis animales minùs habile reddunt; Atque cùm in hoc affectu spirituum vitalium in cerebrum influxus non impediatur, sed spiritus in capite existentes potissimùm lædantur, sicq; cerebrum longè aliter ac in Apoplexiâ vel Epilepsiâ afficiatur, ægri sensibus omnibus non prorsus orbantur, sed saltem consternantur : neq; etiam, ut in Epilepsiâ convelluntur, sed per intervalla membra, nec quidem adeò inordinatè aut motu convulsivo, movent, neque etiam â vomitu ita ut Apoplectici, læduntur; sed potiùs evacuatâ materiâ illa, ê qua vapores exhalabant, alleviantur, meliusq; habent, ac ut plurimùm nullo alio graviore, ut in Apoplexia accidit, morbo aut symptomate relicto, liberantur; quanquam aliqui, si nempe malum forte sit, cerebrumque gravius affligat, vel humores in capite commovendo veram Apoplexiam excitet, aut in alium morbum periculosum, ut facile fieri potest,

degeneret; etiam ex eo mori possint; imò & moriantur. Unde siquis hujus affectus nomen à me exigat, eum vel *Consternationem sensuum à spirituum turbatione, obfuscatione vel quasi retentione* seu prehensione, vel *Aphoniam cum spirituum turbatione*; aut *Morbum novum* Apoplexiæ *congenerem* appellandum censeo.

## CAPUT IV.

### *De Signis Apoplexiæ Diagnosticis.*

QUò autem rectiùs ab omnibus verus affectus Apoplecticus cognosci, & ab aliis morbis discerni possit, ejus *Signa Diagnostica* mox hîc initio, (quòd illos, qui se strictè ad aliorum libros alligant, & inter Methodum particularem, & Ordinem Libri Universalem distinguere non valent, haut commovere debet) exponemus, quæ desumuntur potissimùm ex operationibus, quæ in hoc morbo læduntur. Læduntur autem actiones *animales* à Medicis dictæ, fere omnes: siquidem præter motum (excipe respirationem, quæ aliquandiu adhuc durat, magis ut motus naturalis quàm animalis) & sensum etiam ratiocinatio, imaginatio, &c. tolluntur & abolentur. Hinc ægri subi-

tò & quaſi ex improviſo in terram inſtar pecudis mactatæ, initiò aliquando cum clamore, quaſi auxilium petentes, prolabuntur, eorumq; membra omnia reſoluta languent, laxaq; ſunt, nec út in ſyncope accidit, contrahuntur; non loquuntur, nulliusq; rei intelligentiam habent, nec vident; etſi ex illis quidam palpebras ſuſpenſas habeant, & oculis fixis aliquem intueri videantur; clamores audiunt nullos, neq; puncti aut uſti ſensûs aliquod ſignum dant. In ſumma trunci, arboris aut ſtipitis cujusdam inſtar, immobiles jacent, & â mortuis vix diſtingui poſſent, niſi color faciei vel prorſus vel non adeò mutatus remaneret, pulſusq; adhuc perciperetur, atque ægri, licèt difficulter & cum ſtertore id fiat, ore hiante reſpirarent. Quamvis in fortiſsimâ Apoplexiâ aliquando reſpiratio etiam ad ſenſum ablata ſit, pulſusq; perquàm obſcurus exiſtat, ut â peritiſsimis etiam Medicis vix quidem obſervari poſsit.

*Signa Diagnoſtica.*

## CAPUT V.

### *Quomodo Apoplexia ab aliis morbis conſimilibus diſtingui debeat.*

VErùm cum Apoplectici multa ſymptomata cum *Lethargicis*, *Præfocatis*, *Epilepticis*, *Ecſtati-*

cis

*cis, Ecstaticis, Catalepticis, caro aut catarrho suffocativo laborantibus*, communia habeant, non inutile erit hîc afferre nonnulla signa, quibus hi affectus ab Apoplexiâ distingui possint: cùm Medicos, antequam ægro auxiliares manus adhibeant, & de curatione consultationem instituant, de morbo, ejusq; specie certos esse oporteat, ne aliquando maximo cum ægrotantium periculo & famæ suæ jacturâ unum affectum pro altero habeant, & ad eum, qui præsens tamen non est, curationem dirigant.

## *A Lethargo quomodo Apoplexia distingui posit.*

*Lethargici sunt tantùm somnolenti.*

*Apoplectici insensiles jacent.*

Quæ sit differentia inter Apoplecticos & Lethargicos facilè patet ex his, quòd *Lethargici* tantùm somnolenti sint, & ex somno aliquandò excitari possint, atque expergefacti interdum ad interrogata respondeant: *Apoplectici* autem, ceu mortui insensiles jaceant, punctiones & ustiones non persentiant, nec ad ullum clamorem excitentur, multò minùs interrogantibus quicquam respondeant.

*Lethargici febriunt, Apoplectici non*

Præterea *Lethargici* febre laborant: *Apoplectici* autem, quà tales, ab omni febre sunt immu-

nes

nes: vel licèt quandoq; contingat febrire aut febre corripi etiam Apoplecticos, tunc diversis morbis corpus vexatur: hicq; ad illius essentiam constituendam non magis pertinet, quàm vulnus in pede inflictum ad efficiendam pleuritidem; sed ad summum caussæ excitantis & procatarcticæ rationem obtinet.

## *Differentia Apoplexiæ & Cari.*

A *Caro* seu soporoso affectu, qui & veteribus *Coma subeth* & *Lethargus* absq; febre dictus fuit, Apoplexia discernitur iisdem ferè signis, quibus â præcedente distinguebatur. Namq; duo hi affectus in eo saltem differunt, quòd Lethargus febrem adjunctam habeat: Carus autem non. Idcircò veluti Lethargus, ita & *Carus febris expers.*

1. Carus sensim & paulatim ægros invadit: quod Apoplexia non facit, quę subitò & confestim homines sanos etiam inter media nonnunquam pocula, corripit & infestat. *Aegros paulatim invadit.*

2. In sopore motus & sensus prorsus non sunt aboliti, sed ægri, si pungantur, se movent, interdum etiam excitantur: at Apoplectici, quamdiu durat malum, nunquam excitari possunt, membraq; ipsis omnia sunt resoluta. *Motus & sensus non prorsus abolet.*

3. Sòporôſi ſeu carotici reſpirationem adhuc habent liberam, niſi quòd in aliquibus oſcitatione & ſtertore depravata ſit: At Apoplectici difficulter & ſummo cum impedimento ſpirtum ducunt.

*Quibus ſignis Apoplexia à Catalepſi diſcernenda ſit.*

Etſi *Catalepſis*, quam alii congelationem, *Catochen* & *Prehenſionem* nominant, magnam cum Apoplexiâ quoq; affinitatem habeat, ab eâ tamen facilè diſcernitur in eo, quòd *Congelati* in eodem ſtatu, in quo prehenſi fuerunt, ſedentes vel incedentes rigidi permaneant, formamq; eam, quam habuerunt tùm, quando corripiebantur, inſtar ſtatuæ alicujus retineant; *Apoplectici* autem omnes in terram decidant, membraq; non rigida, ſed reſoluta, mollia & flexibilia obtineant, quæ ſi erigantur, ſuopte pondere facilè iterum decidant.

*Ab uteri ſuffocatione quibus modis Apoplexia diſſentiat.*

*In Præfocatis ſenſus nonnunquam manent.*

Ab *uteri ſuffocatione* ſideratio diſtingui poteſt, primò quòd in illa ſenſus nonnunquam maneant. Nam aliquando Præfocatæ, ut fol. 407. Fo-

reſtus

restus habet, audiunt, &, notante Mercuriali, etiam eorum, quæ ab astantibus circa se acta gestáve sunt, recordantur: in hac autem omnes aboleantur.

Deinde Præfocatarum facies cadaverosa est: Apoplecticorum autem similis sanorum faciei. Tertio. In Præfocatis respiratio sæpissimè ad sensum libera adhuc est: in Apoplecticis autem valdè impedita occurrit. Quartò Pulsus in illis obscurus & languidus; in his autem, (nisi fortissima Apoplexia fuerit,) plenus est, & sæpius validus: siquidem cor in Apoplexiâ non ita, ut in uteri suffocatione affectum, omni vi instanti suffocationis periculo repugnat.

*Facies est cadaverosa.*

*Respiratio ad sensum libera.*

*Pulsus obscurus & languidus.*

Tandem & in modo invasionis aliquod inter hosce affectus discrimen sese offert. Nam Præfocatæ in invasione femora hinc inde torquent, & de dolore hypogastrii, uteri, & vicinarum partium conqueruntur: at Apoplectici prorsus immobiles manent, neque manus neque pedes movent, neq; etiam de ullo dolore conqueri solent.

*Quibus cum doloribus uteri suffocatio invadat.*

## *Ab Epilepsia quomodo Apoplexia discerni queat.*

Inter *Epilepsiam* & *Apoplexiam* discrimen occurrit notabile. Etenim Apoplectici stipitum

*Epileptico rum corpus universum agitatur.*

inſtar attoniti jacent, nullamq; partẽ corporis movent: at Epileptici corp9 univerſum agitãt, & membra inordinatè motuquè convulſivo concutiunt.

Præterea Epilepſia per intervalla redit, & unico die hominem decies vel vicies infeſtare poteſt, quod Apoplexia non facit, quæ non ita, ut morbus caducus ſuos habet paroxiſmos, licèt & ipſa interjecto aliqvo temporis ſpatio, ſed longiore, nonnunquam redeat. Addunt nonnulli plures quoq; horum affectuum differentias, quæ tamen non adeò magni momenti eſſe videntur. Nam cadere cum clamore æquè nonnullis Apoplecticis quàm Epilepticis uſu venit. Et demum tranſire Apoplexiam in Paralyſin; Epilepſiam autem nunquam; ſignum præbet Medico ad hoſce morbos diſcriminandos minùs utile, cùm ſaltem oſtendat hoc vel illud malum adfuiſſe, non verò quâ ratione præſens ab alio diſcerni debeat, demonſtret. Ne quid de eo dicam, quod etiam Epilepſiam in Paralyſin transiiſſe, aliquoties deprehenderim: vivitq; hic VVitebergæ adhuc lanii cuiusdam filiolus, quem ante annum in ſiniſtro latere ex Epilepſia gravi Paralyticũ factũ curavi, &, Deo medicamentis benedicente, perfectè etiam reſtitui.

*Et Epilepſia aliquando in Paralyſin tranſit.*

Diſcri-

## *Discrimen Apoplexiæ & Συγκοπῆς.*

In multis *Syncope* cum Apoplexiâ convenit. Quare ut & hi affectus discerni possint, ante omnia inspicienda est facies ægri, quæ in Syncope ob spirituum vitalium defectum cadaverosa apparet; In Apoplecticis autem non adeò immutatur; imò nonnunquam sani hominis faciei similis existit. Apoplectici *respirant* & stertunt: Syncope verò correpti spiritum ad sensum non ducunt. *Pulsus* in Apoplecticis plerumque validus adhuc est, qui in syncope affectis non percipitur. Membra Apoplecticorum laxa sunt & mollia: osq; habent apertum & hians: at qui Syncope corripiuntur, his membra contrahuntur, dentesq; ipsis tam arctè clauduntur, ut difficulter, & non nisi summâ violentiâ aperiri possint. Alii observârunt, casum in terram velociorem in syncope esse, tardiorem verò in Apoplexiâ.

*Differentia syncopi & Apoplexiæ.*

## *Differentia Apoplexiæ & Catarrhi suffocativi.*

*Catarrhus suffocativus* & Apoplexia differunt ita, quòd in illo homo mente & sensibus inte-

gris suffocetur; in hac autem sensus omnes aboleantur. In catarrho suffocativo intercipitur subitò respiratio humore copioso, per subethicas & jugulares arterias in cordis ventriculos affatim irruente; in Apoplexia autem ea aliquandiu manet, cùm in hac, ut infra demonstrabitur, non tam cor, quàm cerebrum afficiatur.

## *Ab Ecstasi quibus signis Apoplexia dignoscatur.*

*Ecstasis duplex: Naturalis & Præternaturalis.*

Datur insuper & alius affectus convenientiam quandam cum Apoplexia habens, qui *Ecstasis* vocatur, ad cujus etiam differentiam Medici nonnulla signa afferre solent. Sciendum autem hîc Ecstasin duplicem esse. *Naturalem* & *Præternaturalem*. Naturalis Ecstasis somnus quasi profundus est, ex quo ægri nonnihil quasi delirantes difficulter excitari possunt, & quando excitantur, aut ut aliquando accidit, suâ sponte etiam evigilant, mira narrant, suaq; quæ habuerunt vana & ridicula somnia pro veris vendidant; hinc quilibet, observatis iis, quæ supra de Caro & Lethargo diximus, & hanc Ecstasin facilè ab Apoplexia discernere valebit.

In Præternaturali homines (imprimis Lappii, qui hâc in arte excellere dicuntur) precio ad id conducti, ut, quid absens amicus agat, exploranti denuncient, adhibitis quibusdam ceremoniis, & factâ perunctione certarum partium in terram concidunt, & concidentes quasi exanimantur, ut etiam anima ê corpore excessisse videatur, qui tamen elapsis sex, duodecim, vel etiam (si Olao Magno fides habenda) viginti quatuor horis expergiscuntur, & ceu mortui in vitam revocantur, ad quæsita & interrogata respondent, & quid per trecenta plurave milliaria absentes agant, ordine enarrant, imò sæpè absentis amici, de quo quæritur, muccinium, cultrum, vel aliud quid ostendunt, certisq; indiciis additis, se cum ipso versatos fuisse, fidem faciunt.

Verùm cùm hic affectus planè præternaturalis sit, & magis à vi diabolicâ atque fœdere cum Satanâ icto, quàm caussis naturalibus dependeat, neque etiam Medico unquam curandus offeratur, certa signa, quibus ab Apoplexiâ discerni queat, hûc afferenda non sunt. Imò differentiæ inter ejusmodi Ecstaticos & Apoplecticos satis etiam per se notæ sunt: Non enim homines in hac Ecstasi, ut in Apoplexiâ ex improviso & insperatò in ter- *Præternaturalis Ecstasiâ Medico non curatur.*

ram prolabuntur, sed volentes & sponte ad hanc affectionem sese componunt. Narrantq; insuper viri fide digni, qui in illis locis fuerunt, hujusmodi Ecstaticos rarò solos esse, sed ipsis ut plurimùm astare alium, qui sedulò caveat & prohibeat, ne ita decumbentes, proprio nomine nominentur, aut à vivente quodam animali attingantur: id enim si accidat, eos graviter affici, quosdam etiam extemplò mori, nec unquam resurgere, & sic simulatæ mortis pœnas dignas luere dicunt. Hîc adstans de ejusmodi hominis constitutione & affectione Medicum aliosq; facilè certiorem reddere posset, si opus esset.

## *A Fulmine consternati, quomodo à veris Apoplecticis discerni possint.*

Fulmen, si homines non prorsus extinguat, aut verè Apoplecticos efficiat, ita tamen nonnunquam consternat ipsos, ut instar Apoplecticorum vel potiùs demortuorum prostrati jaceant. Quare ut & hos à Veris Apoplecticis discernere possit Medicus, aspiciat ante omnia ægri faciem, quæ ob cordis spirituumq; vitalium læsionem valdè

ut in syncope immutata & cadaverosa; respiratio quoque quasi nulla, pulsusq; vix præceptibilis, & intermittens. Postea attendat ad ipsius odorem: quæ enim â fulmine icta fuerunt corpora, odorem gravem & sulphureum spirant, adeò, ut notante Paræo lib. de renunciationibus fol. 844. & Guilhelmo Fabric. de combustion: in Thesauro Chirurgico fol. 1163. nullum animal earum cadavera degustare dignetur, sed iisdē omnia planè abstineant. Reliqua fulminis indicia facilè vel ex antegressâ tempestate vel aliis etiam notis præsentibus desumi poterunt.

## CAPUT VI.

### *An omnis Apoplexia Hominem subitò corripiat.*

SUprà in enumeratione signorum Apoplexiæ Diagnosticorum, dixìmus inter alia, Apoplecticos subitò & ex improviso in terram prolabi, eorumque membra omnia resoluta esse. His contradicit Alexand: Massar: negans de essentia Apoplexiæ esse ut subitò hominem corripiat, se enim observasse, inquit, sæpiùs torpidum quendam motum & sensum, item vertigines & alia *An Apoplexia homines subitò corripiat.*

ejusmodi præludia Apoplexiam præcesſiſſe, malumq́; ſenſim & paulatim homines invaſiſſe, ac propterea ſubitam invaſionem ſignis Apoplexiæ demonſtrativis annumerari minimè poſſe.

*Affectiones Apoplexiam antecedẽtes, non ſunt ipſa Apoplexia.*

Verùm diſtinguendum hîc inter *veram Apoplexiam* & *affectiones eam antecedentes*. Concedimus facilè nonnunquam gravedinem, vertiginem, ſtuporem, vel alios affectus & ſymptomata Apoplexiam præcedere, quæ tamen ejus eſſentiam non abſolvunt, ſed ſolùm futuræ aut imminentis indicia ſunt, neq; etiam ſemper certa. Nam multi vertigine laborant, & in capite gravedinem quandam diu perſentiunt, qui tamen nunquam verâ Apoplexiâ corripiuntur. Et conceſſo, hæc ſymptomata ſemper præcedere Apoplexiam; iis tamen apparentibus non protinus dicere poſſumus, hominem Apoplexiâ laborare, ſed ſaltem poſſe, vel ad hoc malum valdè proclivem eſſe; ſiquidem præſentibus etiam hiſcè indiciis, Apoplexia adhuc in fieri eſt; nondum autem actu plenè producta â ſuâ cauſsâ, ut ipſi nomen veræ Apoplexiæ commodè tribui queat: denominantur enim res ab actu, non â potentia. Et ut rectè etiam Doctiſſimus *Suaretz* in diſputationibus Metaphyſicis paſsim, præcipuè verò diſputat: 3. de Ente finito

Sect.

Sect: 2. fol. 148. demonstravit, *Ens in potentiâ*, quam Scotus *objectivam* appellabat, est quasi non Ens; cùm nondum propriam existentiam seu essentiam actualem (nam hæc duo non realiter differunt. Quicquid etiam alii, subsistentiam, quæ Scholasticis modus *Perseitatis*, & in creaturis rationalibus *Persona* dici solet, nec accidentibus, quæ per modum inhærendi determinantur, tribui potest, cum ipsâ existentiâ confundentes, objiciant. Si enim essentiæ modus existentia esset, ut volunt, & omnis subsistentia determinaret substantiam, ut determinat, ne ea in *statu potentialitatis* sit, ut Scholasticorum iterum verbo utar; daretur modi modus, nempè existentiæ substantia, vel duo modi unam determinarent essentiam, quod minimè concedendum) habeat, sed saltem possibilem, hoc est, nudam non repugnantiam ponat, ut possit fieri aliquandò Ens, atq; hoc modo proprii esse negationem includat, quòd nempe nondum actu prodierit â suâ caussa. Sic cùm Apoplexia nondum tùm producta sit, nec proprium esse habeat quando vertigines & alia ejusmodi symptomata in corpore apparent, sed solummodò produci possit, adeòq; in fieri & potentiâ existat, vera morbi notio ipsi nondum tribui poterit, sed eam tum demum

*Ens in potentia est non Ens.*

*Essentia actualis & Existentia non differunt.*

*Subsistentia non est existentia proprii.*

*Qualem essentiam accide͞tia habeant.*

accipiet, quando jam facta est, hoc est propriam essentiam (qualis quidem accidentibus competit, nam cum hæc materiam non componentem, sed sustentantem saltem habeant, ipsis physicè Essentia tribui nequit: etsi metaphysicè loquendo quatenus Ens cum essentia recurrit, sua quoq; Entitas, & sic etiam essentia nec accidentibus denegari queat) & formalem suam rationem obtinet, omnesq; cerebri actiones actu prorsus abolet, ægrosq; sensibus & motu penitus privat. Quod cum in veris Apoplecticis subitò & repentè fiat, rectè Apoplexiam illicò & confestim homines invadere & infestare supra affirmatum fuit. Præcedentia autem symtomata, ut vertigo, capitis gravedo, vel alii morbi magnam cum Apoplexia cognationem habentes ejus præludia saltèm sunt, prout etiam ab ipso *Massaria* vocantur, non autem affectus Apoplecticus ipse. Et quemadmodum non omnis intemperies morbus rectè dicitur, sed ea, quæ jam actionem lædit; nec omnis alteratio Philosophis vera corruptio est, licèt eam præcedat, sed ea, quæ jam in termino est, & subitò rem destruit: ita nec hæc symptomata propriè Apoplexia sed saltèm ejus prodromi vocari & indigitari possunt.

*Præludia Apoplectica non sũt ipsa Apoplexia.*

CAPUT

# CAPUT VII.

## *An omnes Apoplectici sensu prorsus destituantur.*

QVæri hîc non immeritò potest, *an in omni Apoplexia actiones animales prorsus aboleantur, an verò ejusmodi malo correpti aliquem adbuc sensum retineant.* Sunt qui posterius affirmant inde commoti, quòd omne animal quamdiu vivit, animalis naturæ quoq;, ut loquuntur, particeps sit, & consequenter sentire debeat: destructo enim sensu totam animalitatem destrui dicunt, idq; si in Apoplexiâ accideret, nullum apoplecticum revocari & pristinæ sanitati iterum restitui posse censent. Hæcq; objectio movit *Massariam*, quòd statuit, in Apoplecticis semper remanere sensus, nobis autem eos solùm abolitos videri.

*An sensus in Apolexia remaneat.*

At quis nescius, hos experientiæ manifestò contradicere; Etenim testantur illi, qui aliquando hoc morbo laborarunt, & postmodum iterum convaluerunt, se in ipso paroxysmo nullius rei sensum vel intelligentiam habuisse, neq; vel puncturas vel ustiones percepisse. Et qui possent? Ad omnem sensationem veram & perfectam requiruntur duo:

*Apoplectici sensu & motu destituuntur*

Requisita sensus.

*Sensorii ab objecto sensibili alteratio, & alterationis perceptio, dignotio & dijudicatio.* In Apoplecticis fit quidem alteratio sensorii, sed non ejus perceptio, nec etiam dignotio; quia ad illam requiritur spirituum animalium è cerebro transmissio; ad hanc autem ipsius cerebri operatio. Cum autem in Apoplexiâ nulli spiritus è capite partibus communicentur, cerebriq; actiones omnes aboleantur; quis Apoplecticos, quamdiu malum viget, reverà sentire citra absurditatem affirmaret?

Cur aliquando ægri ad se redeant.

Non quidem me fugit, nonnullos Apoplecticos paulò post morbi invasionem iterum vidisse, & adstantium etiam verba intellexisse. At hoc nostram assertionem minimè infringit: largimur enim ultrò, idq; capite 3. etiam affirmavimus, naturâ imprimis adhuc validam adversus morbum summis viribus pugnare, & quandoq; in mitiore Apoplexiâ etiam palmam obtinere, spiritibusq;, quocunque etiam modo valet, iterum ad cerebrum januam reserare, ita ut ægri se parùm recolligant, videant, & aliorum sermones percipiant.. Verùm hoc quando accidit, ipsos, licèt adhuc muti & paralytici sint, non amplius verâ Apoplexia detineri, sed malum jam nonnihil remisisse, imò cessasse, dicimus, non obstante hoc, quòd gravia symptomata; adhuc præ-

sto sint

sto sint, & sæpe morbus, caussâ ipsius iterum auctâ vel novâ commotâ non multò post rediens ægrum etiam jugulet : Nam tum, quando vident & intelligunt ægrotantes, vera Apoplexia non amplius adest, sed ut modo dictum fuit, morbus vel cessavit vel in alium transiit.

Allatum verò argumentum quod attinet, illud tantæ efficaciæ non est, ut id evincat ac demonstret, cujus gratiâ propositum & adductum fuit. Distinguimus enim inter *actum primum & secundum.* Ubi sensus non datur quoad actum primum & secundum, ibi tota animalitas destructa est, nec homo amplius animal vocari potest : In Apoplecticis autem, quamdiu hi vivunt, sensus quoad actum primum manent, & ipsa anima, à quâ vis sentiendi emanat, adhuc in corpore præsens est, saltemq; ob vitium aliquod organorum, vel defectum spirituum vitalium, quibus ubiq; opus habet, suas functiones animales, seu actum secundum exercere nequit; qui tamen actus secundus universam animalitatem tollere neutiquam valet, sed eam, vel potius actum primum, quoad has operationes solummodò quiescere, nec ob malam instrumentorum dispositionem vel spirituum defectum operari posse innuit : alias pari ratione e-

*Responsio ad object.*

*In Apoplecticis est actus primus sens: non autem secundus.*

brios

brios dormientes aut profundo ſomno oppreſſos animalia, parteſq́; paralyticas, quæ nec ſentiunt quicquam, neq; etiam motu voluntario, ſeu potiùs ſpontaneo, moveri poſſunt, animales eſſe negarem, quod citra abſurditatem vix affirmabitur, neque etiam ab ullo Medico hactenus aſſertum fuit.

## CAPUT VIII.

### *Cur aliis Motibus abolitis in Apoplecticis reſpiratio maneat.*

DE Reſpiratione, cur hæc in Apoplecticis, reliquis ſenſibus omnibus ablatis, remaneat, Galenus diſſerens ſtatuit, id fieri propter ſummam ejus neceſsitatem, vim nervorum ad agendum excitantem. At quomodo illa excitatio fiat, non explicat, credendum ſanè facultatem fruſtra excitari, ſi ob organa indiſpoſita agere minimè valeat.

Rectiùs ſentit *Platerus*, & alii ſtatuentes in Apoplecticis remanere, motum organorum vitalium naturalem, abolito voluntario. Nam, (prout in tract: meo de venis, etiam demonſtravi,) motus reſpirationis mixtus motus eſt, partim naturalis

pa.tim

partim spontaneus. *Naturalis* est, quatenus cor pulmonesq;, necessitate urgente, insitâ vi elevantur ad trahendum vel expellendum quippiam eorum, quæ secundùm naturam continere, recipere aut expellere debent. *Spontaneus* autem dicitur, quatenus illi actioni succurrunt musculi thoracis, elevantes medium ventrem, ut in eo cor pulmonesque liberiùs & faciliùs moveri possint. Atque hinc fit, quòd in Apoplecticis, spiritu in nervos non influente, pulmones & cor difficulter attollantur, tandemq;, nisi vis animalis pro thoracis motu organis vitalibus iterùm succurrat, hæc defatigata prorsus quiescant, & ægri, sublatâ respiratione omni, sanguinisque arteriosi & spirituum præparatione cessante, tandem suffocentur & extinguantur: imò si Apoplexia fortis sit, ut nihil spirituum vitalium cerebro suppeditari, neque à cerebro cordi quicquam vicissim communicari queat, facultas autem vitalis debilis existat, ut cor diu; motui naturali suâpte vi præesse & sufficere non valeat, etiam in momento Apoplecticos jugulari cernimus. An autem respiratio in vivente animali planè tolli aut ita impediri queat, ut ad sensum non appareat, adeoq; ad eius cognitionem certis signis opus sit, infrà cap. 30. exposuimus.

*Motus respirationis est partim Naturalis.*

*Partim Spontaneus.*

## CAPUT IX.

### *An in Apoplexia cor, jecur vel pulmones afficiantur.*

*An cor in Apoplexia primariò afficiatur.*

DE loco, qui in Apoplexiâ potiſsimùm afficitur, inter Medicos non convenit. Nonnulli volunt in ea, *Cor* primariò lædi, (forſan ita â vulgo perſuaſi, qui in Apoplexiâ guttam ſanguinis ê cerebro ad cor delabi, & homines confeſtim occidere credit) proq; ſuâ hâc ſententia ſtabiliendâ *Ariſtotelem* citare non verentur, quaſi hic ipſis planè aſſentiatur, ſummusq; ille vir tam imperitus fuiſſet, ut inter actiones cerebri vel cordis diſcernere non valuiſſet. Quando etiam locum *Ariſtotelis*, quem illi allegant, *Sect.* 1. *probl.* 9. *pagin*: *mihi* 823. penitiùs introſpicio, verbaque eius ſingula diligentiſsimè perpendo, ne unicum quidem verbum invenio, quod hiſce autoribus patrocinari poſsit. Recenſet loco allegato Philoſophus morbos, qui veris tempore, poſt conſtitutionem hyemalem, auſtrinam & pluvioſam, corpora noſtra exercere ſolent, & dicit, ſi pituita redundet, raucitates deſtillationesq; in pulmones oriri, mulieres vexari difficultatibus inteſtinorum, cùm frigidæ & humidæ ſint; ſeniores ſtupore

*Ariſtoteles defenditur.*

attoni-

attonitos reddi, ubi universus resolutus humor incubuit, & ex imbecillitate caloris natiui concrevit: corde autem affecto Apoplexiam excitari nunquam asserit. Fingunt proinde aliqui sibi hîc patronnm, ubi nullum habent, & insuper summó viro manifestam faciunt iniuriam: nunquam enim loco citato Cordis mentionem facit, sed meminit saltem pulmonum, & materiâ in eos irruente raucitates fieri statuit: Senes vero decrepitos, vel pulmonibus vel corde affectis, attonitos reddi; ne verbo quidem astruit, sed ob pituitæ resolutæ copiam malum istud excitari innuit, ut omnibus, singula Aristotelis verba rectè perpendentibus, clarè patet.

*Paracelsus* l. 2. *Paragraph*: cap: de *Gutta* §. 4. fol. 467. & qui hunc sequitur *Scheunemannus* in Reformatâ sua Medicina, non solum Cor, sed & pulmones, imò & jecur in Apoplexia lædi statuunt, atque hinc varias siderationis species proponunt, quas certis signis ac notis facile distingui ac discerni posse dicunt. *An cor pulmones aut jecur lædantur.*

Verùm neque Cor, neque Pulmones, multò minùs jecur in Apoplexia primariò affici facile inde ostenditur, quòd in ea spiritus vitales ex se nihil patiantur, & hinc color corporis vividus in Apoplecti

cis rarò immutetur, pulſusq; aliquandiu ſat validus perſiſtat; neq; etiam ulla vel ſanguinis arterioſi (cujus officinam nos Pulmonem ſtatuimus & in lib. de *Venis* illud multis rationibus luculentèr demonſtravimus) vel etiam venoſi læſio aut defectus deprehendatur. Si & Paracelſiſtis Anatomia Localis, (ita enim per contemtum artificioſam corporis diſſectionem nominant, prout ex *Scheunemanno* & *Idea Medicinæ Petri Severini* videre licet) non ita ſorderet, ſed hi paulò diligentius corporis membra contemplarentur, eorumq; uſus & actiones accuratiùs perpenderent, facilè viderent, in Sideratis nec cor, pulmones aut jecur quicquam eorum pati, quæ ſibi perperam imaginantur. Et ſi vel maximè paterentur, inde tamen functiones animales lædi, & omnia illa ſymptomata, quæ in Apoplecticis, occurrunt, induci poſſe, falſiſsimum eſt. Sicuti in ſequentibus id fuſiùs explicabitur.

*Pulmo officina ſanguinis arterioſi.*

## CAPUT X.

### *Quodnam verum ac genuinum Morbi Apopoplectici ſubjectum conſtituendum ſit.*

PER *Subjectum* intelligimus hîc partem, cui morbus inſidet, quæquè in Apoplexia prima-

rio

riò afficitur; in cujus noticiam nos consequentia symptomata, & potissimùm læsæ functiones rectissimè deducunt. Etenim operationes de membrorum dispositione testari possunt, bonæq; bonam, & malæ malam eorum constitutionem indicare solent. Et cùm in Apoplexia actiones animales in universum omnes tollantur, earumq; sedes & officina Cerebrum existat, id potissimum in morbo Attonito affici significatur.

Dubium saltem moveri potest, de Motus sensusq; animalis, (nam de naturali impræsentiarum nobis sermo non est,) in reliquis partibus abolitione. Etenim cùm plurimæ earum & moveantur & sentiant, (non enim omnes partes corporis sentire, neq; ad earum constitutionem sensum simpliciter necessarium esse, nec definitionem animæ, quando Philosophus dicit: *Animam esse, id quo vivimus, movemur & sentimus*, in sensu *composito* sed *diviso* intelligendam esse multis in tractatu meo de *Pilis*, quem hîc *Anno* 1618. publicè legebam, demonstravi; in quo simul contra vulgatam & receptam Medicorum sententiam, pilos partes corporis propriè dictas esse, eosq; in utero ex semine formari, neque excrementis tertiæ concoctionis, ut hactenus creditum fuit, sed san-

*Non omnes partes sentiunt.*

guine bono & laudabili & quidem verâ nutritione ali, certis ac ſolidis fundamentis Philoſophicis probavi & confirmavi, quod hîc propter eos, qui meas haſce de Pilis ſpeculationes, unà cum aliis pluribus, quemadmodum ſuo tempore clarum evadet pro ſuis vendidarunt, & ſuppreſſo meo nomine evulgarunt: monendum quaſi obiter fuit) motusq́, & ſenſus in iis etiam aboliti ſint, jure quæri poteſt, an non & ipſi parti affectæ annumerari, morbiq́; ſubjectum dici debeant, cùm non minùs quàm cerebrum lædantur, ſuisq́; operationibus priventur ac ſpolientur.

Ex hac difficultate, ut nos rectiùs expediamus, notandum, partes quidem omnes, quæ moventur & ſentiunt, principium vel potentiam quandam motus & ſenſûs inſitam habere, (alioquin promiſcuè omnes ſentirent & moverentur, quod falſum,) verùm ſuas operationes exercere minimè valere, niſi ipſis cerebrum ſuppetias ferat, cunctisq́; per nervos ſpiritus peculiari vi & potentia animali affectos transmittat: ita ut ad omnem ſenſum & motum partium, tria neceſſariò requirantur 1. Partis legitima diſpoſitio, & naturalis ad ſenſum & motum aptitudo 2. Nervi rectè conſtituti, & 3. demum Cerebrum ſuos ſpiritus per

*Tria ad ſenſum & motum neceſſaria*

nervos transmittens. Unumquodque horum præter naturam ſeſe habens, motum & ſenſum ê membris auferre poteſt; quippè cum plura ad partis actionem, ſecundum naturam edendam, quàm eandem præter naturam lædendam neceſſaria ſint: v. gr. Si partes quædam ſcyrrho vel alio vitio, ut ſpiritus à cerebro promanantes recipere non valeant, laborent. eæ neq; movebuntur neq; ſentient. hasq; ipſas ſuas operationes ſimiliter amittent, ſi ſoli earum nervi læſi ſint, quam vis conſtitutiones ipſarum naturales nihil patiantur. Utrisq; autem nervis nempè & partibus ſalvis & illæſis, ſi cerebrũ nullos ſpiritus membris communicet, itidem omnia otioſa, quieſcẽt. ſenſuq; prorſus privabuntur. Idcirco cùm in Apoplexia vitium in partibus capiti ſubjectis nullum ſit, nerviq; earum omnes & ſinguli ſimul & ſemel & unico quaſi momento lædi nequeant, ſequitur neceſſario, ſolum in ea cerebrum affectum eſſe, & hinc actiones animales in cunctis corporis membris aboleri. Id quod & aliæ ejus operationes, utpote ratiocinatio, imaginatio & memoria, læſæ, (quas tamen aliis partibus affectis lædi neceſſe non eſt,) abunde teſtantur. Quod ſi cui Cerebro alia etiam membra ſenſu motuq; orbata adjungere, & Cerebrum ſubjectum Apoplexiæ

*Cerebrum Apoplexiæ ſubjectum eſt.*

*Prima-*

*Primarium* & principale; partes autem reliquas ſentientes, vel etiam totum corpus ſubjectum *ſecundarium* vel *adæquatum* nominare placet, cum eo non adeo pugnavero, modò mecum priùs in eo conveniat, an ad partis naturalem diſpoſitionem etiam ſpiritus â cerebro vel corde transmiſſos referre; aut cum Capivaccio iis deficientibus actiones ob errorem externum lædi velit: Hiſce enim rectè expoſitis, omnes difficultates, quæ de Apoplexiæ ſubjecto objici poterunt, levi negotio explicabo atq; explanabo.

*An totum corpus in Apoplexia lædatur.*

## CAPUT XI.

### *An Cerebrum in Apoplexia, vel Temperiei, vel Conformationis ratione afficiatur.*

CUM itaque certum ſit, in Apoplexia cerebrum primariò affligi, videndum porrò quomodo id, & quæ ejus pars potiſsimùm afficiatur. Res ſanè explicatu difficilima eſt, in qua viri docti quidem hactenus non parùm laborarunt, ſed, me judice, nondum veritatis ſcopum perfectè attigerunt; vel quod aliqui veterum placitis nimium addicti fuerint: aut nonnulli cùm perfectam corporis Humani noticiam non habuerint,

ſed

ſed ſaltem ſuperficiali partium cognitione contenti fuerint, adeòq; de cerebri vera conſtitutione, vaſis & ductibus ejus, nervorumq́; orgine & diſpenſatione nihil veri ac ſolidi in morborum explicatione determinare valuerint, plurimaq́; propoſuerint, quorum falſitas facilè ex Anatome ad oculum demonſtrari poteſt: Ego quid de huius graviſsimi affectus generatione & cauſsa ſentiam, ante plures annos in diſputatione quadam publicâ, *Anno* 1619. *menſe Februar.* typis excusâ apertè docui, à qua mea opinione ſemel propoſitâ, nondum recedo, nec recedam (tam inconſtantis animi enim non ſum, ut in dies, imò horas ſententias mutem) dônec quis ex veris & ſolidis principiis Philoſophicis & Anatomicis mihi meliora & veriora oſtẽderit: hoc enim niſi fiat meam de Apoplexiâ ſententiam cum jam nominatis principiis optimè cõſentire, & veritati quàm proximè accedere mihi habeo perſvaſiſſimum: magiſq; in mea opinione confirmer, quod videam nonnullos, mihi jam in multis aſſentiri & magis magiſq; ad meam opinionem accedere, hodieq; longè aliter de nervorum opticorum exortu, quarti cerebri ventriculi uſu, Apoplexiæ cauſis & generatione loqui &c. quam antea factum.

Verùm hiſce ita præmiſsis antequam

*An partes esse in similares & organicas dividantur.*

ulteriùs progrediar, non possum non reprehendere eos, qui partes in *Similares* & *Organicas* dividunt, morbosq; similares organicis contradistinguunt, quasi instrumentalis compositio similari aut simplici opponeretur, & non quævis pars simplex etiam organicam constitutionem haberet. Simplex sanè, vel similaris pars dicitur ea, *quæ ex pluribus partibus specie differentibus non componitur, sed parilem ubiq; substantiam, idemq; temperamentum obtinet, ita, ut etiam in frustula minutissima divisa, quodlibet eorum formam & essentiam totius retineat.* Organica autem est, quæ *legitimè formata est, quæq; decentem magnitudinem, cavitates & alias affectiones debitas habet, atq; ex conveniente materia non quidem prima ut perperam Fernelio & Argenterio tribuitur, sed secunda*, nã neq; eius qualitates ab instrumẽtali cõpositione planè excludẽdas censeo: siquidem serra lignea, etiamsi optimè formata ac figurata sit, justamq; etiam magnitudinem obtineat, non tamen scindet, & eum usum, cujus gratiâ facta est, præstabit, quia ex inepta & inconveniente materia fabricata: & ossa molliora, qualia aliquandò deprehendit Fernelius, totum corpus sustinere non valuerunt, quamvis optimè figurata fuerint, decentemq; quantitatem &c. habuerint. Sic

*Similaris pars quæ.*

*Organica quæ.*

*Materiales affectiones etiam ad organum necessariæ.*

vis, optimè etiam diſpoſita & formata, ſi ex lignis carioſis & putridis conſtet, non immeritò vitioſa judicatur.) *conſtituitur, aliiq; in operando inſervit.* Hæ autem conditiones omnes, cùm ſimilari quoq; parti competant, Similaris ſeu Simplex pars etiam Organica exiſtit, maleq́; morbi ſimilares Organicis opponuntur: contra Logicam enim diviſionis membra uni & eidem diviſo tribui poſſunt; quemadmodum hunc errorem ante plures annos in prælectionibus meis detexi; miror autem, plurimos adhuc in eodem verſari, partemq́; ſimplicem & ſimilarem, quam diſsimilari & compoſitæ opponere debebant, Organicæ contradiſtinguere.

*Pars ſimilaris etiā organica eſt.*

Quare, ut rectè formetur ſtatus controverſiæ, quæritur hîc, An in Apoplexia Cerebrũ ut pars ſimplex ſeu ſimilaris *temperata*, hoc eſt, certâ temperie conſtans, vel ut ſimplex ſeu ſimilaris certo modo *conformata* (nam Cerebrum ſi modo eius membranas excipias revera ſimplex & ſimilaris pars eſt, parilemq; ubiq; ſubſtantiam habet, & quando Medici quærunt, ut quærere ſolent, an in Caro, læsâ memoriâ, Epilepſiâ &c. id ut ſimilare vel organicum membrum lædatur, ſimilarem partem etiam organicam eſſe nobis ultrò largiuntur) hoc eſt, certam figuram, magnitudinem & compoſitionem

*Cerebrum pars ſimilaris.*

 ha-

habens, potiſsimum afficiatur? Seu ut rem clarius exponam, dubitatur, *An in Apoplexia magis temperies cerebri, quam eius Compoſitio & Conformatio lædatur.* (Ubi hîc monere non inutile erit, quod ita vulgariter cum Medicis loquentes quando partem ſimplicem ſimpliciter ſimilarem nominamus non raro ad nudam ſaltem temperiem attendamus, quando autem eandem organicam ſimpliciter indigitamus, conformationem ipſius potiſsimum conſiderare ſoleamus, licet temperies etiam ſuo modo organica diſpoſitio ſit, quatenus ſcilicet animæ inſtrumentaliter inſervit) quæ in *figura & magnitudine* decente, *aſperitate & levitate, meatibus* certis &c. conſiſtit. *Numerus* autem connexio, & quæ huius generis ſunt alia, ad inſtrumentales partes ſimplices non pertinent, ſed organicas compoſitas, ex pluribus aliis diſsimilaribus conſtitutas, concernunt; prout, ſi Deus mihi vitam & firmiorem ſanitatẽ conceſſerit, ex mea *Pathologiâ*, quam ante decennium conſcripſi, ſuo tempore videbis.)

*Numerus Connexio ad organicas ſimplices non pertinent.*

Jacchinus, ut ad ſcopum iterum redeam & alii nonnulli volunt in Apoplexiâ cerebrum tantum ratione qualitatum primarum aliquid adverſi

pati

pati, & in naturali temperie mutari, hacq; mutatâ actiones eius omnes tolli & aboleri.

Sed quæ, quæso, intemperies nuda cum huius morbi celeritate & magnitudine contenderet; Qualitates illæ (has & sequentes rationes etiam Anno 1619 adduxi) in membris auctæ vel imminutæ, actiones eorum vel augent vel imminuunt, aut depravant, rarissime autem vel nunquam, nisi ad summum & ultimum quasi gradum pervenerint, istas penitus tollunt; vel si omninò intemperies aliqua etiam functiones membri cuiusdam aboleret, id in momento non faceret, sed paulatim & sensim, prout ipsa alteratio, per quam intemperies introducitur seu motus successivè & non in instanti fit, Apoplexia autem cum illicò, & quasi in momento hominem invadat, eam â sola intemperie oriri non posse certissimum est.

*Cerebrum in Apoplexia non ratione temperiei afficitur.*

*Motus fit successivè.*

Id quod etiam solutio huius morbi evincit. Nam sicuti Apoplexia citò fit, ita non raro, idoneis & convenientibus remediis adhibitis confestim etiam solvitur. Testantur enim, præter experientiam quotidianam, & observationes Medicorum quam plurimæ, multos Apoplecticos solo sanguine per venæ sectionem subtracto, repentè ac è vestigio sensum & motum recuperasse, & quasi

ex inſperato ad ſe rediiſſe. At nulla intemperies tam citò corrigitur & ſanatur, ſed quemadmodum ſucceſsivè fit; ita etiam ſucceſsivè deſinit.

*Nulla intemperies meatus occludit.*

Præterea, quæ intemperies ſola & immaterialis per ſe (:nam de hac impræſentiarum loquimur:) ſpiritibus per vaſa tranſeuntibus viam interciperet & præcluderet? Nulla ſanè. (niſi vitium quoddam compoſitionis ex accidenti quaſi introduxerit:) Nam veluti per ſe nihil facit temperies ad diſtributionem ſpirituum; ita nec ſola intemperies, (quemadmodum in phreneticis manifeſtò apparet) ad interceptionem eorum vel quicquam efficere poteſt: ſed pariter, uti per quosvis canales & tubos, ſive hi frigidi, humidi, calidi aut ſicci fuerint, aqua liberè & ſine ullâ remorâ fluit refluitq;: ita patentibus meatibus & vaſis cerebri, utcunq; ea in qualitatibus & temperie affecta ſint, ſpiritibus nullus per illa tranſitus denegari poterit.

Et hoc ipſum eſt, quod Galenus paſsim affirmat. Quando enim ex invaſionis modo morborum naturã demonſtrat, ſcribit inter alia, omnem actionem, quæ ſubitò tollatur, ſubitòque reſtituatur, non intemperiem ſequi, ſed diſpoſitionem organicam; ubi & in ſpecie noſtræ Apoplexiæ mentionem facit, eamq; exempli loco adducit, dicens

expreſ-

expreſsè, ſubitaneam ejus invaſionem, non intemperiem, ſed obſtructionem cerebri arguere.

Erit proinde Apoplexia *Morbus organicus*, & cerebrum in ea, non ut pars temperata per ſe ſimilaris (etſi ſæpius quædam intemperies cerebri frigida vel alia præcedat, cauſſamq; huius mali producat, atq; ſic eius generationi anſam præbeat:) hoc eſt, quoad temperamentum, ſed ratione organicæ & inſtrumentalis compoſitionis afficietur. Atq; omnibus morborum inſtrumentalium ſpeciebus penſitatis, ad nullam aliam convenientius reduci poteſt, quàm quæ in cavitatibus læſis cerebri conformationem corrumpit. Unde Occluſio meatuum cerebri, ſeu *Morbus cavitatum* vocari poteſt. Galenus lib. de different: ſymptomat: & alibi eiusmodi morbos *Morbos in viâ* indigitare ſolet. *Apoplexia Morbus organicus.* *Et quidem conformationis.*

## CAPUT XII.

### *An obſtructio ventriculorum cerebri Apoplexiæ cauſſa ſit.*

Qui autem ductus & meatus in cerebro obſtructi, horrẽdi huius mali cauſſa ſint, & an potius in eo ſpiritibus animalibus ê cerebro tranſitus in nervos, an verò vitalibus commeatus ad cerebrum præcludatur, jam explicandum eſt. *Qui ductus Cerebri in Apoplexia obturentur.*

Hacte-

Hactenus quidem ab omnibus ferè creditum fuit, Apoplexiam generari non posse, nisi animalibus spiritibus via ad partes corporis inferiores intercepta sit. At quomodo, & qua ratione ea intercipi possit, pauci exposuerunt.

Plurimi Medici omnem Apoplexiæ caussam in anteriores cerebri ventriculos rejecerunt, iisq; obstructis, nec animales spiritus generari, nec etiam generatos per nervos in corporis partes influere posse, statuerunt.

*Apoplexiæ caussa non est anteriorum cerebri ventriculorum obstructio.*

Sed â vero hi multùm absunt. Nam præsupponunt, spiritus animales omnes in ventriculis hisce anterioribus generari, quod tamen falsum esse, cum Varolio alibi (nempè in tractatu meo de cerebro) demonstravi. *Deinde* nec illud concedendum, cerebri ventriculos anteriores semper in Apoplexiâ obstrui & oppleri. Aperuerunt enim Medici & Anatomici excellentissimi capita eorum, qui ob fortem Apoplexiam interierunt, & tamen eam, quam nonnulli fingunt, in ventriculis hiscè obstructionem totalem nunquam observarunt. Imò testantur nonnulli sanctè, se in Apoplexiâ de mortuis cadaveribus ne crassos quidem humores in cerebri cavitatibus reperisse, vel ullum aliud omnimodæ obstructionis vestigium in iis deprehendisse.

*Ita enim Fernelius lib. 2. de abditis rerum caussis* eis *pag.* 234 scribit: Cum, inquit, aliquando vidissem virum viribus integrum, sinistri oculi ictu vehementiore, repentè attonitum corruisse, moxq; sensu ac motu privari, cùm spiritu difficili ac stertore, & cum aliis fortis Apoplexiæ indiciis, eumq; nec venæ sectione nec aliâ potuissem ratione servare, quin horis duodecim interiret, mortis caussam investigatione dignam putavi: Disciflo apertoq; capite, neq; ossis, neq; meningum, nec substantiæ cerebri quicquàm confractum divulsumq; , sed duntaxat interioris oculi venas contusionis vi diruptas animadvertimus, ê quibus sanguis duorum cochlearium mensurâ in cerebri basin procubuerat, qui concretus arterias eas obstringebat, quæ retiformem contextum efficiunt, & quæ illinc in cerebri ventriculos propagatæ choroidem alterum constituunt: Cerebri autem ventriculi prorsus illæsi inanesq; cernebantur. Hinc edoctus, alterum, qui citra caussam externam Apoplexiâ extinctus esset, dissecare visum est, in quo humor crassus & viscosus similiter ad contextum retiformem inventus est, cerebri ventriculis neq; oppletis nec obstructis.

*Fernelii observat.*

Nec solùm *Fernelius*, sed & alii Medici post

ipſum plurimi obſervarunt, ventriculos cerebri anteriores in Apoplexiâ demortuis minimè obſtrui, quos hîc allegare nihil attinet. Tantùm adducam ea, quæ *Conſtantius Varolius* in epiſtolâ *ad Hieronymum Mercurialem pag*:166. hac de re habet, & *Bauhinus in theat: Anatomic:l.3. cap.28.pag. 363. ex eodem repetit*, ubi inquiunt, non reperiri in Apoplexiâ demortuorum ventriculis cerebri maiorem excrementorum copiam, quàm communiter in aliis omnibus reperiri ſoleat.

Et quâ ratione, quæſo, hi ventriculi cerebri obſtrui poſſent? Sanè Medici nobis vix quartam eorum partem hactenus oſtenderunt. Nec ullus, qui non inverſo modo cerebrum ſecuit, credit aut credere poteſt, quantam hi ſinus amplitudinem habeant. Eſtq; veriſimile; in viventibus animalibus, ubi â ſpiritibus adhuc extenditur & illuſtratur cerebrum, eam longè majorem eſſe, quàm in demortuis apparet, ita ut non videam, qua ratione, ſalvâ veritate, hos ventriculos in Apoplecticis obſtrui & oppleri, aſſeri poſsit.

*Magni ſunt cerebri vĕtriculi anteriores.*

Si & oppletio aut obſtructio horum ventriculorum Apoplexiæ cauſſa; quî fit, quòd hydrocephalici non fiunt Apoplectici, in quibus tamen ventriculi cerebri humoribus vitioſis prorſus op-

*Hydroceph: laborant. non fiunt Apopl.*

pleti

pleti sunt? sicut ostendit insignis Chirurgus *Guilh: Fabric: Centur:* 306.*f.*17.*pag.*85.& *Doctiss: Vesalius refert*, se Augustæ Vindelicorum in puellæ biennis hydrocephalo laborantis post mortem dissecto capite, (:quod ei in mensibus plùs minùs septem ita increverat & intumuerat, ut viri caput magnitudine & mole non solùm æquaret, sed etiam excederet:) & quidem non inter calvariam, & exteriùs ipsam succingentem membranam aut cutem, ut aliâs Medici statuunt, sed in ipsis cerebri cavitatibus & ventriculis anterioribus, dextro & sinistro, valdè â copiâ humorum extensis, novem aquæ libras, seu tres Augustanas vini mensuras reperisse, illamq; nihilominus Apoplexiam non incurrisse, sed ad mortem usq; sensibus omnibus integrè usam fuisse: quod sanè fieri non potuisset, si oppletio & obstructio horum ventriculorum genuina & propria Apoplexiæ caussa esset.

Nec obstat, quòd aliqui obiiciunt, humorem hunc in ventriculis cerebri existentem tenuem & serosum fuisse, & propter suam tenuitatem spiritibus animalibus ad nervos viam præcludere minimè potuisse. Nam etsi libenter concedam, tenues & serosos humores hosce ad obstructiones minùs habiles esse, nec cavitates nervorum (si quæ

ſunt:) perfectè obturaſſe, ſpiritibusq; ad partes alias tranſitum denegaſſe; cùm tamen nimium abundaverint, atq; copiâ & multitudine ſua cerebri ventriculos omnes oppleverint; quæſo, annon hac ratione ſpirituum generationem, quam hujus opinionis Patroni in ventriculis hiſcè fieri ſtatuunt, & fundamenti quaſi loco pro aſſertione ſuâ firmandâ ac ſtabiliendâ proponunt, præpedire, eiq; impedimento eſſe potuerint, ut non minùs in hydrocephalo affectis, quàm Apoplecticis, vel non generatis vel non rectè productis ſpiritibus animalibus, actiones animales læderentur? Quod tamen, cùm falſum ſit & contra experientiam; falſum etiam dico, in hiſce ventriculis ſpiritum animalem produci, iisq; obſtructis, actiones cerebri omnes aboleri, cauſſamq; Apoplexiæ in hiſce cavitatibus ſolis latitare.

*Spiritus non in anterioribus Ventriculis Cerebri producuntur.*

Quis quoq; Anatomicorum neſcit, capitibus cadaverum, etiam carnificis manu peremtorum, apertis, omni tempore in vētriculis cerebri humores quoſdam reperiri, nec ſemper tenues, ſed aliquando ſatis craſſos, prout excrementa cerebri, quorum receptacula ventriculi ſunt, in ejusmodi hominibus diſpoſita fuerunt, qui tamen nec ſenſui nec motui anteà unquam obfuerunt aut obſti-

*In omnibus cadaveribus humores in cerebri ventciruslis reperiuntur.*

terunt. Ita, ut, nec immeritò, Valverda valdè irrideat eos, qui inopinatæ cujusdam mortis caussam in cadavere indagantes caput aperiunt, cónspectoq; in ventriculis cerebri quodam humore, ipsum repentinæ mortis caussam fuisse statuunt.

## CAPUT XIII.

### *An obstructio medullæ cerebri Apoplexiæ causa sit?*

ALII ex recentioribus huius sententiæ falsitatem animadvertentes, nec in omni Apoplexiâ ventriculos cerebri anteriores oppleri, nec iis oppletis, motum & sensum omnem prorsus aboleri posse videntes, tandem animales spiritus in universo cerebro generari & producirectè statuerunt. Et cùm, stante hoc, commodè Apoplexiæ caussas exponere non valuerint, omniumq; cerebri meatuum & pororum obstructionem momentaneam impossibilem & ipsi judicârint, demum affirmarunt, neq; ventriculos neq; alias cerebri partes, sed solam medullã cerebri, â quâ nervi omnes initium sumunt, occludi, hacq; ratione spiritibus animalibus ad partes corporis viam denegari.

*An spinalis medullæ occlusio Apoplexiæ caussa*

Hæc opinio licèt priore sit probabilior; nobis tamen nondum satisfacit, nec etiam suis difficul-

tatibus caret. Nam primò omnes, qui hoc asserunt, in eo mihi errare videntur, quòd omnem cerebri medullam, hoc est, tàm globosam, quàm oblongatam in Apoplexiâ obstrui velint, & tamen anteriores cerebri ventriculos, nihil pati dicant, eosq; ab omni obstructione liberos & salvos pronuncient, quasi hi ventriculi, ut sectio *Varoliana* ad oculum demonstrat, non in medio ipsius medullæ globosæ excavati essent, & secundùm ejus longitudinem protraherentur. Imò ab horum ventriculorum parte infimâ, ubi scilicet reflectuntur, processus duo maximam partem caudicis, seu medullæ oblongatæ & spinalis, à quâ plurima nervorum paria prodeunt, pronascuntur; ita ut quicquid etiam de medullæ obstructione dicatur, explicari nõ posit, quomodo, ventriculis nõ oppletis, quemadmodum hujus opinionis fautores ambabus nobis largiuntur manibus, universa cerebri medulla totaliter & perfectè obstrui & oppilari queat. Sanè omnis obstructio pertinet ad meatus cavitates vel poros. Et dicere cerebri medullam omnẽ obstructã esse; ventriculis sinibusq; ejus adhuc salvis, nec ullo modo occlusis; idẽ est ac si affirmarẽ, cor totũ plenũ esse, cavitatibus & thalamis vacuis; vel epar oppilari, venis ejus nihil patientibus.

*Ventriculi anteriores Cerebri in Medio Medullæ excavati.*

*Ventriculis nihil patientibus totaliter Medulla obstrui non potest.*

Dicis

Dicis pro defensione horum, non medullam *globosam*, quæ *caput medullæ*, doctrinæ caussâ, nominari potest, & intra cerebri corticem radices agit, sed *oblongatam*, quæ cauda dicitur, in Apoplexiâ obstrui, & hac ratione spiritibus animalibus transitum & viam intercipi? Aliquid quidem dicis, verùm prædictæ opinionis autoribus vix patrocinaberis. Nam si sola medulla oblongata seu cauda obstructa; dic mihi, quo in loco illa obstructio facta sit, an in initio, ubi hæc duobus magnis processibus â globosâ pronascitur, an verò, ubi jam per magnũ occipitii foramen egreditur, vel adhuc egressura est? Posterius asseri nõ potest, quia eo in loco obstructa medulla omnibus spiritibus animalibus viam intercipere minimè posset: cùm non nervi omnes obstruerentur, sed multi, qui iuxta ejus principium oriuntur, integri & illæsi permanerent, quemadmodum ex dissectione cerebri inversâ ad oculum demonstrari potest. Nec priùs rectè affirmatur, quia, si principium huius caudicis saltèm obstructum esset, fieri non posset, quin portio humorum obstruentium circa id in ipsis ventriculis hæreret, & manifestò quod tamen non accidit, in iis conspiceretur: proximè n. sub his, vel potiùs ab ipsis ventriculis processus hujus medullæ

*An sola Medulla oblongata obstructa sit.*

ori-

oriuntur. Imò obſtructo tantùm medullæ oblongatæ principio, â poſterioribus magisq; inferioribus duobus cerebelli proceſsibus ad ejusdem etiam caudicis conſtitutionem, inferius ferè ad occipitis foramen concurrentibus, ſpiritus in cerebello, (quod à cerebro eſſentialiter non diſtinguitur, ſed portio ejus poſterior & durior eſt,) generati ad ſpinalem medullam derivari, & hinc ad partes corporis reliquas deferri poſſent, ſicq; ſenſibus in membris abolitis ad minimum motus remaneret; quod tamen falſiſsimum eſt, & experientiæ contrariatur.

*Spiritus in omni cerebri parte generantur.*

Sed ponam, totum medullæ oblongatæ caudicem unà cum ejus principio eſſe obturatum; quis mihi jam explicabit, cur Apoplectici non videant, omnisq; videndi facultas in ipſis ſit abolita? Cùm enim ſpiritus animales in omni cerebri parte (prout ab adverſariis conceditur; neq; etiam ab eo, qui cerebri ſtructuram rectè perpendit, facilè negari poteſt:) generentur; cortex autem cerebri, & anteriores ejus partes, ſicut & medulla globoſa ipſa, à quà optici nervi prodeunt, læſæ & obſtructæ non ſint, ut iidem quoq; aſſerunt, mihiq; ultrò concedunt; in cortice & aliis cerebri partibus non affectis, ex ſpiritu vitali, qui animalis materia eſt,

&

& ex mente illorum in Apoplexia nunquam deficit, ſed à corde cerebro abundanter, vigente etiam morbo, ſuppeditatur, ſufficiens pro ſenſibus, qui ſuperſunt, copia ſpirituum animalium generabitur, hiq; ad nervos viſorios delati, videndi potentiam adhuc in Apoplecticis conſervabunt. Nam licèt nervi optici à medullari cerebri ſubſtantiâ prope caudicem oriantur; non tamen ab ipſo caudice originem ducunt, ſed ſub ventriculis, & quaſi ex his è medullâ globosâ prodeunt: ita ut caudice ſeu potiùs caudâ ſpinalis medullæ obſtructâ, nervos ſimul opticos obſtrui neceſſe non ſit.

*Quæ ſit nervorum opticorum origo.*

Idem cùm in ſæpius jam allegatâ de Apoplexia diſputatione, Anno 1619. menſe Februario habita, affirmaſſem & demonſtraſſem: Medici, (qui cùm me nominare noluerint, nec â me hîc nominabuntur,) nonnulli, (de omnibus enim non dico, nam quibusdam meas haſce ſpeculationes valdè gratas fuiſſe ſcio,) imò & ii, quibus tamen alios meos labores non diſplicere video, hanc meam opinionem tacitè ſuggillarunt meaſq; allatas rationes, verbis, & quidem nonnunquam ſatis acerbis, perſtrinxerunt: (latebat profectò tùm temporis multos adhuc ſinuum craſſæ meningis, ductuumq; cerebri conſtitutio medullæ oblongatæ poſitus ner-

vorumque nonnullorum verus exortus, hæc enim omnia non nisi per sectionem cerebri inversam, quæ Varoliana dici solet, nec à quovis, sed in Anatomicis non parùm exercitato rectè administrari potest, verè cognosci queunt) nec, quod me non parum afficit, defuerunt, qui paulò post quàm meam disputationem evulgassem, satis contemtim scribere non verebantur, ex sectione Varoliana (quasi fortè ego eam nunquàm administrassem,) facilè aliud ostendi posse, nempe omnium nervorum seu à cerebro seu à cerebello oriundorum, principium primum tam vicinis locis & terminis concludi & contineri, ut omnes tam sensui quàm motui (nam ego motum à cerebello, sensum autem à cerebro proficisci statuo) inservientes mox sub primum exortum ita occludi possint, ut spiritibus animalibus in organa sensûs transitus & via omnis intercipiatur, ita quidem, ut nec nervi optici ipsi, juxta caudicis exortum originem habentes, salvi sint, &c.

*Defensio Autoris.* Verùm (quod tamen omniũ pace dicam. Nam meum institutum non est hîc vel quenquam suggillare aut perstringere, sed tantùm me potius ab aliis lacessitum & reprehensum defendere & pro veritatis ulteriore inquisitione rationes in mea de

Apoplexiâ disputatione adductas uberiùs explicare, easq; non ita vanas, futiles & frivolas esse, ut tàm facilè refelli ac reiici, aut aliis in Anatomicis parùm versatis fortè proponi aut exponi possent, ostendere. Idquè, ut faciam, summa necessitas postulare videtur. Etenim cùm jam allegato loco ex longè aliis principiis, ac Medici hactenus fecerunt, huius gravissimi morbi caussam deduxerim, primusq; fuerim, qui ea, quæ de libero in Nervos opticos influxu, anterioris & posterioris spinalis medullæ partis obstructione, sensuumq; internorum, obturatâ saltèm spinalis medullæ caudâ, remansione &c. ab aliis afferuntur & refutantur, proposuerim, & aliorum libri in multorum manibus versentur, mea autem de Apoplexiâ disputatio paucis innotuerit, ne à plurimis plagii criminis, à quo horrendo vitio, quo viro bono proprius quasi succus & sanguis extrahitur, & in alienum corpus transmutatur, à iuventute meâ alienissimus fui; insimulari possim, ac si fortè in hoc tractatu mihi quædam attribuerem, quæ tamen ante aliquot annos in quorundam scriptis refutata extent, non potui non aliter facere, quàm eadem fundamenta & anno 1619 à me proposita esse, hoc in loco indicare, &, quod mihi nemo vir bon9 & cordatus, nisi planè ex affectu & ma-

*Cur autor refutatas ab aliis rationes suas esse ostendat.*

 levolentiâ

levolentiâ judicare, & quam aliis me reprehendendi licentiam concedit, eandem me, meaq; defendendi mihi denegare velit, vitio vertet, quæ adversus ea à nonnullis adductæ fuerunt, rationes ceu infirmas & invalidas adhuc diluere, easq; nostræ assertioni vel nihil quicquam officere, cunctis demonstrare, meaq; propugnare; id quod homini ingenuo & liberè philosophanti licitum est, salvaque cum aliis amicitiâ fieri potest. Nam quanquam à nonnullorum opinionibus dissentiam, propterea tamen, modo alia omittãtur, meus ab ipsis non dissentit animus, vinculumq; amicitiæ nostræ non magis ab hoc amico quasi colloquio, quod solius veritatis, & studii Medici promovẽdi gratia suscipitur, & inter amicissimos quosq; sæpè institui solet, jacturam patietur, quàm à levi turbine scopulosa quædam rupes. Et quod de me fateor, de aliis opinor.) Verum, inquam, me nullo modo vel quicquam contra Anatomen de opticorũ vel aliorum nervorum exortibus in meâ de Apoplexiâ disputatione, quamvis eam anno ætatis meæ 25. conscripserim, proposuisse, animadvertent omnes, qui cerebri fabricam & nervorum exortum rectè considerabunt; testesq; voco omnes veros Anatomicos, qui sectionem illam Varolianam propriâ manu,

ſive in homine ſive in brutis quadrupedibus,(quorum cérebra ab humanis, fabricæ ratione, non diſcrepant; imò, teſtibus etiam Varolio, Bauhino, Spigelio, quædam particulæ in ipſis longè evidentiùs, quàm in humanis capitibus conſpici & demonſtrari poſſunt;) id factum fuerit, unquam adminiſtrarũt, ut verè & ſincerè judicent, an ego quid affirmarim, cujus falſitas ex ſectione Varoliana tàm facile oſtendi poſsit, nec, quæ de cerebri ventriculis, medullâ, nervorumq; exortibus propoſui, cum veritate & ipsâ autopſia planè conſentiant, nerviq; optici non à ventriculis ita prodeant, ut cavitatibus hiſce illæſis, & caudâ ſaltèm medullæ obſtructâ, illos quoq; obſtrui minimè neceſſe ſit. Imò ut veritatem fatear, illa ſectio Varoliana me in hanc ſententiam deduxit, egoq; (quod tamen citra jactantiam dico) bonâ fide affirmare poſſum, me primùm in hac Academiâ VVittebergenſi eam adminiſtraſſe, cerebrumq; inverſo modo ſecuiſſe, verumq; nervorum exortum & alia in brutorum capitibus, mox à trunco avulſis & quaſi calentibus adhuc(nam talia ad hanc ſectionem requiruntur) ritè apertis, ſtudioſis nonnullis, quibus mea opera uti libuit, aliquoties domi demonſtraſſe. Cupio etiam mihi oſtendi ullum Anatomicum verum, (nam de

*Nervos opticos caudâ medullæ ſaltem obſtructâ occludi nõ neceſſe eſt.*

*Autor primus Varolianã ſectionem Witebergæ adminiſtravit.*

omnibus non loquor) qui contrarium affirmet, aliamq; originem nervis opticis assignare audeat. Ego autẽ omnibus demonstrabo *Varolium*, *Bauhinum* & *Doctiss: Riolanum*, qui planè in mea sententia sunt. Ita enim hic, ut alios jam prætercam, *Anthropograph: l. 4. cap. 2. p. 388. scribit: Galenus lib. de usu partium & Comment: ad aphorism: 51. lib. 7. ex Hippocrate* docet, in cavitatibus ventriculorum cerebri spiritus coerceri. *Atq; productio nervorum opticorum ab ipsis ventriculis manifestò probat, inde spiritus visivos tanquam è cisternâ derivari.* Et paulò post pag: 392. demonstrat, *nervos opticos, ut acies amborum oculorum extrinsecus pyramidem constituat, intra ventriculos (NB.) in uno puncto coire.*

*Riolanus & alii Anatomici autori assentiuntur.*

His audis, & *Clarissimum Riolanum*, insignem hoc tempore Anatomicum mecum planè, quoad opticorum nervorum originem (etsi quoad locum, ubi spiritus generetur, à me dissentiat, quod hoc in loco non curo) consentire, & expressè affirmare, eos ab hisce ventriculis prodire; imò, quod adhuc magis est, spiritus animales in visorios nervos deferri non posse credit, nisi ex hisce cavitatibus cerebri in ipsos deriventur.

*Sed idem hodie & meos contradicẽtes affirmare vidi.*

Dic itaq; mihi, quomodo, nullo humore obstruente in ventriculis apparente, ut conceditur,

nervi

nervi optici obſtruantur? Expone mihi rationem ſolidam, cur, caudâ obturatâ, hoſce & vicinos nervos iſthic prodeuntes oppilari neceſſe ſit? Credisne materiam fluentem craſſam, quæ in cerebri ventriculis iſtis facilè aſſervari poſſet, locumq; in ipſis ſpacioſiſsimũ & convenientiſsimum haberet, magis gaudere, quosvis ſolidos & minimè manifeſtè cavos nervos (tales enim eos eſſe, & per eorum ſubſtantiã citra ductus ſenſiles ſpiritus ferri, adeoq; ad obſtructiones minùs habiles exiſtere, & oculi vidẽt, & præter Platerum etiã jam citatus Riolanus aliiq; affirmant) penetrare & ſubire, quàm in cavitatibus iſtis manifeſtis aſſervari? Vel putas, eandem quaſi ſtudiosè, & non niſi cum quadam violentia præter morem ſuum in corpora ſolida, & quidẽ momentaneo temporis ſpacio, quò Apoplecticos corripi videmus, ſeſe inſinuare, nec potius per alias vias patentes & apertas, ejus expurgationi aliàs deſtinatas, effluere ac emanare? Aut perſuaſum tibi habes, Naturam, ſatis ſæpe in initio morbi adhuc validã, ita ſui oblitã eſſe, ut vitioſa excremẽta, cũ poſsit, non tamen per communia expurgatoria ex ventriculis expellere velit, ſed ea ſummo cũ labore & difficultate in nervos impervios protrudat, & quaſi impingat, hacq; ratione ſibi ipſi exitium paret?

*Nervi non ſunt manifeſtò cavi.*

*Impoßibile eſt, craſſos humores magis in nervos impervios, quam ventriculos cerebri ruere.*

*Nervorũ principium non ideo angustum, ut facilè occludi possit.*

Neq; est, ut aliquis principium nervorum adeò arctum sibi imaginetur, omniumq; eorum tam à cerebello, quàm cerebro oriundorũ exortum tam angusto termino, qui facilè occludi possit, coërceri existimet. Aspice enim & intuere utriusq; medullæ amplitudinem, indeq; prodeuntium nervorum originẽ hinc & hinc rectè perpende; collustra etiam locum, quò omnes obstrui debeant, videbis (attendi ad hoc proximè studiosè adhuc, cùm Mense Augusto Anni 1628 furem publicè dissecarem) eum minimè angustum esse, sed satis amplum, ut, quomodo & quo in loco omnes simul & semel obstrui & oppleri possint, non sine caussâ dubitaverim, imò pro re impossibili habuerim & adhuc habeam.

*Uno obturato nervo nõ statim alter obstruitur.*

Quid & hoc est, dicere, nervos in exortu sibi ita vicinos esse, ut, uno affecto, ob caussam vicinam & alius afficiatur? Sanè, humor obstruens in uno nervo hærens mox alios vicinos similiter afficere, vel totalem utriusq; medullæ, si alia, quæ ad ejusmodi obstructionem requiruntur, non adsint, occlusionem parere minimè potest? Nec putandum,

*Nervi non ita æquali serie in capite locantur, ut in tabulis depingunur.*

nervos sibi in cranio omnes in exortu ita æquales esse, vel æquali serie ad organa sensûs & motûs ferri, prout eos in tabulis Anatomicis, quæ multos, inprimis Iconicos Anatomicos, decipiunt, in inverso

cerebro

cerebro delineare opus fuit; sed conjugationes plurimæ sibi invicem succedunt, & una alterâ non nihil superior est, ita, ut inferiores obstrui vel quovis modo occludi possint, salvis superioribus, haud aliter, atque una meseraica vena, alterâ vicinâ illæsâ, obturari solet, seu, ut clarius exemplum habeas, intercostales rami inferiores venæ azygos oppilari possunt, salvis superioribus. Vel si omninò etiam hæ venæ intercostales omnes à caussâ gravi obturarentur, aliquid humorum obstruentium etiam in ἀζύγȣ trunco appareret, hicq; à morbificæ materiæ copiâ planè immunis esse non posset, ut cerebri ventriculos esse vides, quanquam nervorum constructio longè alia, quàm ramorum intercostalium existat: siquidem venæ sine pari surculi manifestâ cavitate præditi sunt; nervi autem minimè.

Atque ut omnes me satis liberalem esse videant, dabo Medicis etiam hoc, in Apoplexiâ cum oblongatâ medullâ seu caudâ etiam nervos opticos occludi & obstrui, adeoq; externos sensus omnes abolitos esse: Aliud tamen, & quidem magni momenti dubium à me Anno 1619. etiam adductum, (in quo refellendo & hodie adhuc quosdam valde sudare video) omnibus explican-

*Cur Apoplectici non ratiocinentur.*

dum restat, nempe quî fiat, quòd interni sensus in Apoplecticis non remaneant, sed cum externis etiam Imaginatio, Ratiocinatio, Memoria &c. tollantur, ægriq; durante paroxysmo, nihil percipiant aut intelligant, nec alicuius recordentur; cum tamen anteriores & superiores cerebri partes omnes illæsæ sint, nec in ipsis ventriculis ullum vitium deprehendatur, sed solummodò circa basin, & in infimâ sede ejus (ut Medici hactenus docuerunt) rivuli seu ductus, spiritus animales avehentes, obstruantur & occludantur. Verissimum autem sit, idq; pluribus in meo tractatu de cerebro ostensum, anteriorem cerebri portionem ratiocinationi, imaginationi & sensibus destinari, motum autem potissimùm à cerebello proficisci. Hinc, quibus posterior capitis pars seu occiput prominet, robusti sunt, & memoriâ optimè valent, quibus autem vertex vel synciput extuberat, ii pro ingeniosis à Medicis, & quidem rectè, consentiente quoque experientiâ, habentur. Quibus ita stantibus sic argumentor:

*Anterior cerebri portio destinata est ratiocinationi, imaginationi & sensibus.*

Positis requisitis omnibus ad partis actionem necessariis, nec impeditis, impossibile est, ejus actionem non sequi.

In

In Apoplecticis, ſtante communi Medicorum ſententia, omnia ad ratiocinationem vel alias plurimas cerebri actiones neceſſaria requiſita ponuntur.

Ergo etiam ipſas operationes cerebri, nempe ratiocinationem & imaginationem poni neceſſe eſt, & conſequenter Apoplectici in ipſo paroxyſmo aliquid ſibi imaginari, deq; rebus cogitare poterunt, quod tamen manifeſtè falſum. Minorem probo inde:

I. Quòd in Apoplecticis ipſa facultas ratiocinandi præſens, & anima in corpore adhuc præſtò ſit.

II. Quòd ſubjectum & organum ratiocinationis, hoc eſt cerebri anterior pars, minimè, ut conceditur ab omnibus, affectum ſit, ſed ſolùm cauda medullæ & nervorum principium, in quo tamen ratiocinationē fieri nemo aſſerit, vitio quodã obſtructionis laboret, tantumq; abſit, ut hæc obſtructio diſcurſum impediat, ut & eũ promoveat, imò cauſſa exiſtat, ut actio ratiocinandi rectiùs ac perfectiùs fiat, cum animales ſpiritus, ad ejusmodi operationē imprimis neceſſarii, non deficiant, ſed potiùs abundent, quippè qui tum in reliquas corporis partes, obſtructis nervis, influere nequeant.

Omnibus autem notiſsimum, cerebri actiones defectum vel abundantiam horum ſpirituum ſequi, & pro eorum copiâ vel inopiâ functiones animales vel meliores vel deteriores eſſe.

III. Quòd commune omnium partium inſtrumentum non deficiat, hoc eſt, ſpiritus influens à corde cerebro in Apoplecticis abundanter ſuppeditetur, (ut quidã multis oſtendere ſatagunt) qui operationẽ cerebri non ſolùm juvat, ſed & materiam ſpiritui animali, qui in omni ſubſtantiæ cerebri parte generatur, ſuppeditat. Nam ſicuti poſterior & inferior pars cerebri magis diſtributioni ſpirituum quàm eorum productioni inſervit: ita anteriorem & ſuperiorem ejus ſedem magis illorum generationi quàm diſpenſationi famulari, huius viſceris tota fabrica & ſtructura demonſtrat.

Dicis, forte deficere adhuc aliquid ad ratiocinationem, nempe *ſpecies intelligibiles*, quæ à ſenſibus externis intellectui non ſuppeditentur. Quaſi verò intellectus nihil intelligat, niſi ſenſus externi ſemper in actu ſecundo ſint. Putasne eos omnes, qui in profundis carceribus continentur, nihilque audiunt, vel vident, nihil etiam intelligere, aut de nullâ re cogitare, propterea quòd tum nec oculi videant nec aures quicquam audiant? Et

*Intellectus intelligit, etiamſi ſenſus externi non ſint in actu ſecundo.*

nonne ligatis hisce sensibus omnibus phantasia adhuc operari, speciesq; producere, vel antea etiam productas aut ex seipsa (nam & in eâ quasdam asservari Philosophi docent) iterum depromere, aut ê memoriâ & cerebello, quod in Apoplecticis illæsum ducitur, mutuari & intellectui offerre posset, cum idem sæpius in somno quiescentibus sensibus externis faciat?

*Species nonnullæ etiam in phantasia asservantur.*

Neminem quoq; offendat *spirituum animalium* copia, ita ut ob eam cerebri actiones impediri, credat. Quæ enim quæso copia spirituum actionem ullam animalem abolevit? Pro abundantia & defectu spirituum actiones cerebri quidem vel facilitari & promoveri vel diminui jam dictū; ob nimiam autem eorum copiam nullam unquam prorsus aboleri vidi.

*Ob copiam spirituum actiones cerebri non impediuntur sed promovẽtur vel diminuuntur.*

Quòd autem in corde spiritus concentrari & suffocari dicuntur, longè alia ratio quàm in cerebro est, quia in animi affectibus ex omnibus partibus spiritus vitales versùs principium & fontèm recurrunt, & quàmdiu in arteriis consistunt, sanguine arterioso ceu vehiculo utuntur, nec citra eum per vasa sua vehi possunt: inde in recursu plurimum ejus secum in cordis sinus rapiunt, qui ibi justo copiosius coacervatus & à spiritibus con-

*Cur in corde spiritus suffocari dicantur.*

*Non spiritus sed sanguini cor suffocat.*

concentratis quasi effervescens & ebulliens aliquando cor suffocat. Non igitur spiritus, ut spiritus, cordis actionem abolent, sed sanguis qui in largiore copiâ & ἀθρόως in thalamos & sinus illius cũ spiritibus ruit. Et cùm animales spiritus citra sanguinem per nervos vehantur, tale quid de iis in cerebro nullo modo metuendum est.

*A Copia spirituum vitalium animalium generatio non impeditur.*

Multò minus credendum, à spirituúm vitalium copiâ spiritus animales vel turbari, aut eorũ generationem prorsus impediri. Nam turbatio spirituũ in cerebro (si vel maximè ea à vitalibus spiritibus, de quo tamen valde dubito, fieri posset) non penitus sensus abolet, sed saltèm ad tẽpus turbat depravat, aut aliter ipsos afficit. Si & abundãtia spirituum vitaliũ generationem, animaliũ planè impediret, cur in sanguineis, aliisvè plurimis spiritibus vitalibus abundantibus, nulla in cerebro læsio, nullusq; spirituumq; animalium defectus unquam deprehenditur? Cur & otiosi omnes, in quibus animales spiritus nõ multum dissipantur, vitales autẽ largiter & affatim cerebro continuò communicantur, nõ de turbatione aut impeditâ spirituũ animalium generatione conqueruntur? Credisne etiam in senibus imbecillibus, qui ut plurimùm Apoplectici fiunt, tam affluenter & largè spiritus vitales semper

à corde

à corde cerebro ſuppeditari, ut animales vel nimis abundanter producantur, vel ob copiam materiæ eorum generatio præpediatur? Id ſanè ſi accideret, unicè in Apoplexià Medicis laborandū, ut ſpiritus vitales, qui in ægrotantis cerebro abundare &, ob abundantiā nimiā animaliū generationē impedire, ſicq; actiones cerebri lædere dicuntur, diſsipent & abſumant, quò hoc membrum à copia eorum non ampliùs gravatum viciſsim operari & agere incipiat. Inſtituat, qui velit, hoc modo curationem Apoplexiæ; ego non ſequar.

*Apoplexia non rectè per diſſipationem ſpirituum vitalium curātur.*

Confugis ad ſpirituum defectum, dicisq; illud omne, quicquid ſpiritûs animalis generatur, pro reſpiratione ad thoracem transmitti. Verùm ſi anguſtum eſt nervorum principium, idq; in Apoplecticis totum obſtruitur; ut à multis affirmatur, demonſtrandæ mihi ſunt viæ, per quas, toto & omni principio nervorum obſtructo, quicquam ſpirituum thoraci pro motu ſuppeditari poſsit.

Inſtitue quoq; collationem inter totum corpus, & partes cerebri non læſas, poſteaq; verè ac ſincerè judica, annon hi, qui adhuc in cerebro ſano produci poſſunt, ſpiritus, hiſce operationibus ſufficere queant. Concedunt recentiores, in Apoplexiá non ventriculos anteriores, nec quicquid cere-

*An ſana cerebri portio in Apoplexia operari poſſit.*

cerebri ſuper ipſis eſt, lædi, ſed ſolam ejus inferiorem caudam ſeu ſpinalem medullam, ê quâ nervi prodeunt, obſtrui. Ergo maxima cerebri portio illæſa remanet, & proinde, ſi in omni ejus parte ſpiritus animales fiunt, tanta copia ſpirituum, quæ motui thoracis, & aliis cerebri actionibus ad huc ſufficit, in parte ipſius ſana generari abundè poterit; præcipuè cum, ut modò dixi, pars obſtructa aliàs parum de ſpiritibus animalibus producat, ſed potiùs eorum per corpus diſtributioni inſerviat. Si quoque non tanta cerebri moles illæſa generationi ſpirituum animalium pro reſpiratione ſatis eſſet; quam tandem pro ſenſibus motuque reliquorum membrorum omnium ſupereſſe putas?

Nulla profectò excogitari poteſt ratio, cur, hiſce jam enumeratis requiſitis omnibus præſentibus, interni ſenſus plane otientur, & homo in Apoplexia nec quicquam cogitare nec ratiocinari queat, ſi videlicet cauſſa hujus morbi in ſola inferiore cerebri parte & caudice ſpinalis medullæ (ut affirmatur) lateat. Nam quemadmodum, occluſis venæ cavæ ramis ab epate prodeuntibus, non ilicò epatis actio, & ſanguinis coctio perfecta (nam & venas ſanguificare, ante biennium, in meo de ve-

*Occluſis venæ cavæ ramis non ſtatim epatis actio tollitur.*

nis

nis tractatu, quem propediem, si Deus mihi vitam concesserit, editurus sum, ostendi) aboletur, sed saltèm geniti humoris distributio impeditur; & pyloro occluso, non in momento chylificatio in ventriculo tollitur, sed tantùm chyli in intestina effusio prohibetur: Ita obstructis cerebri ductibus seu nervis, non subitò cerebri actionem omnem prorsus aboleri, sed, ut modò dictum, potiùs augeri; effluxùm autem spirituum per nervos in partes corporis reliquas duntaxat impediri necesse est.

Sed video ad meam hanc opinionem rectius infringendam, nonnullos statuere primò in quarto ventriculo, in cerebro oblongato exsculpto spiritus animales generari, & ob hujus obstructionẽ ipsis in Apoplexiâ viam in nervos denegari; deinde cum cerebrum hoc modo graviter affectum sit, non mirum esse, si actiones ejus tollantur, cum sæpè membro unà ex parte saltèm læso, tota ejus œconomia turbetur. *An spiritus in quartò cerebri ventriculo generentur.*

Verùm quod prius attinet, nego quartum ventriculum in ipsâ cerebri medullâ exsculptum esse, siquidem totus à cerebello, & aliis adjacentibus partibus efformatur. Inter portiones quidem spinalis medullæ existit; at non in iis excavatus est, sed tantùm ex vicinarum partium combinatione *Negatur.*

*Quartus ventriculus extra cerebrum existit.*

emergit. Quando enim duo trunci ê cerebello prodeuntes ad ſpinalis medullæ caudam conſtituendam progrediuntur, antequam ex toto uniantur, & cum aliis proceſsibus à cerebro enatis congrediantur, ſuper eos aliquouſque repentes, & à ſe invicem nonnihil initiò diſtantes cavitatem efformant, calamum ſcriptorium referentem, quam pro quarto ventriculo Anatomici demonſtrant. Eſt itaque totus hic ventriculus extra cerebrum; rectiusq; diviſio ſeu ſeparatio proceſſuum ſpinalis medullæ, quàm ejus, aut cerebri ſinûs vocari poteſt: & inde à *Valverda* & aliis recentioribus etiam Anatomicis ventriculi nomine planè indignus habitus fuit. Sic enim de eo *Caſparus Bauhinus lib. 3. Theatri Anatom. cap. 28. pagin. 361.* loquitur: Quartus ventriculus ſitus eſt inter inferiorem cerebelli partem & ſuperiores truncos ſpinalis medullæ; ubi ſpinalis medulla inſtar calami ſcriptorii excavata conſpicitur, propterea quòd trunci ſunt à cerebello naſcentes, qui, antequam ex toto uniantur, cum aliis ê cerebro natis per aliquod ſpacium ſupra eos progrediuntur, aliquantulum invicem diſtantes: unde neceſſariò illa cavitas fit, *quæ tamen in ſpinali medulla exſculpta non eſt, nec per ſe à naturâ intenta.* Hic verò

ſinus

ſinus à truncis duobus à cerebello ad ſpinalis medullæ conſtitutionem enatis formatur, & ex diſtantia utriusque propaginis cerebelli producitur. Antequam enim cum duobus majoribus truncis ê cerebro natis uniantur, ſupra hos invicem aliquantum diſtantes progrediuntur, ita ut cavitas illa neceſſariò fiat, & non ſecùs quàm tertius ventriculus extra cerebrum cerebellumque ſitus ſit. Hæc *Bauhinus.* Idem etiam ferè habet *Adrianus Spigelius lib.* 10. *de corporis humani fabricâ cap.* 8 *fol.* 321. quando ita ſcribit: Cerebellum auferendum eſt, ut quartus ventriculus pateat, qui inter ipſius baſin & ſuperiorem ac poſticam ſpinalis medullæ partem ex eorum concurſu enatus reconditur, cum revera non ſit aliud quàm cavitas quædam teres, ex duobus ſinibus ſemicircularibus efformatus. Superiorem ergo ejus portionem cerebellum, inferiorem ſpinalis medulla confert. Ac ſi rem aquâ metiaris æſtimatione, *ventriculi nomine prorſus eſt indignus, cum in ipſâ cerebri cerebellive ſubſtantiâ non ſit ſitus, neque primariâ intentione à naturâ exſculptus, ſed ex corporum diſpoſitione neceſſariò talis emergat.*

*Spigelii opinio de quarto ventriculo cerebri.*

Varolii verba.

Et si neq; hi tibi sufficiant, vide *quid Constantius Varolius* (qui, si ullus in sectione cerebri accuratus fuit, hic fuit; cui etiam viro Doctissimo illam cerebri sectionem inversam, illudq; omne, quod de vero exortu nervorum hodie scimus, unicè debemus;) *lib. de nervis opticis pag.* 134. nobis scriptum reliquerit. Formatur, inquit, quartus ventriculus, ut eum vocant, inter inferiorem partem cerebelli & superiorem truncorum spinalis medullæ; quod spacium cum *sit extra cerebrum & cerebellum, non potest propriè appellari ventriculus.* Nec obstat id, quod dicunt omnes, nimirum spinalem medullam eo in loco esse ad instar calami scriptorii excavatam, propterea quòd sunt trunci à cerebello nascentes, qui antequam ex toto uniantur, cum aliis inferioribus à cerebro natis per aliquod spatium suprà eos progrediuntur, aliquantulum invicem distantes: Unde necessariò fit illa cavitas, *quæ tamen non est exsculpta in spinali medulla, nec per se à Natura intenta.* Hæc Varolius.

Cùm itaque planum, omnes recentiores Anatomicos affirmare, non in ipso cerebro vel cerebello quartum ventriculũ exsculptum esse, hujusq; rei veritas ad oculum ex Anatome facilè ostendi possit, ut & à me sæpius factum fuit, quomodo is

spiri-

ſpirituum animalium officina ſtatui poteſt? Dicendumne ſpiritus hoſce extra cerebrum produci, poſteaq; per tenuem cerebri meningem, viamque ſpiritibus minùs convenientem in proceſſus ſpinalis medullæ deduci? vix ullum reperiri exiſtimo qui hoc affirmaret. Vel ſi affirmaret à veritate multum aberraret; ſicut & ii ab eadem non parum abſunt, qui dicunt, cerebri ſubſtantiam, cui ſimilis in toto corpore nulla alia exiſtat, & tantam ejus molem ac ſtructuram planè, ſi non ſpiritûs animalis cauſsâ facta ſint, fruſtra facta eſſe: (quaſi non ſat nobiles actiones exerceret cerebrum, etiamſi novos ſpiritus animales dictos non generaret.) Si & hæc cavitas ſpirituum animalium generationi deſtinaretur explicandum, cur vaſa cerebri inſigniora ad eam non ducantur, oſculisquè hiantibus & apertis ſpiritum vitalem, animalium materia futurum, in illam tanquam ciſternam effundant, veluti in corde & alibi accidit? Cur & nervi ab eâ non oriuntur, ut, quod ſemel de ſpiritibus, generatum eſt, in inſtrumenta ſenſûs & motûs illico abducatur & deferatur? Cur & in hac cavitate in omnibus cadaveribus humores, qui tamen Apoplexiam non excitarunt, ſemper reperiuntur? Quâ etiam ratione Paralyſis ex Apoplexiâ fieret,

*Spiritus nõ extra cerebrum producuntur.*

*Cerebrum etſi ſpiritus non præpararet, ſat tamen nobiles actiones exerceret.*

*Spiritus animales, nõ in quarto ventriculo præparari oſtenditur.*

si in solo hoc, ut vocatur, ventriculo quarto caussa morbi existeret? (Et quia hæc Anno 1627. 7. die octobr. alicui, nescio cui, ostenderam, rectè nonnulli suam sententiam prorsus mutarũt, & quemadmodum proximè vidi, ipsimet jam asserunt, recentiores Anatomicos diligentiores quartum cerebri ventriculum extra cerebrum cerebellumve observasse, ac propterea in eo spiritus animales generari non posse: quod hoc in loco ideò monere necessarium fuit, ne quis forte me hic cum solis larvis luctari, aut nudum aerem verberare existimet.)

Ex quibus omnibus etiam posterius argumentum, à gravi cerebri læsione desumtum, facilè dilui potest. Nam si quartus hic ventriculus in Apoplexiâ saltèm obstrueretur, ipsum cerebrum, in quo exsculptus non est, minimè graviter afficeretur. Neque vel ulla dari aut excogitari posset ratio, cur ventriculo hoc, vel etiam spinalis medullæ caudâ affectis, protinus tota cerebri œconomia turbari debeat, ut prorsus ad omnem oparationem inepta sit. Contrarium sanè ubique in corpore deprehendo, vidiq; sæpius nervis pedis læsis, brachii nervos salvos & incolumes esse; & visceribus sanguificationi destinatis, utpote pulmonibus, epa-

*Læsa cauda spinalis medullæ non protinus tota œconomia cerebri turbatur.*

te &

te & liene; in substantiâ etiam ex parte affectis, imò non nihil aliquando corruptis, alteram portionem eorum sanam adhuc agere & operari observavi; nec ob unius portionis læsionem totam visceris œconomiam statim turbari, & omnes ejus actiones in momento prorsus aboleri, unquam animadverti. Si etiam, lienis aut epatis vasis obstructis, non necesse est sanguificationes, quæ in hisce partibus fiunt, penitus tolli; nec humore in omenti cavitate (quæ ex ejus membranis & ventriculo epate & liene &c. efficitur) collecto sanguificationem aut chylificationem & omnem ventriculi actionem aboleri, non quoq; necesse erit, operationes cerebri, ejus quarto ventriculo obstructo, penitus cessare; ne repetam priora, quòd scilicet caudâ medullæ occlusâ partes saltèm inferiores paralyticæ fiant, cerebri actionibus integris, utpote nullâ caussa ad ejus operationem necessaria deficiente.

*Cur in Epilepsia cerebri actiones immutentur.*

Quòd autem in Epilepsiâ animales actiones omnes immutentur, nil mirum. Nam à malignis illis vaporibus totum cerebrum afficitur hocq; fumos istos iterum motu, (quod in Apoplexia, in quâ cerebrum planè quiescit, non accidit,) expellere nitens; totum graviter concutitur, ut sensoriorum functionibus minimè ritè præesse possit.

Quis

Quis etiam nostrûm non in seipso experitur, cerebrum ejusq; cavitates nonnullas sæpe ingentem pati obstructionem, ita ut nec odores ad illud ferri, nec etiam facultas ratiocinatrix promtè ac liberè agere possit, quâm postea solvit catarrhus, in quo tanta humorum crassiorum copia, & quidem confestim (ne quis existimet, ejusmodi excrementa semper de novo generari) ad nares & palatum fluit, ut ferè impossibile sit, illam humorum illuviem in cerebro citra obstructionem ventriculorum &, si hæc, ut creditur, adeò facilis, obturationem nervorum delitescere ac contineri potuisse, ubi tamen nec sensus nec motus, ut in Apoplecticis, abolentur. Danda igitur hîc caussa, si humores in cerebro contenti, medullæ initium obstruentes, Apoplexiam excitant, quî fiat, quòd catarrhosi non fiant Apoplectici; cum tamen omnia illa excrementa cerebri copiosissima, quam facilimè antequam per os, palatum aut alias vias excernantur, in nervos (ex aliorum mente hîc loquor) defluere possint. Et nonne etiam in cerebri ventriculis, in iis etiam cadaveribus, quæ Apoplexia non interierunt, humores semper reperiuntur? Nonne isti etiam in hisce thalamis sæpè coacervantur, atque aliquandiu etiam, cum non

*Catarrho laborantes non fiunt Apoplectici.*

*An quarto cerebri ventriculo semper humor conspicitur.*

raro

rarò ob meatus ad nares vel palatum tendentes obstructos excerni non poſsint, detinentur, ut egredi nequeant. Quæ itaq; ratio, quòd non tum æquè ex ventriculis ſuperioribus in quartum, vel ex illis in ipsâ medullâ, â quâ nerui prodeunt, excavatis, in nervorum principiũ irruant, ſi id adeò anguſtum & ad occluſionem accommodatum, ut nonnulli ſibi imaginantur? Certè ſtante hac de nervorum obſtructione ſententiâ, vix ullus hominum ætatis ſuæ mediam partem attingeret; cum vix aliquis inveniri queat, qui non aliquando gravi catarrho laboraverit: imò pueri & infantes, qui frequenter ejusmodi defluxionibus vexantur, facilè fierent Apoplectici; quod tamen ab omnibus negatur.

*Pueri non facile fiunt Apoplectici.*

Quibus omnibus accedit demum & hoc, quòd vix videam, quomodo obſtructis ſolis nervis, tam illicò & repentè homo ante morbi invaſionem ſæpè ſanus & optimè valens in Apoplexiâ interire poſsit. Sanè motus & ferè ſenſus quoad actum ſecundum non adeò ſimpliciter & per ſe ad vitam neceſſarii, (quamvis an animal ſine ſenſuum operatione vivere queat, hic non diſputem) ſed ſaltem meliori & commodiori vitæ inſervire videntur: hinc quædam corporis partes viventes, ut à

*Senſus non ſimpliciter ad vitam neceſſarius.*

me alibi demonstratum fuit, planè non sentiunt, & ex his etiam eæ, quæ sentiunt, quamvis sensu & motu prorsus orbentur; tamen vitalis facultatis adhuc participes sunt, & reverâ vivunt, ut in Paralysi manifestò apparet. Sit ergo cerebro non gravius affecto (nam hoc prorsus læso aut distructo, quis hominem interire negaret) solum nervorum principium in Apoplexia obstructum: inde partes reliquæ sensu & motu saltèm privabuntur. Quòd autem tam repentè & in momento homo sæpè antea satis validus (de imbecillioribus enim non adeò miror) qui saltèm post aliquot tempus, vel ob defatigatas pulmonum cordisq; actiones, non succurrente ad thoracis elevationem virtute animali, vel alias etiam caussas interire deberet, moriatur, caussa ex sola nervorum obstructione facilè reddi non poterit.

*Partes paralyticæ adhuc vivunt.*

## CAPUT XIV.

*Quo vera & propria caussa Apoplexiæ ex mente Autoris exponitur, spirituumq; in corpore usus ostenditur.*

CUM igitur hæc opinio; quicquid etiam de totali & subitâ nervorum omnium obstructione

dica-

dicatur;probabilis non ſit,ſed plurimis difficultatibus prematur,aliam Apoplexiæ cauſſam dandam eſſe cenſemus;quam obſtructionem ſeu rectiùs occluſionem quidem vaſorum ſeu ductuum cerebri dicimus, verùm non eorum, qui ſpiritum animalem pro ſenſu & motu ad partes deferunt; (licèt & hi demum occludi poſsint:) ſed qui ſpiritum influentem à corde ad cerebrum vehunt: hoc enim ſpiritu privatum cerebrum actiones ſuas protinus omnes amittit, &, niſi hic ipſi citò reddatur, planè emoritur,homoq; jugulatur.

*Vera & genuina cauſſa Apoplexiæ.*

Quæ ut rectè intelligantur, ſciendum ad actionem in quolibet membro corporis noſtri rectè obeundam tria ſemper requiri: Primò *Animam ipſam* tanquam cauſſam efficientem principalem, quæ facultatis ſuæ ope (nam nulla ſubſtantia agit per ſe immediatè, ſed mediante aliquo accidente) quamlibet functionem in partibus edit: Deinde *diſpoſitionem partium legitimam*, animæ facultatem aliàs ad omnes actiones indifferentem, determinantem & limitantem, actioniq; ſuccurrentem, ad quam in ſimilaribus etiam *calidum inſitum* (quod nonnulli qui & hoc proximum animæ inſtrumentum & organũ conſtituunt, in cerebro ſpiritum animalem inſitum, in aure aërem inſitum, in oculo

*Ad actionẽ in membro quolibet obeundam requiruntur tria.*

*1. Anima ipſa.*

*2. Diſpoſitio partium legitima.*

lumen insitum appellant, de quo alibi) reducere possumus. Et tertiò *spiritum à corde influentem*, velut utilissimum animæ instrumentum, quo ad edendas functiones suas maximè indigeat. Etenim licèt anima in corpore adhuc præsens sit; partesque etiam rectè sese habeant; si tamen influens hic spiritus in aliquo membro deficiat, omnes in eo actiones, sive naturales sive vitales sive animales sint, protinus cessant; imò pars vivifico hoc nectare orbata, vitam suam, primò accidentalem, mox autem & essentialem amittit. In summâ hic spiritus jure meritoq; *vitalis* appellatur, *quia vitam tuetur & conservat, fomentum ac pabulum calidi innati existit, partibus omnibus sensibilem & actualem calorem impertit, omniumq; actionum promotor ac conservator est*, ut & *Aristoteles*, ipsius efficaciam videns, animæ dignitatem ei tribuere veritus non fuerit: nam quando eam in corde radicari, & hinc omnibus membris communicari statuit, potissimùm spiritum hunc intellexisse credo, utpote sine quo ipsa anima ad omnes suas actiones perficiendas minùs idonea existit.

*Cur spiritus vitalis dicatur.*

*Aristoteles per animam aliquando spiritum intelligit.*

Dum igitur spiritûs hujus naturam perpendo, eum cum radiis solaribus optimè comparari posse video. Quemadmodum enim in macroco-

*Spiritus vitalis comparatur cum radiis solaribus.*

ſimo nē planta quidem ex ſemine generari, generataq́; vigere ac florere poſſet, niſi ad ejuſmodi operationes & ſol concurreret: & ſicut nec homo hominem abſq; ſole, iuxta illud Philoſophi lib.2.Phyſic: cap.2. t.26. *ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾷ καὶ ἥλιος*, *Homo & ſol generant hominem* &c. produceret: Ita in corpore nulla pars operaretur, & ſuas actiones exerceret, imò nec ſubſiſteret, niſi continuò cordis ſpiritibus ac radiis afficeretur, fovereturq́;.

Sit igitur aliquando principium nervorum obſtructum: quamdiu autem anima præſens eſt, ſpirituq; influente adhuc cerebrum fruitur, nec eo planè orbatur, tam diu etiam adhuc operatur. Et impoſsibile eſt, (niſi planè id diffluat, aut reſoluto corpore calloſo & fornice collabatur, ut in Apoplexiâ interdum fit, vel alio modo ejus natura penitus deſtruatur) præſente hoc influente ſpiritu, ejus actiones omnes ſimul & ſemel ac quaſi in momento aboleri: at deficiente ipſo, in optimè etiam conformato & diſpoſito cerebro ratiocinationem, diſcurſum, imaginationem, ſenſumq; & motum penitus tolli neceſſe eſt; cujus rei manifeſtum exemplum, quod nemo negare poteſt, habes in *ſyncope* & *lipothymiâ*, ubi æquè ac in Apoplexiâ (cerebro

*Cerebrum ſpiritu influente præditum ſemper operari poteſt.*

tamen nervisq; nequaquam per *ἰδιοπάθειαν* affectis, sed duntaxat corde, spirituum horum officinâ, malè habente) sensus & motus, aliæq; actiones cerebri omnes tolluntur & abolentur, tantùm quòd hic spiritus â corde organo huic animali, ut Medicis cerebrum appellatur, non subministretur. Idcirco si differentiam inter Apoplexiam & Syncopen desideras, id tibi satis erit discriminis, quòd in hac cor primariò laboret, & spiritus vitales vel non producantur, aut aliâ ratione afficiantur, in illâ autem cor primariò non lædatur, sed, præsentibus & productis etiam spiritibus vitalibus, cerebrum ipsos non recipiat, hincq; ejus actiones tollantur. Alias differentias utriusq; affectûs supra cap. 3. reperies.

*Differentia inter Syncopen & Apoplexiam.*

*Object:*

Objiciunt hîc aliqui: Quicquid secundùm naturam sese habens animalium actionum integrarum caussa, id etiam præter naturâ sese habens læsarum earundem caussam esse: At non spiritum vitalem sed animalem actionum animalium proximum instrumentum esse: Ergo ab hoc & non ab alio actionum animalium caussam pendere. Et proinde sicut sensus & motus privatim ab eorum defectu læduntur: ita etiam in Apoplexiâ illius mo-

tus

tus & ſenſus univerſalis læſionis cauſſam in ſolis ſpiritibus animalibus minimè autem vitalibus quærendam eſſe.

Verùm hic ſyllogiſmus non videtur id concludere cujus gratia proponitur & adducitur. Nam ita in majore infertur: Id quod ſecundum naturam actionis proxima cauſſa eſt, illud ipſum ſi præter naturam ſeſe habeat, etiam eandem lædere poteſt. Jam ſubſumendum fuiſſet: Spiritus animalis actionum animalium proxima cauſſa eſt. Ergo hic ſi læditur, etiam actiones animales læduntur; quod poſterius lubentiſsimè concedimus. Subſumitur autem in minore ita: Non ſpiritus vitalis ſed animalis proximum animalium actionum inſtrumentum eſt; ex quo nec ſpiritum animalem à vitali differre, nec illum genuinam Apoplexiæ cauſſam eſſe certò concludi poteſt: Imò meo videre longè aliud eſt, eſſe aliquid cauſſam actionis alicujus, & aliud, eſſe ejusdem inſtrumentum principali cauſſæ inſerviens: Malleus inſtrumentum eſt, quo fit poculum, non verò ejusdem efficiens cauſa exiſtit, ſed hæc eſt aurifaber; & quanquam cauſa inſtrumentalis à Metaphyſicis ad cauſam efficientem etiam reduci ſoleat, ipſa tamen efficiens vera nunquam conſtituitur.

*Reſponſio.*

*Inſtrumentum non eſt vera & immediata cauſſa efficiens.*

Sic

Sic omnium, quæ in corpore noſtro fiunt, actionum cauſa efficiens vera & principalis anima eſt, cui immediatè inſerviunt diſpoſitiones & conſtitutiones partium, hisq; omnibus famulantur demum Spiritus: Organa proxima animæ, ſeu, cum Medicis loquendo, actionum partes ipſæ ſunt, communia verò & remotiora, maximè tamen neceſſaria, interdum etiam cauſæ ſine quâ non, ſpiritus dici poſſunt.

Sed hiſce ceu levioribus miſsis, formabimus minorem, ut formari debebat, & ſubſumemus ſpiritum animalem eſſe actionum animalium cauſſam proximam. Inde tamen rectè inferri nequit: ergo hujus læſio ſola Apoplexiæ cauſſa eſt. Nam ſit ſpiritus animalis cauſſa proxima iſtarum functionum, (quod tamen nō facilè demonſtrabitur) numne actio partis tantùm læditur cauſsâ proximâ læsâ, & non mutatis quoque aliis in eandem actionem conſpirantibus? Certè longè plura, prout & ſupra quoq; dictum fuit, ſecundùm naturam ad actionem ritè perficiendam neceſſaria videntur, quàm ad ejuſdem læſionem præter naturam requiruntur, v. gr. oculus non videt, niſi omnes ejus partes rectè conſtitutæ, ſpiritusq; vitalis & animalis adſint: at ſolo humore aqueo immutato quan-

quam

quam cætera ſaniſsimus ſit, tota ipſius actio abole-tur. Muſculus proxima motûs animalis omnis cauſ-ſa dicitur; at nunc læſo nervo, nunc affecto tendi-noſo corpore tota ejus actio ceſſat. Nutritionis cauſſa anima & legitima partium temperies ac diſ-poſitio; at ſubtrahe his ſpiritum vitalem, videbis, qualem actionem eæ edituræ ſint. Quorſum & ad-ducuntur errores externi ſi actio non, niſi læsâ cauſ-sâ proximâ, lædi poſsit. In ſyncope tàm manifeſtũ habes exemplum, quomodo, non læſis ſpiritibus animalibus & nervis, cerebri actiones tollantur, ut manifeſtiùs habere nequeas. Simile habes & in ſu-ſpenſis, qui quàm primùm (modò à perito carnifi-ce vaſa colli undiq; rectè conſtringantur & ligen-tur) patibulo affinguntur, trunci inſtar immobiles manent, & ſæpenumerò ne pedem quidem agi-tant, & tamen in his cerebrum nervorumq; origo nihil quicquam patiuntur; imò nec pati poſſunt, quippe quæ duriſsimo cranio & fortisſimis colli vertebris, quæ à laqueo nunquam conſtringi & lædi queunt, concluduntur. Unde in corpore ob ſolam ſpirituum vitalium abſentiam motum & ſenſum prorſus aboleri poſſe manifeſtò vides. Ne-que hîc ad ſolam reſpirationem interceptam & in-de mox ablatam vitam confugi poteſt, ſiquidem

*In ſyncope non læſo cerebro actiones ejus tolluntur.*

*In ſuſpenſis nervis illæſis actiones animales abolentur.*

ore animalis fortiter occluso, naribusq; ejus arctissimè obturatis, ut nihil, aëris pro ventilatione spiritum ad organa vitalia devenire queat, nihilominùs tamen eò quòd cerebrum suo spiritu vitali adhuc fruatur, id corporis, agitatione vehementissimâ, pedibusq; validissimè motis omni vi instanti suffocationis periculo resistet ac renitetur, quod in nullo suspenso contingere animadvertes. Nec diffiteor, si quis ex solis & veris fundamentis demonstraret, cerebrum non graviùs, quàm per obstructionem saltèm caudæ spinalis medullæ læsum, præsente etiam in eo spiritu vitali, animalem spiritum præparare nullum, (nam ob hujus defectum, motum & sensum in membris tolli posse quis negaret?) vel hunc præparatum & præsentem etiam in organo hoc, maximam partem sano & ad plures actiones adhuc aptissimo, nō operari posse, me facilè in communem Medicorum sententiam iterum descensurum. Verùm cum id impossibile, & principiis Anatomicis prorsus contrarium sit, ob spiritûs vitalis in cerebro absentiam adhuc Apoplexiam generari affirmo.

*Instantia.* Instas porrò spiritū vitalem minimè ad sensum necessarium esse, sed animalem in cerebro generatum, influentem a. solùm animalis materiā fieri, è

qua ipſe in cerebro generetur; atq; hinc affirmari non poſſe, deficiente vitali ſeu influente ſpiritu, motum & ſenſum in partibus aboleri, cum animalis, non exiſtente etiã vitali, ex plurimorũ Medicorum ſententiâ, ad longum tempus ſubſiſtere queat.

*Vitalis ſpiritus non producit ſenſum niſi à cerebro regatur.*

Ad quod reſpondeo, me concedere, vitalem ſpiritum, ut vitalem, ſimpliciter & per ſe, quatenus hic in corde elaboratur, & per arterias cuilibet parti adducitur, motum & ſenſum nulli membro communicare, ſed *vitalem animaliſatum*, (ita hîc loqui cogor) hoc eſt, à cerebro peculiari & propriâ vi ac qualitate donatum, & pro ſuis actionibus diſpoſitum; atque ita affectum *animalem* demum propriè appellari ab actionibus, quibus, vel in ipſo adhuc cerebro, à quo dirigitur, vel per nervos ad alias partes ductus, famulatur & inſervit: ( An autem eſſentiali vel accidentali ſpecie à vitali differat, h. e, an in cerebro huius ſaltẽ quidditas immutetur, an verò is eſſentialiter remanẽs ſolâ qualitate propriâ afficiatur, hoc impræſentiarũ nõ adeò curo: quia cõtroverſia hæc propriè ad præſens negotiũ non ſpectat; & utrũ concedã, ſemper id, quod volo, obtinebo: licèt, ut paulò pòſt etiã dicam, poſterius priore longè probabilius ſit, idq; tremor manuũm, qui in timore, irâ & metu hominibꝰ ob cõmotos ſpiritus

*An ſpiritus vitalis & animalis ſpecie differũt.*

*Deficiente spiritu vitali deficit etiam animalis.*

vitales supervenit, satis superq; ostendat.) Interim tamen negari non potest, animalem spiritum, deficiente in cerebro vitali, nihil quasi esse, nullamq; actionem animalem, si vel ipsum adesse dicamus, ampliùs in corpore edi posse. Nam eo ipso momento, quo vivifico hoc nectare suo destituitur cerebrum, quasi emoritur, suisq; actionibus omnibus privatur, motusq; & sensus in partibus cœteris abolentur, prout ex iis, qui syncope laborant, antea ad oculum tibi demonstravi. Et audi quid de hac re *Josephus Quercetanus in Tetrad: cap.3.p.31. scribat. Si*, inquit, *facultas vitalis* (intelligit spiritum hunc) *denegetur cerebro propter compressionem & obstructionem venarum jugularium & arteriarum carotidum, cerebrum jam quasi vitâ destitutum, & veluti sepultum, aut tenebris obrutum nullà vi pollet animales suos spiritus in nervosa membra diffundendi, & functiones suas per totum corpus obeundi. Nihil enim præstare potest, si vitâ destituatur, hoc est, vitali spiritu orbetur, cujus appulsu animatur, & ad particulares functiones, quæ secundæ sunt energiæ, obeundas compellitur.*

Præter-

Præterea totus animalis ſpiritus ex vitali fit, & non ſimul ex aere, ut quoſdam perperam ſtatuere alibi monſtravi. Eſtq; is in perpetuâ quaſi generatione, nec aliquot horarum ſpacium, ut chylificatio in ventriculo, pro elaboratione ac perfectione requirit, ſed ad cerebrum delatus ſtatim qualitate quadam ſpiritali (quæ non, ut materialis, longiore morâ pro introductione opus habet) afficitur, atq; pro motu & ſenſibus edendis habilis atq; idoneus efficitur, moxq; ad partes per nervos, ceu radii ſolares à ſpeculo, reflectitur, ita ut, vitali deficiente, & hunc deficere, motumq; & ſenſum in corpore aboleri neceſſe ſit. Hinc licèt veteres voluerint, animalem ſpiritum absque vitali ſubſiſtere poſſe, recentiores tamen doctiores & cautiores facti id pernegant: imò aliquis horum expreſsè ſcribit ſpiritum influentem præcipuum animæ inſtrumentum eſſe, quod cum partium ſingularum calido innato atque inſito junctum facultates conſervet, &, ut ad actum ſecundum accedere poſsint, efficiat; *eoq; ſi deſtituantur partes, vitâ & ſenſu* (*NB.*) *privari, nec ampliùs animæ organa idonea eſſe*, &c.

*Animalis ſpiritus non fit ex aere.*

*Eſt in perpetua quaſi generatione.*

Sed ut hæc, quæ de ſpiritu vitali & animali dixi, omnia clariora & manifeſtatiora evaderent,

*Explicatur res ſimilitudinis.*

totam rem illuſtri quadam ſimilitudine à ſole deſumta 1619. demonſtravi. *Sol* in analogiâ cordi reſpondet; unde & cor macrocoſmi vocatur; *Luna* autem cerebro, cui præeſſe ac dominari dicitur. Sicuti ergo hæc duo ſe habent ad macrocoſmum: ita cor & cerebrum ſe habent ad microcoſmum. Atqui ſol & luna proprio & peculiari modo in corpora influunt inferiora & ſublunaria omnia, ſenſibilesq́; in illis mutationes efficiunt, & peculiares actiones perficiunt. Ergo idem hæc quoq; viſcera efficere poterunt.

*Luna ſine ſole non lucet.*

Deinde quemadmodum luna per ſe inefficax eſſet, ita ut nec lucere quidem poſſet, niſi à radiis ſolaribus illuminaretur, prout in eclipſi, quando illa umbram terræ pertranſit, ut à radiis ſolaribus ampliùs illuſtrari nequeat, liquidò patet: (obſcuratur enim, & ſuo modo patitur tum nõ ſolùm, ſed etiam corpora inferiora inſignem noxam & magnum detrimentum inde perſentiunt:) Sic & cerebrum nullam actionem edere valeret, niſi â cordis ſpiritibꝰ afficeretur, illuminaretur & illuſtraretur: ſiquidem deſtitutum & privatum hiſce radiis eclipſin quaſi patitur, ob quam partes inferiores ſuis operationibus animalibus orbantur & penitus privantur.

Cæte-

Cæterùm ſicuti luna radios ſuos, quos ſpargit, non intra ſe gignit, ſed eos à ſole mutuatur & recipit, receptosq; alio atque alio modo afficit, & ita affectos per reflexionem per totum hemiſphærium diſpergit, diverſasq; â ſole operationes & diverſa effecta in hiſce inferioribus producit: Ita cerebrum ſuos ſpiritus non ex peculiari materiâ fabricat, ſed jam factos à corde recipit, eosq; ingenitâ proprietate alterat, afficit, & ita peculiari modo affectos ad partes per reflexionem quaſi transmittit, cumq; iis occultâ vi influens diverſas actiones edit, animales nempè, quas cor per ſe absque cerebro edere non valebat.

*Cerebrum vitales ſpiritus peculiariter afficit.*

Et veluti tandem, abſentibus radiis ſolaribus, omnem lunæ illuminationem, & in hæc inferiora per lucem operationem ceſſare oportet: Ita deficiente in cerebro ſpiritu vitali, omnes ejus functiones aboleri & tolli, tandemq; ipſum etiam prorſus emori & corrumpi neceſſe eſt.

Res ſanè hæc tam clara, ut ulteriore demonſtratione & probatione minimè indigeat. Poteſtq; ex his omnibus, quæ jam dicta fuerunt, quivis, qui rectè judicare vult, facilè colligere, quænam vera, propria legitima & genuina Apoplexiæ cauſſa ſit. Nam cum omnimoda nervorum ob-

obſtructio non adeò facilis, vel penè impoſsibilis ſit; nec, etiamſi adſit, omnes cerebri actiones in momento abolere, mortemque inſtantaneam inducere valeat; ſpiritûs animalis etiam præſente vitali non deficiat hujus autem, nempè vitalis abſentia hæc omnia (fatentibus etiam *Fernelio*, *Jacobo Carpo*, *Marcello Donato*, *Levino Lemnio*, *Julio Alexandrino*, imò & ipſo *Hippocrate*, qui ſæpè affirmat τῶν ἀγγειῶν ἀπολήψιες ſenſum & motum tollere. Ita enim hic ſect. 4. lib. de ratione victûs in acutis ſcribit: τὸ δὲ ἄφωνόν τινα ἐξαίφνης γενέσθαι, φλεβῶν ἀπολήψιες λιπέουσιν, ἢν ὑγιαίνοντι τόδε ξυμβῇ ἄνευ προφάσιος, ἢ ἄλλης αἰτίης εὐχυρῆς. Fieri, *inquit*, *aliquem repentè ſine voce, hoc eſt, Apoplecticum; (hos enim* ἀφώνους *vocare ſolet, venarum interceptiones faciunt, ſi benè valenti hoc accidat ſine occaſione, aut aliâ forti cauſsâ, &c.)* efficiat: ejuſmodi gravisſimum malum generari non poſſe, niſi vaſa & ductus qui ſpiritum vitalem vehunt, eundemq; per cerebrũ diſtribuunt, occludantur, hócq; ſimul ſuo radio vivifico deſtitutum nõnihil ſubſidat, quamvis nõdũ, ut in nota Apoplexia accidit, planè collabatur, pro certo cõcludimus.

CA-

## CAPUT XV.

### *Quo pluribus fundamentis assertionis hujus Veritas stabilitur, & quæ vasa in Apoplexia occludantur, clarè ostenditur.*

QUI autem ductus cerebri in Apoplexiâ occludantur, vel ob quorum vasorum obturationem spiritui vitali omnis ad cerebrum via denegari ac præcludi possit, non leve dubium moveri potest.

Fuerunt nonnulli, inter quos & *Quercetanus*, qui existimarunt, præter alia cerebri vasa nervosq;, etiam *arterias jugulares seu carotides* in collo occludi, hincq; influenti spiritui & sanguini commeatum ad cerebrum intercipi; ac propterea has ipsas arterias à veteribus *Apoplecticas* appellari, quòd præter nervos etiam in hisce vasis Siderationis caussa quæri debeat. *An Arteriæ jugulares in Collo occludantur.*

Sed cum soporales arteriæ in collo amplæ & rotundæ sint, eoq; in loco facilè dilatari, & humori defluenti cedere queant, non video, quâ ratione hæ penitus, & quasi in momento obturari & occludi possint, præcipuè cum materia obstruens crassa & gravis sit, quæ suopte pondere deorsum ruat, nec *Negat.*

facilè in medio itinere, inq; ductu satis magno & amplo, non reflexo nec contorto, sed recto tramite procedente subsistat: vel si etiam quàm maximè ibi subsisteret, levi quâdam frictione, in collo factâ, attenuari, deorsumq; ad thoracis partes rapi trahi, locoque iterum dimoveri & ita de facili Apoplexia sanari posset; quod contra experientiam.

*Obstructis Carotidibus à Cervical: cerebrum irrigari potest.*

Præterea obstructis carotidibus, *quarta* adhuc cerebri arteria, (*Vesalio & Platero prima*) *cervicalis* quæ dicitur, superest, quæ occipitis foramen magnum, vel aliud vicinū aliquando (licèt rariùs) ingressa, sub medulla cerebri in cranio cum sociâ oppositi lateris unitur; sicq; unita sub mediâ cerebri basi ad sellam ossis sphænoidis excurrit, atque ibi in innumeros ramulos iterum divisa, plexum choroidem constituit, à quo adhuc cerebrum ad tempus irrigari spiritibusq; nonnullis illuminari posset.

*Portio spirituum etiam per Venas ducitur.*

Neq; inficias iri potest, etiam per *venas jugulares* aliquid spirituum vitalium vehi. Hæ autem cum, obturatis duntaxat arteriis, adhuc apertæ sint, in sinus crassæ meningis, in quos se exonerant, cum sanguine & spiritus istos, quos continent, & quos forsan tum, summâ urgente necessitate, co-

piosiùs natura, de sua conservatione valdè sollicita, per eas ceu vias adhuc apertas ad caput deducit, effundent, atque sic non illicò actiones cerebri in sideratis abolebuntur, sed ad tempus remanere poterunt, sicuti & *Galenus* 2. & 4. *de placit. Hippocr. & Platonis c.* 6. suâ experientiâ demonstrat, ubi scribit, se observasse, ligatis & interceptis arteriis carotidibus, animal nō repentè motum & sensum amittere: Vel si quàm maximè etiam amitteret, quæri tamen posset, an illa motûs sensuumque abolitio, cùm cerebri vitio non fiat, vera Apoplexia propriè vocari possit, & non potiùs alius affectus, consimili modo ut Apoplexia actiones animales lædens constitui debeat. Nam ut supra diximus, & in syncope ejusmodi functiones tolluntur, quæ tamē Apoplexia non est, sed ab ea in multis, imò & hoc discrepat, quod in syncope cor afficiatur, & spiritus vitales eo affecto non generentur; in Sideratione autem ob cerebri vasa propria intra cranium obstructa non generati etiam cerebro non suppeditentur. Dico autem propria vasa: nam quamdiu cerebrum non idiopathicè affectum, ejusque vasa propria sana & non obstructa sunt; utcunque etiam actiones animales lædantur; nulli affectui Apoplexiæ notio propriè tribui potest.

*Ligatis arteriis jugularibus animal non repentè sensum amittit.*

*Facies in Apoplecticis non cadaverosa.*

Cæterùm si jugulares arteriæ & venæ in collo obstruerentur, facies in Apoplecticis vivida non permaneret, sed ob spirituum vitalium defectum in cadaverosam mutaretur, quod tamen cum falsum, inde colligo, in Apoplexiâ carotides arterias in collo minimè obstructas esse.

*An obstructio retis mirabilis Apoplexi caussa.*

Propius quidem ad scopum collineat *Fernelius*, quando *plexum retiformem* in omni Apoplexiâ oppilari & obstrui statuit: verùm ipsam veritatem nondum attingit, siquidem *αὐτοψία* demonstrat, cerebrum suos spiritus non solùm ab inferiobus arteriis, rete mirabile constituentibus, sed potissimum sinibus crassæ meningis accipere. Ponam igitur, istas arteriolas in Apoplexiâ occlusas esse, ut etiam demum ipsas occludi necesse est; ob earum tamen obstructionem solam, sinibus aliisq; ab iis exortis ductibus omnibus illæsis, homines in momento quasi attonitos reddi, omnemq; spiritibus vitalibus ad cerebrum transitum præcludi posse non concedo: cum quilibet ex Anatome videat, cerebrum maximam sanguinis & spirituum copiam â sinibus, tum pro conservatione tum spirituum animalium præparatione, accipere.

*Rete mirabile in homine parvum.*

Et quotus quisque est, qui nescit, vasa rete illud constituentia valde exilia & gracilia esse, ita

ut

ut multi de retiformis hujus plexûs hyparxi ut hic Doctissimi Riolani verbo utar non solùm dubitarint, sed & nonnulli non contemnendi Anatomici reperti fuerint, qui ipsum in solis brutis obvium & conspicuum dixerint: in homine autem vel nunquam inveniri vel ob tenuitatem & exilitatem cerni ac planè demonstrari non posse statuerint. Dic itaque mihi, quomodo obstructio hujus tenuissimi plexûs omnibus spiritibus vitalibus transitum ad cerebrum denegare possit, cum in eo non omnes contineantur, nec, qui continentur, universum cerebrum, sed vix ejus inferiorem basin illustrent, plurimi autem eorum maximam visceris hujus molem, etiam superiorem ad subsidentiam valdè aptam afficientes in ipsis crassæ meningis sinibus cōsistant, qui ceu aquæ vel potius sanguiductus undiq; in cerebrum venosum, & arteriosum sanguinem, ac cum iis spiritum quoque vitalem exprimunt, diffundunt & distribuunt. *Tertius* enim sinus superior ramos sursum deorsumq; & ad latera spargit, qui *venæ reptitiæ* dici solent, & per anfractus cerebri diffusi non tantùm tenuem meningem, sed & penitiorem cerebri medullam penetrant, eamq; undiq; pervadunt, ut videbis ex sanguinis guttulis, quæ ex compressione

*A tertio sinu venæ oriuntur reptitiæ.*

cerebri undiq; exsudant. *Quartus* autem insignia vasa ad cerebrum & cerebellum, sicut & ventriculos anteriores transmittit, quæ postmodùm plexum choroidem constituunt. *Secundus* verò & primus venas & arterias recipiunt, surculosq; iterum tenues ad cerebellum dispergũt, quemadmodum ductum horum vasorum pluribus *in capitis historiâ, An.* 1619. *Mense Januario & in tractatu de Venis An.* 1626. *mense Septemb: sect.* 1. *c.* 6. 7. 8. *&c.* explicavi & exposui. Imò tam notos feci, ut, qui antea, quid finibus istis eorumq; obstructione velim, miraretur jam multa de iis proferant, & quomodo ex iis sanguis tam arteriosus quam venosus spiritusq; per totum cerebrum distribuantur optimè disserant.

*Apoplexiæ caussa spirituum defectus.*

Atq; ideò, cum subitaneæ motûs & sensuum abolitionis nulla alia caussa esse posit, ut modò demonstratum fuit, quàm spirituum vitaliũ defectus; (nisi cerebrum planè diffluat & penitus destruatur, ut in notha Apoplexiâ accidit, de qua infra cap. 21. agemus) hi autem tum per inferiores arteriolas, tum, & quidem maximam partem, per sinus crassæ meningis cerebro suppeditentur, & omnia hæc vasa, omnesq; eorum ramuli in momento penitus occludi nullo modo queant: diu multumq; dubi-

tavi de vasis, quorum occlusio spirituum vitalium commeatum intercipere, & Apoplexiam producere possit. Tandem autem cum paulò penitius rem introspicerem, vasaq; cerebri singula diligēter perlustrarem, deprehendi locum, quem & ante decennium, quo hæc primò proponebam, & ab illo tēpore hactenus in omnibus etiā meis sectionibus tam publicis quam privatis ostēdi, quo tanquam ê fonte sanguis & spiritus cerebro communicentur, & ex cujus obturatione cerebrum suis spiritibus, si non omnibus, tamen plurimis simul privari possit: hicq; est *concursus omnium crassæ meningis sinuum* (quem Torcular aliqui nominarunt, eò quòd veluti ex torculari sanguis ê venis & arteriis in canales istos effusus in universam cerebri substantiam exprimatur) obvius in posteriore cerebri sede prope apicem suturæ lambdoideæ, ubi quartus & tertius sinus oriuntur; priores verò duo ad suturam prædictam ascendentes conjunguntur, omnes autem exiguo foramine congrediuntur, quo obturato, (ut facilè fieri potest: siquidem circa id etiam in cadaveribus nonnullis, violentâ morte peremtis, sanguineum humorem crassum sæpe & viscidâ pituitâ permixtum, concretum & valdè compactum, ad obstructionem ejus aptissimum

*Quæ vasa in Apoplexia occludantur.*

depre-

deprehendi, delineavitq; ſimile quid *Caſſerius Placentinus in tabulis Anatomicis jam à Spigelio editis lib:20. tab.11. fol. 92. fig. 1. lit. N.* moneoq; omnes, qui Apoplecticorum capita aliquando aperiunt, ut ad hunc locum potisſimum attendant, humoresque circa ipſum exiſtentes probè conſiderent, ſane ibi materiam valdè craſſam & tenacem reperient, vel ſi eam fortè interdum non reperiant, malum Apoplecticum à cerebri collapſu initium ſumſiſſe certo ſibi perſuadeant) nil ſanguinis ſpirituúmq; in tertium & quartum ſinum effundi poteſt, cerebrumq; maximâ ſpirituum copiâ deſtitutum ſuis functionibus omnibus privatur, & vera Apoplexia procul dubio generatur.

Sed cum ab inferioribus arteriolis nonnullis ad baſin cerebri concurrentibus, plexumq; retiformem & choroidem conſtituentibus, aliquid (licèt id parum ſit) ſpirituum cerebro ſubminiſtrari poſſit; quomodo & hæ, occluſo ſinuum foramine, obturentur, explicandum.

*Quomodo & inferiores arteriolæ cerebri in Apoplexia occludantur.*

Materia, quæ Apoplexiam facit, quando in motu eſt, cum impetu in illud foramen, quod *Torcular* quibusdam vocari diximus, ruit, & in eo ſubſiſtens concurſum illum ſinuum omniũ perfectè claudit, &, quia nec deorſum ad alias partes ferri, neq; etiam

à loco

à loco illo valdè angusto tota comprehendi potest, ejus portio per vas quarti sinus, quod ibi oritur, tanquam viam proximam & patentem sine morâ & confestim tendit ad plexum choroidem, qui potissimùm ab hoc vase constituitur, indeq; propter conjunctionem & communionem vasorum, tum in arteriam cerebri quartam seu cervicalem, ut & primam, ad eundem plexum constituendum concurrentes, tum in contextum retiformem hisce arteriolis & plexui choroidi conjunctum descendit, istumq;, prout *Fernelius* etiam annotavit, quoque claudit & obstruit; quod eò citiùs & faciliùs facere potest, quò vasa hæc exiliora sunt: nam semper & quidem valdè exigua sunt, ut sic nullus spiritus influens cerebrum ampliùs irrigare & illustrare possit.

*Cerebrum in omni Apoplexia in se subsid.*

Confert tamen ad hanc occlusionem vasorum & ductuum non parum quoq; cerebri *subsidentia.* Nam cum id corpus concameratū sit, certisq; fornicibus distinguatur, quàmdiu à spiritibus vitalib. illustratur, & sufficienter illuminatur, extenditur & diducitur, ejus cavitates dilatantur, longeq; majores existunt, quàm in demortuis apparent: quamprimùm autem fons spirituum obturatur, & omnium sinuum congressus occluditur, illud maximâ ex

Cerebrum & ejus sinus in demortuis collabuntur.

parte suis spiritibus conservantibus privatum, nec ut opus, ab iis sufficienter affectũ, in se subsidet, &, ut in faciei etiam partibus in Syncope & moribundis accidere videmus, collabitur, collapsumq; non tantùm cavitates & poros, sed & vasorum ductus, & consequenter etiam inferiores arteriolas cervicales, vel alias sub ejus basi latitantes comprimit, easq; comprimendo ita occludit, ut, si vel maximè hæ ab humorum copiâ non obstruerentur, tandem tamen à cerebri mole subsidente comprimerentur, compressæq; spiritibus vitalibus omnem ad cerebrum transitum denegarent.

Ex quibus omnibus patet, *tam obstructo & obturato sinuum concursu, tanquam caussâ primariâ, quàm inde dependente cerebri subsidentiâ, quam in omni Apoplexia semper quoq; adesse puto, ceu caussa secundaria, sensum & actiones animales omnes in Apoplecticis tolli & aboleri.* Et quî non abolerentur? Occlusio torcularis influenti spiritui viam denegat, & caussa est, ut cerebrum vivifico suo nectare maximam partem privetur, & quasi emoriatur, hincq; non sufficienter illustratum subsidat. Subsidentia verò ipsa caussa est, ut mole & pondere cerebri vasa; imò & nervi nonnulli demum comprimantur, ac simul ipsa cerebri legitima conformatio de-

prave-

pravetur. Quid ergò in hoc organo animali, ut vocatur, pro actionibus suis edendis adhuc superesse credis?

*Tandem à subsidentia cerebri etiã Nervi occluduntur.*

Confirmat hanc nostram assertionem vasorum jugularium in collo Apoplecticorum intumescentia. Quando n. hæc in sinus cerebri se exonerare nequeunt, sanguis & spiritus, qui in iis continentur retrocedunt, eaq; distendunt ac inflant. Si autem soli nervi oppilati essent, ut cõmunis fert Medicorũ opinio, aliaq; cerebri vasa minimè occluderentur, æquè ut in sanis dormiẽtibus (in quibus nulli etiã spiritus animales dissipãtur, ne id fortè mihi objicias;) sanguis & spiritus in ea adhuc effunderentur, nec ulla hujus dilatationis caussa dari posset.

*Probatur veritas huius assert: ex intumescentia jugularium vasor.*

Et cùm, ut antea monstratum fuit, in Apoplexiâ jugularia vasa non in ipso collo, sed tantùm eorum sinus & ductus calvariam subeuntes occludãtur & obturentur, anterioribus horum vasorum surculis, partẽ capitis nõ capillatam accedentibus, illęsis, facies in hisce ægris nõ adeò mutatur; imò vividũ colorẽ aliquandiu sępè retinet, usq; dum strangulato vel suffocato corde, (nisi ægri restituantur) & vitali spiritu pereũte, ipsa quoq; mutetur ac decoloretur.

*Prob. ex faciei conditione.*

Præterea ipsa quoq; curatio Apoplexię nostram sententiam nõ parum stabilit. In omni n. ferè Apo-

*Probat à curatione Apoplexiæ.*

plexiâ Practici illicò venam secare solẽt, & quidem maximo cum commodo ægri. Siquidem testantur exempla quàmplurima, hinc inde à Medicis annotata, multos Apoplecticos solâ venę incisione, sanguinisq; subtractione à morbo hoc gravi liberatos esse. Et si hęc nõ juvat, inquit *Hollerius lib.* 1. *Exerc.* 6. *mihi p.* 29. spes in angusto est, actumq; fermè de vitâ ægrotantis. Si autem obstructio nervorũ hujus mali caussa existeret, dic mihi, quâ utilitate venę sectio in Apoplexiâ institui posset? Credisne, humorem extra venas & arterias vel cerebri canales effusum, nervisq; jam impactum, iterũ venæ sectione, in brachio institutâ, retrahi ad venas posse? Nullo sanè modo & per nullas vias id fieri posse mecũ fatebuntur omnes, qui nervorum cum venâ cephalicâ vel basilicâ communionem diligentiùs considerabunt; Imò hi manifestò videbunt, stante cõmuni sentẽtiâ, Medicos potiùs venæ sectione morbũ augere quàm minuere, &, sanguine spiritibusq; subtractis, cerebrũ multùm debilitare, refrigerare, humores incrassare, ægrumq; in vitæ discrimẽ, in quo aliàs versatur, magis magisq; præcipitare. At obstructis sinibus, ut ego volo, optimè explicari potest, cur venæ sectio remedium in Apoplexiâ utilissimum & optimum sit, citò juvans, atq; id efficiens,

*Venæ sectione humores crassi ex nervis non retrahi possunt.*

quod

quod nullum aliud præstare potest. Quamprimùm enim brachii vena aperitur, per successionem & sanguis ex jugularibus retrahitur, &, cum hæ in sinus crassæ meningis sese aperiant, inq; eos sanguinem effundant, etiam ex ipsis sinibus, adeoq; locò affecto materia potēter educitur, & sæpè etiam ea, quæ obstructionem facit, loco dimovetur, & à capite avertitur, spiritibusq; iterum (nisi obstructio tam contumax, ut nulli remedio, neq; etiam revulsioni cedere queat) ad cerebrum transeuntibus janua reseratur, & morbus ipse tollitur, ut non videam, quomodo hi reprehendi debeant, qui, urgente necessitate, in Plethoricis corporibus in utroq; brachio cephalicam aperiunt. Hâc enim ratione venæ utrinq, exinanitæ ab utriusq; lateris jugularibus & sinibus ipsis validius & potētius sanguinē trahere atq; revellere possūt. Videsq; inde speculationes hasce de Apoplexiæ caussâ & generationis modo minimè inanes & futiles, ut procul dubio multis videbūtur, sed ad horrēdi & gravissimi hujus mali curationem perquàm utiles, imò necessarias esse.

*Quâ ratione venæ sectio in Apoplecticis jubet.*

Reddi & ex hac nostrâ sententiâ facilè potest ratio, (quam alii, qui totalem nervorū obstructionem defendunt, dare non possunt) quî nempe fiat, quòd aliquādo Apoplectici nōnulli in cōparatione

*Utraq; Cephalica in plethoricis tuto aperiri potest.*

*Cur nōnull Apoplectici liberius respirent.*

ad alios liberiùs respirent, nec omnes æquali cùm violentiâ spiritũ trahant. Etenim cũ omnes, quos Apoplexia corripit, nõ eâdem virtute, viriúmq; robore præditi sint, neq; etiam morbus ipse eandem semper vehementiam & magnitudinem obtineat, potest fieri, ut in mitiore Apoplexiâ ægrotantis cerebellũ, præcipuè si robustius sit, non in ipsâ morbi invasione cum cerebro planè subsidat, sed ab inferioribus arteriolis, vel potiùs sinuum posteriorum surculis exiguis aliquid spirituum adhuc trahat, ut nonnunquam potest, idq; omne nonnihil, quantũ quidẽ fieri potest, alteratum thoraci per suos processus, qui caudici medullę exporrigũtur, nervosq; (quos non ut alii occlusos & obturatos dicimus, id enim si fieret, quomodo cordi vel quicquã transmitti posset,) quò vita conservetur pro motu, (nam sicuti à cerebro potissimùm sensus; ita à cerebello potissimum motum proficisci, existimo) transmittat, hacq; ratione, cerebri quidẽ actionibus omnibus abolitis, respirationem tamen minùs violentam conservet. Verùm cum id, quod in ejusmodi etiam ęgris cerebello suppeditari possit, valdè paucum sit, nec vel pro eo conservando, vel thoracis motu diutius perficiendo sufficiat, demumq; & ipsum cerebellũ, utpote à spiritibus nõ sufficienter

refe-

refectum & illuminatũ, magis magisq; collabatur, ductusq; ac meatus eos, qui adhuc supererant, ut & caudicis spinalis medullæ processus ipsos comprimat & occludat; non tantùm temporis progressu & in his respiratio æquè, ut in aliis, violenta redditur, sed &, nisi malo justo temporis spacio occurratur, ob cerebri & cerebelli tonum jam prorsus destructum, planè cessat, ægriq; moriuntur. Quemadmodum in fortissimâ Apoplexiâ homines, imprimis cordis robore (ut motu naturali ad edendam respirationem diutius assurgere nequeat) minus valentes, destructo & emortuo cerebro toto, ac intercepto spiritũ omni, protinus jugulari videmus.

## CAPUT XVI.

### *Quomodo ex Apoplexiâ Paralysis generetur.*

Dubitant aliqui, an, si occlusionem concursûs sinuum Apoplexiæ veram caussam statuam, etiam modum quo ex ea Paralysis generetur exponere, & rationem, cur sanatâ Apoplexiâ illa remaneat, ostendere valeam. Verùm id à me facilè fieri posse, videbunt omnes, qui ad ea, quæ jam dicturus sum, diligenter attendent.

Notandum autẽ ante omnia, cerebrũ duplex quasi esse, seu in duas partes æquales, *dextrã*, scil. & *Cerebrum & spinalis medulla in duas partes dividitur.*

*sinistram*

*sinistram* findi; quarum quælibet processus duos, unum à cerebro, alterum à cerebello oriundum, ad spinalis medullæ caudicem constituendũ, transmittit, qui propterea & ipse duplex est, & artis beneficio in duas distinctas partes separari potest, (ut à me sæpius factum, & ante quadriennium etiã meis Dn. Collegis Medicis ostensum fuit) harũq; dextra dextro, sinistra sinistro lateri prospicit, & per nervos spiritũ pro motu & sensu partibus cõmunicat.

Cum itaq; cerebrum, spiritu influente non illuminatum, in se subsidat, nec attolli, elevari aut extendi possit, usq; dum sinuum concursus aperiatur, & spiritibus iterum janua ad cerebrum referetur, idq; non in omnibus Apoplecticis, qui convalescunt, citò & satis maturè, ut accidit in Syncope, fiat, (nam si hoc contingat, ægri nõ rarò integrè restituuntur, citra ratiocinationis aut memoriæ læsionem ullam, imò etiam aliqui nec Paraplectici fiunt, ut aliquoties vidi) sed sæpe post longum temporis intervallum, & præterlapsis non rarò aliquot horis imò diebus. Hinc spiritus, etiamsi demum recurrant, non tamen valentes sunt omnem cerebri molem perfectè iterum elevare, sed alterutram saltem, quæ minùs collapsa læsaque est, extendunt, alteram autem, quæ gravissimè

*Non omnes Apoplectici fiunt Paralytici.*

affecta fuit, & diuturnitate temporis magis ſubſedit, vix aut parum attollunt, ita ut ea ad actiones ſuas perficiendas, imprimis autem ſenſum & motum reliquis inferioribus partibus communicandum, ſemper poſthac inepta exiſtat.

*Non poſt omnem Apoplexiæ ſanationem utraq; cerebri pars elevatur.*

Neque etiam negari poteſt, proceſſus cerebri nunc hujus nunc illius lateris ad ſpinalis medullæ caudicis conſtitutionem concurrentes, perſeverante & durante diutius morbo, ob ſpirituum vitalium defectum & abſentiam diuturniorem, vel flaccidos demum fieri vel alio modo lædi, ita ut, quamvis poſtea totum etiam cerebrum attollatur, uti ex ratiocinatione perfectâ nonnunquam contigiſſe obſervamus; hi tamen nunc in hoc nunc in altero latere vieti & emeriti facti, ſpiritui animali tranſitum ad partes inferiores minimè iterum concedere poſſint.

*Nervorum vitio Paralyſin generari conceditur.*

Et nervorum vitio particularem Paralyſin fieri nunquam negavi, neque etiam eorum occluſionem læſionem vel quomodocunq; appellare libet affectionem ab Apoplexia penitus excluſi, imò, ſubſidente cerebro, & nervos demum comprimi, ac occludi poſſe, antea conceſſi. Sed hoc ſolùm negavi, primariam & principalem Apoplexiæ cauſſam in nervis quærendam eſſe, hosq; primò totali-

P ter,

ter, cerebri ventriculis non oppletis; & quidem in momento obſtrui, iisq; etiam obſtructis, cerebri actiones univerſas etiam in momento aboleri poſſe, idq; adhuc nego, & ſoli ſpirituum vitalium defectui, quem poſtea compresſio & occluſio nervorũ inſequi poteſt, attribuo: Paralyſin autem, & ſolis nervis affectis, generari poſſe ipſemet affirmo, ſi nempe Natura, humores tandem ex ſinibus propellens, eos in ſpinæ cavitatem protrudat, ut inter vertebras & medullam, aut inter tunicas & medullam, deſcendentes nervos illius lateris afficiant: Vel, cum ſæpius viderim & multis oſtenderim, utramq; ſpinalis medullæ partem cavitatem habere manifeſtam, per earum longitudinem productam; ſi, durante morbo, in alterutrâ harũ humores crasſi vel â cerebro ſuppeditati, vel etiam in ipſis cavitatibus geniti cõcreſcant, & vel comprimendo nervorum exortus, vel eos alio modo afficiendo, ſpiritibus animalibus commeatum intercipiant, Paralyſin inde generari facilè concedo. Ita motum & ſenſum in membris quibusdã particularibus nonnunquam tolli aliquoties vidi, cauſſamq; ejus rei nervi cujusdã particularis & privati læſioni unicè aſſcripſi, vel quòd hic ab humore ſeſe in foramina vertebrarũ, per quæ nervi egrediuntur, inſinuante, vel aliâ cauſâ com

*Quomodo nervi post Apoplexiam læduntur.*

*Spinalis medullæ duas cavitates habet.*

sâ compressus aliterve læsus & affectus fuerit. De quibus particularium nervorum læsionibus alibi.

Objicere hîc quis posset Apoplexiã & Paralysin eandẽ caussam habere, & in utrâq; easdẽ partes affici, adeoq́;, cũ caudicis medullę cavitates obstructas Paralyseos causã esse posse concedã etiã Apoplexiæ causãibi latitare, à me quoq; affirmari debere. *Obiectio.*

Verum ad id dico, me nõ simpliciter concedere, in Apoplexiâ & Paralysi easdem partes primariò affici: siquidẽ in illâ magis cerebrũ læditur, in hâc autẽ potissimùm nervi inferiores afficiũtur. Et quamvis Apoplexiâ transeat in Paralysin, inde tamen inferri nõ potest, essentiã utriusq; affectus unã & eandem esse; eosq́; saltèm secundum magis & minùs differre, ut aliqui volũt; sed morbi sunt cõsequẽtes, quorũ unus quidẽ alterius caussa fieri potest, verùm ad istius essentiã minimè pertinet. Estq́; transire in aliud idẽ, ac fieri quòd antea nõ ad erat. Nec moramur quòd Paralysis in quibusdã partibus sensum & motũ ut Apoplexia tollat: nã in Medicina nõ novũ est unã & eandẽ actionẽ à diversis & distinctis morbis lædi, musculi namq́; motum & nervis, & corpore tendinoso affectis tolli, in tabulis meis Anatomicis pluribus ostendi; pręterea alio atq; alio modò Paralysis, alio modo Apoplexia actiones animales abolet, estq́; utriusq; lęsionis modus planè diversus: *In Paralysi & Apoplexia nõ simpliciter eadem partes afficiuntur.*

Nam in Apoplexia nervi otiosi sunt; nō tam quòd ipsi primariò affecti sint, quàm quòd spiritu influente cerebrum, à quo prodeunt, & unde spiritus ad animales actiones idoneos redditos accipiunt, careant: In Paralysi verò cerebrum sæpiùs salvum est, nerviq; primariò afficiuntur, ita ut ob eorum occlusionem vel aliam læsionem spiritibus animalibus, in cerebro etiam genitis, nulla via ad certas & determinatas partes pateat. Si autem forsan in Apoplexiâ cerebrum suis spiritibus vitalibus privaretur, & simul nervi particulares, eo, quo jam dixi, modo, afficerentur, tum corpus duobus morbis distinctis laborare omnibus in propatulo est.

Nec concedendum, ambas spinalis medullæ cavitates, satis amplas, mox in primâ Apoplexiæ invasione totaliter obstrui. Id enim si fieret, Paralysis Apoplexiam præcederet, non verò sequeretur; quia humor in cavitates hasce utrinq; irruens, antequam eas totas oppleret, & superiores nervos ad spinæ exortum oriundos comprimeret, vel obturaret, prius inferiores, in osse sacro & lumbis prodeuntes læderet, sicq; in Apoplecticis, antequã ullum aliud membrum afficeretur, pedes Paralytici fierent, ægriq; integris sensibus in terram deciderent, postmodum autẽ magis magisq; cavitatibus

*Non utraq; spinalis medullæ cavitas in Apoplexiæ invasione occluditur.*

medullæ ſpinalis impletis, reſolverentur partes aliæ viciniores, & tandem brachia, ultimò vero cerebri ſuperiores nervi (nec quidē alii, niſi qui ab hac medullæ caudâ prodeunt) occluderentur. Quæ omnia experientiæ manifeſtò contradicunt: quia uno & eodem ferè momento cerebri & aliorū membrorum actiones animales in Apoplecticis aboleri videmus; imò quemadmodum & omnes Medici aſſerunt, illius prius quàm horum functiones tolli, deprehendimus.

*Cerebri actiones omnes in Apoplexia primò læduntur.*

Deinde hac ratione ſenſim homines Apoplexiâ corriperētur: quia defluens humor nō illicò utrasq; haſce cavitates occupare & opplere poteſt, ſed pro modo fluxionis, ſucceſsivè partib. ſenſum & motū adimeret, poſſentq; Apoplectici aliquandiu, antequam penitus in terram deciderent, morbum perſentiſcere, ſibiq; in tempore de idoneis remediis & Medico proſpicere; quod etiam falſum & obſervationibus quotidianis contrarium.

Cupio mihi & hîc demonſtrari, cur, cavitatibus hiſce oppilatis, animales actiones principes etiam aboleantur. Cum enim obſtruentium humorum copia maximâ ex cerebro defluat, inq; partes disſitas & remotiores deſcendat, hoc purius redditum, nec ut antea ab excrementis vitioſis gravatum, fun-

ctiones suas rectius tum fortè obire poterit.

Præterea si humores vitiosi ex cerebro defluentes utramq; spinalis medullę cavitatem occludunt, ut in Apoplexiâ eas occludere necesse est; cur post eā saltèm unius lateris Paralysis remanet, cū tamen materię eductio æquè ex unâ quā ex alterâ difficilis sit? Quæ etiam ratio, quòd, humoribus illis crassis spinalis medullæ cavitates obstruentibus, non omnes Apoplectici semper Paralytici fiant? Nam si malum citò desinat, integrè & perfectè nōnullos ægros, nullo vitio in ulla parte corporis remanēte, restitui vidi: Ubi ergo tum manet humor ille influx9? Non verisimile, ipsum adeò crassum & tenacem medullæ cavitates obstruentem & occludentem tam citò iterum ex iis vel evacuari vel resolvi posse.

Cæterùm cur quoq; in iis, qui ob fortem Apoplexiam interierunt, neq; in cerebro ad medullæ oblongatæ exortum, vel in ejus cavitatibus humoris obstruentis ullum aliquod vestigium quemadmodum nec obstructio ipsa deprehenditur? Sanè, si ille in initio morbi adesset, hocq; in loco Apoplexiā causaret, in cavitatibus prædictis ad oculum in demortuis ejus aliquid appareret; quod tamē itidē falsum, & observationibus Medicorum contrarium.

Quare cum videas Paralysin & Apoplexiam

pluri-

plurimùm differre, nec unam alterius essentiam constituere, nec duos hosce affectus eodem tempore eodemq; modo produci, nec in utroq; unam & eandem partem primariò affici, me reprehendere neutiquam poteris; quòd suo modo diversam causam unicuiq; assignarim; & illam potissimùm ob læsionem nervorum, hanc verò ob occlusionẽ crassę meningis sinuũ, & vitaliũ spirituũ interceptionẽ fieri dixerim. Et quãvis tibi largiar, in Paralysi cavitates illas spinalis medullę oppleri, eãq; Apoplexiã subsequi: inde tamẽ utriusq; morbi idẽtitatẽ non rectè colligere, vel cerebrũ aut nervos uno & eodem modo lædi inferre poteris; sed potius, ut jã dixi, cùm in utroq; affectu eandẽ symptomatũ vehementiã minimè observes, nec omnes partes, quę in uno afficiuntur, etiã in alio affici videas; imò hosce affectus diversimodè lædere, & aliter motũ & sensũ in Apoplexiâ, aliter in Paralysi tolli deprehẽdas, utriusq; generationẽ, sedem & causam diversa esse colliges. Nec tibi ullo modo patrocinabitur, quòd Apoplexiæ Paralysis succedat. Nam non solùm hæc Apoplexiam, sed & nonnunquam alios morbos; imò non rarò etiam Colicam insequi solet. Quã a. *Paresis* illa dicta cum Colica, quoad essentiã, convenientiam habet? Nullam sanè afferre

*Apoplexia à Paralysi differt.*

*Paralysis non solum Apoplexiam sed & aliquando Colicam &c. insequitur.*

poteris, nisi materiæ transsumtionem & translationem dicas, quam tibi & in Apoplexiâ concedo.

## CAPUT XVII.

### *De Caussis cerebri sinus occludentibus. Et in specie de humoribus pituitosis.*

HIsce ita explicatis, ad caussas quæ nempè sinus istos crassæ meningis vasaq; cerebri occludere possunt, progredimur; quæ non uniusmodi, sed variæ ac multiplices: *Etenim quicquid vel obstruendo comprimendo, vel quacunq; alio modo lædendo meatus illos obturare & occludere, spiritibusq; vitalibus viam præcludere potest, illud omne Apoplexiam caussare aptum natum est.*

*Caput pituitæ Metropolis.* Cùm autem caput ut plurimùm pituitosis succis scateat, hisq; magis quàm aliis humoribus abundet, unde & *Hippocrati Metropolis* pituitæ dici solet, frequentissimè, & rarò ab aliâ caussâ, quàm pituitâ, imprimis eâ, quã Hippocrates *Epidemicam seu Epidemiã* nominat, Apoplexiã produci statuo.

Ostendit id constitutio corporis frigidior, ansam huic morbo sæpius præbens, ætasq; senilis, quæ cùm plurima ejusmodi excrementa pituitosa producat, præ aliis maximè Siderationi obnoxia esse solet.

Præ-

Præterea ægri nonnulli, antequam malo hoc corripiuntur, de capitis gravitate conqueri ſolent, crebroq; catarrhis vexantur, & plurima excrementa craſſa per nares aut os ejiciunt, manifeſto argumento, in ipſis pituitoſos ſuccos abundantes morbo occaſionem præbuiſſe.

## CAPUT XVIII.

### *An Melancholia Apoplexiam producere poßit.*

A *Melancholiâ* Apoplexiam produci, *Fernelius* ſimpliciter contra *Hippocratem*, paſſim, Melancholicos facilè Apoplecticos fieri affirmantem, negat: Verùm cùm & hic humor craſſus ſit, meatusq; occludere valeat, neque ipſum à productione Apoplexiæ ſimpliciter excludendum cenſemus, ſi videlicet in capite copiosè cumuletur. At cùm id in cerebro frigidiore rarisſimè fiat, neq; etiam is, qui in venis continetur, tam ſubitò ſurſum ad caput ferri poſsit, raro ſolam Melancholiam, ſed ut plurimùm cum pituitâ commixtam Apoplexiam excitare credimus.

*Rarò ſola Melancholia Apoplexiam excitat.*

Nimis autem licenter *Cardanus* omnem Apoplexiam à Melancholiâ produci affirmavit, mo-

*Cardani rationes.*

tus his rationibus: I. Quòd hic morbus satis gravis sit, & sævissima symptomata habeat, ideoq; non nisi ab humore deterrimo produci possit.

II. Quòd pueri pituitâ abundantes Apoplexiâ non vexentur, sicut nec senes decrepiti sexagesimum annum excedentes, in quibus tamen magnus pituitosorum humorum proventus datur.

III. Quòd in Apoplexiâ vena secari soleat, cujus tamen sectio crassis ac pituitosis humoribus, in capite abundantibus, nec loci conditione, cùm humor extra venas consistat, nec qualitatis ratione, cùm frigidus & humidus sit, vel alio modo conveniat.

IV. Quòd, etiamsi Apoplectici multa pituita per nares & fauces excernant, non tamen allevientur, indeq; morbus planè non remittat.

*Cardani rationes refutantur.*

Verùm hæ allatæ à *Cardano* rationes omnes nullius momenti sunt. Et quòd primam attinet, quâ dicit, omnem morbum magnum non nisi à gravissimâ & deterrimâ caussâ produci, id ei non concedimus. Etenim morbus non solùm ratione caussæ, sed etiam partis, quæ afficitur, ut & facultatis, quæ læditur, respectu *magnus* vocari solet. Sic parvum vulnus, quod in musculosis parti-

*Morbus multis modis magnus dicitur.*

bus

bus ne curamus quidem, in corde magnum malum parit, hominemq́; citò jugulat ac interficit. Et Apoplexia magnus morbus dicitur & eſt, non ratione cauſſæ (quia hæc nec in ventriculo, inteſtinis, liene, aut aliis in locis tam ſubitaneam ac repentinam mortem accelerare poſſet:) ſed facultatis, quam lædit, & dignitatis partis, in qua hæret, cerebri nempe, cujus tono deſtructo, ejusq́; actionibus penitùs abolitis, tandem hominem mori neceſſe eſt. Si autem quis ineptè omnem morbum magnum cum cauſsâ ſemper conferre velit, non tantùm pituitam, ſed & ſanguinem vaſa diſtendentem gravisſimæ cujusdam cauſſæ rationem aliquando habere concedimus.

*Ad ſecundam* dicimus, valde à veritate alienum & quotidianæ experientiæ manifeſtò contrarium eſſe, pueros Apoplexiâ non tentari. Ut enim ab aliis Medicis annotata exempla prætercam; ante annum Anno 1617. hîc in ſuburbio puerum quendam, tabellarii cujusdam filium octo annos natum, hoc morbo corripi ipſemet vidi. Cùm enim hic cum aliis ſuis ſodalibus ante ædes paternas puerili more luderet, & hinc inde currendo ſe commoveret, ex inſperato in terram concidebat, motu ſenſibusq́; omnibus ex æquo abolitis, *Pueri etiam Apoplexia tentantur.*

ſolâ reſpiratione remanente, ita ut ſemimortuus in domum patris deportaretur. Et quamvis frictionibus validis, aliisq; medicamentis adhibitis ex parte reſtitueretur; perfectè tamen curari non potuit, ſed in uno latere permanſit Paralyticus, donec paucis ſeptimanis pòſt, morbo redeunte, animam exhalaret, & hujus miſerrimæ vitæ finem faceret.

*Cur nõ facilè id fiat?*

Quòd autem id raro contingat, & non tam frequenter pueri, ac ſenes ejusmodi malo tententur, cauſſa forſan hæc dari poteſt, quod in pueris cerebrum nondum, ut in ſenibus, labefactatum, facultasq; expultrix in iis adhuc fortis ſit, quæ non permittat, materiam craſſam copioſius in eo coacervari ac colligi, ſed quamprimùm genita fuit, eam exturbet ac ejiciat, ut Anno 1619. iisdem verbis etiam oſtenſum fuit.

*Sen's ſexagenarii Apoplexia etiam corripiuntur.*

*Senes* quoque decrepitos ſexageſimum annum excedentes non fieri Apoplecticos, tam falſum quàm falſisſimum. Imò contrarium præter quotidianam experientiam *Foreſtus*, *Altimarus* & alii annotarunt.

*Ad tertiam* dicimus, ſecari in Apoplexiâ venam, non ut humores frigidi & craſsi corrigantur ac emendentur, ſed ut hi à capite revellantur,

(quæ

(quæ revulſio valdè in hoc malo urget) hacq; ratione ſpiritibus vitalibus iterum via ad cerebrum aperiatur.

Tandem *ad quartam* reſpondemus, Apoplexiam non quosvis humores in cerebro excitare, ſed eos, qui ſinus & meatus occludunt. Licèt ergo nonnunquam ex cerebro Apoplecticorum aliqua portio pituitoſorum humorum excernatur, niſi tamen & ea ſimul effluat, quæ occluſionem parit, & morbi cauſſa eſt, ægri non reſtituuntur. Interim tamen pro bono ſigno à multis habetur, ſi per nares pituita effluat: ſignificat enim cerebrum parte vitioſorum humorum levari, eosq; reſolvi, imminui aut aliunde derivari.

## Caput XIX.

### *An detur Apoplexia ex Sanguine orta?*

An ex *ſanguine* etiam Apoplexia, quæ vulgò *ſanguinea* dicitur, generari poſsit, nonnulli ambigunt. Sed cùm ſæpe obſervatum ſit ex ictu aut contuſione capitis homines repentè ſenſum & motum amiſiſſe, talibusq; tum viventibus adhuc, tum mortuis magnam ſanguinis copiam per os naresq; effluxiſſe, non eſt, ut de eâ adeò

dubitemus. Observavit & ejusmodi Apoplexiam *Fernelius*, ut ex loco antea citato videre est. Meminerunt etiam ejusdem *Johannes Langius* in Epistolis, *Petrus Salius Diversus* de Affectib: particular: *Schenckius*, & alii plurimi. Imò *Guilhelmus Fabricius Chirurg: Cent.* 3. *observat.* 11. *pag.* 57. quendam ex narium consuetâ suppressione Apoplecticum evasisse annotavit.

*An sanguis comprimendo nervos Apoplexiam excitet.*

De generationis ratione saltem dubium, quomodo videlicet sanguis Apoplexiam inducere posſit. Nonnulli credunt id fieri, quòd effusus è venis in basin cranei nervorum principium comprimat, sicque animali spiritui transitum deneget, quod nos minimè concedimus. Demonstravimus enim supra, ob solos nervos occlusos non protinus cerebri actiones omnes aboleri. Et adhuc sub judice lis est, an sanguis omnes nervos ad basin cranei utrinque simul & semel comprimere posſit: vellemq; mihi ostendatur locus, in quo illa compresſio fieri queat. Ego quanquam cerebrum diligentisſimè sæpius considerarim, eiusmodi locum nunquam deprehendere potui.

Forsan in cerebri ventriculis sanguinem contineri existimas? Atque tum quærò, cur ibi ibi hærens non per patentes meatus, qui ad na-

res &

res & palatum tendunt, effluat, sed in thalamis istis satis amplis subsistat, & eo loci nervos potissimum ad receptionem humorum minus habiles lædere gestiat. Si ipsum inter cerebrum & meninges effundi dicas; exterior pars cerebri & meninges quidem comprimentur, at animalibus spiritibus transitus in nervos vix denegabitur.

Vero magis consentaneum est, effusum è venis sanguinem fluere inter meninges, easq; dilatando & ad cranium comprimendo illorum sinus obturare sicq; spiritibus vitalibus viam præcludere, ut liberum ad cerebrum transitum non amplius habeant. Quo tamen non nego, & à copiâ sanguinis ipsum quoque cerebrum comprimi, imprimis cùm is in tali loco tum contineatur, ubi facilè tàm sinus quàm cerebri superiores partes deprimere, adeoq; præter occlusionem vasorum ejus conformationem etiam depravare possit.

*Quomodo sanguis Apoplexiam excitet.*

Neque negari potest, sanguinem aliquando & crassos humores conjunctos habere, hosque simul cum eo commoveri: vel eundem etiam ob ictum, vel alias caussas *crassescere* & *grumescere*, ac tum intra vasa obstruendo, tum etiam extra ea comprimendo spiritibus transitum denegare,

*Sanguis aliquando in corpore crassescit.*

quem-

quemadmodum ejusmodi grumoſum ſanguinem præcipuè in ſinibus cerebri, & imprimis circa torcular & foramen illud, quo omnes concurrunt, me aliquoties obſervaſſe, & à Placentino etiam animadverſum, ac in tabulis Anatomicis depictum eſſe, ſupra oſtendi. Notarunt & idem in Apoplecticis *Johannes Bauhinus*, *Hollerius* & alii. Imò *Doctiſs. Platerus* Apoplexiam hoc modo generari, taurorum ſecuri percuſſorum exemplo demonſtrat: Eorum enim, inquit, cerebrum, præſertim iis in locis, ubi contuſum, ſemper grumoſo ſanguine refertum invenitur, ut & mulieres, antequam coquant illud, priùs ab hoc ſanguine purgent, ſicq; Apoplexiam, ruptis in cerebro venis, fieri exiſtimo, niſi ſanguis per nares, aures, aliasvè partes ſeu vias vicinas ſtatim erumpat &c. Atque cum in viventibus ſanguinem quoq; à variis cauſſis concreſcere & craſſeſcere impoſsibile non ſit, ab ejus grumis ſinuum cavitatem obturantibus nonnunquam Apoplexiam excitari etiam affirmamus, imprimis cum id non parum confirmet ejusdem etiam *Plateri* obſervatio, ubi Prax. part. 1. c. 14. pag. 507. ſe ex corpore vivente ſanguinem inſtar coralli rubri coagulatum & concretum ê venis extraxiſſe manifeſtò teſtatur.

*Sanguis & in viventibus concreſcit.*

CAPUT

## CAPUT XX.

### *An bilis flava Apoplexiam inducere possit.*

AVICENNA, &, qui hunc sequuntur, alii nonnulli statuunt, etiam à bile flavâ nonnunquam Apoplexiam produci: Verùm explicãdum ipsis fuisset, qualem bilem intelligant. Si tenuẽ dicant, nego eam meatus cerebri obturandi vim habere; si crassam objiciant, qualis vitellina est, dubito, an tanta ejus copia in frigidiore cerebro generari aut cumulari possit, quæ hujus gravissimi mali generationi sufficiat. Credendum humorem tam acrem vellicare meninges cerebri, easq; continuò ad sui excretionem stimulare, nec adeò facilè in capite coacervari, sicq; vel nunquam aut sanè rarissimè, nisi, ut supra de melancholia diximus, cum pituitâ misceatur, Apoplexiam inducere.

## CAPUT XXI.

### *An serosi humores Apoplexiam excitent, & qua ratione id faciant.*

A seroso & aquoso humore vel pituitâ tenui homines sideratos & attonitos quoq; reddi, nonnulli quidem recentiorum affirmarunt. Sed

quomodo id fiat; & an tenues illi humores obstruendo vel comprimendo, aut alio modo cerebrum lędendo, Apoplexiam excitent, pauci exposuerunt.

*Tenues humores sinus cerebri non obstruunt*

Et quidem ejusmodi humores, meatus cerebri obstruendo, veram Apoplexiam inducere non facilè concedendum: siquidem eorum substantia ita comparata, ut tenuissimis corporibus, qualia spiritus sunt, transitum impedire, & sinuum meatum plenè ac perfectè obturare nullo modo valeat, veluti & supra de hydrocephalo laborantibus ostendimus; ubi etiam ex *Vesalio* adduximus puellam illam hydrocephalo laborantem, Augustæ Vindelicorum dissectam, quæ cerebri actionibus usq; ad mortem integrè semper usa fuit.

*Nec comprimunt.*

Nec facilè affirmari potest, tenues hosce humores, comprimendo cerebrum, actiones ejus omnes abolere, quia potissimum in vasis continentur, tantumq; abest, ut ea occludant, ut & ipsa extendant ac dilatent. Et hinc notante etiam *Vesalio* in hydrocephalicis cerebrũ ab istis humoribus non cõprimitur, sed valdè dilatatur & extẽditur; Adde his quòd minimè subitò & cõfestim, sed sensim generentur, sensimq; in partes defluant, ut nõ videam, quomodò tam subitò & unico quasi momento omnem cerebri partem comprimere, & hominẽ attonitum

red-

reddere, eumq; actionibus animalibus omnibus repente privare valeant. Conspicati forsan nonnulli fuerunt humores aquosos in capitibus Apoplecticorum, (nam cerebrum intemperatum quidni cum crassis humoribus & serosos produceret, vel eos aliunde acciperet) hincq, Apoplexiam à seroso & tenui hoc humore excitatam fuisse crediderunt, qui tamen non ad tenues illos humores, qui ferè semper in ventriculis cerebri reperiuntur, & in iis, qui Apoplexiâ nunquam laborarunt, etiam observantur, sed alios crassiores alibi existentes respicere debuissent. Hinc scribit *Columbus*, se dissecuisse multos, ob gravem Apoplexiam mortuos, & invenisse quidem in eorum cerebris sæpe humorem aquosum purissimum, attamen semper etiam glutinosum.

*Tenues humores omni tempore in cerebro reperiuntur.*

Aliter quomodo tenues humores Apoplexiam inducere valeat, exposuit *Platerus parte 1. de mentis consternatione p.* 24. ubi scribit, excrementa tenuia & aquea intra calvariam immoderatiùs congesta, nisi per destinatas vias effluant, sed supprimantur, cerebri substantiam largo humore perfundere, eamq; longo impulsu adeò irrigare, ut magna illius moles, mollior laxiorq; facta subitò diffluat & subsidat, nervorumq; principium è basi calvariæ, à

*Plateri Opinio.*

cerebro prodeunte, premat, & ſpiritibus tranſitum præcludat. Et hæc omnia ita ſeſe habere, ex propria obſervatione demonſtrat. Annotaſſe enim ſe ſcribit aliquoties, talem humorem Apoplecticis per nares effluxiſſe, & in diſſectione eorum apertâ craſsâ meninge mox proſiliiſſe. Imò in anu quadam, quam Apoplexia è medio ſuſtulerat, cerebrũ lactis cremoris inſtar diſſolutum per faciem apertâ durâ meninge effluxiſſe teſtatur.

*Cerebri collapſus Apoplexiæ cauſſa fieri poteſt.*

Quæ *Plateri* opinio veriſsima eſt, nec à nobis negatur. Nam cerebrum hoc modo irrigatum mollius fieri, tandemq́; præcipuè in ſenibus, diffluere ac ſubſidere certum eſt. Imò cum cerebrum corpus concameratum ſit, plurimasq́; cellulas, &, quæ eas ſuſtinent, fulcra habeat, ac in viventibus à ſpiritibus illuſtratum valde pro ſuis actionibus extẽdatur, fornice & corpore calloſo præter modum humectatis, tandemq́; deſtructis, univerſam ejus machinam prorſus aliquando collabi, hominesq́;, ſenes imprimis, hoc modò repente jugulari, & ratio ſuadet & αὐτοψία demonſtrat.

*An collapſus cerebri veram Apoplexiam pariat.*

Id ſolum hîc quæritur, an ejusmodi ſenſuum & motûs abolitio veræ Apoplexiæ ſpeciem conſtituat, ſiquidem in Syncope & aliis nonnullis affectibus iſtæ actiones tolluntur, quos tamen nemo pro

Apo-

Apoplexiæ ſpecie, & quidem rectè, habet. Et cum in tali affectu non ſpirituum influentium interceptio ſubſidentiam & collapſum præcedat, ſed hic potiùs cauſſa, ut cerebri ſinus occludantur, quorſum hic affectus referendus ſit, jure quiſpiam dubitare poſſet.

Hîc nota, ſupra cap. 3. Apoplexiam duplicem à me conſtitutam fuiſſe, *Veram & Notham*. In verâ Apoplexiâ prius obſtruuntur ſinus & meatus cerebri, ſpiritus vitales intercipiuntur, poſtea id, utpote non illuminatum à ſpiritibus, in ſe ſubſidet, ejuſque actiones omnes ſubitò & in momento quaſi pereunt. At in ***nothâ*** ſeu ſpuriâ Apoplexiâ cerebrum primò collabitur & ſæpe diffluit, vaſaq; poſtea occluduntur, ut nihil ſpirituum vitalium ampliùs accipere vel etiam acceptis uti fruique posſint, hinc ad modum Apoplexiæ homines corripiuntur. Habetq; hæc Apoplexia cum priore eadem ſymptomata; graviora tamen, quia protinus, præcipuè in imbecillioribus ſenibus; deſtructâ penitus principali parte corporis, cordeq; languente reſpiratio pulſusque tollitur, facies repente in cadaveroſam mutatur, ægriq; citò ac quaſi in momento moriuntur, nec unquam reſtituuntur. Cùm autem actiones animales in hac neq; ob animaliũ nec vitalium

*Apoplexia duplex.*

*Notha quomodo à vera differat.*

ſpirituum privationem primariò tollantur; ſed cerebri collapſus horum interceptionem præcedat, cerebrumq́; ipſum in momento deſtruatur, Apoplexiam *notham* dicimus, eamq́; à verâ quoad modum invaſionis & cerebri læſionem diſtinguimus.

*Cur ſpuria dicatur.*

## CAPUT XXII.

### *An inflammatoria cerebri diſpoſitio Apoplexiæ cauſſa eſſe poſſit.*

GAlenus l.2. aphoriſm. 42. & à φλεγμονώδει διαθέσει aliquando Apoplexiã excitari ſtatuit, per quam multi verã cerebri & meningum inflammationẽ intelligunt, factam à ſanguinis copia in caput irruente. Verùm tantùm abeſt, ut cerebrum in Apoplexiâ inflammetur, ut & privatũ ſuo ſpiritu influente refrigeſcat, & omnem ſuum calorem actualem & ſenſibilem amittat. Quis quoq; neſcit, inflammationem cerebri & meningum longè alia ſymptomata inducere, quàm quæ in Apoplexiâ deprehenduntur.

Alii volunt in illa φλεγμονώδει διαθέσει ſanguinem in cerebri & meningum ſubſtantiam non effundi, & hanc ob cauſſam nullã febrem Apoplexiæ cõjungi, ſed illũ intra venas & arterias exiſtentẽ vaſa ſaltem replere, &, cùm ab iis vix capi poſſit, iſta ita

replen-

replendo dilatare, ac cerebri poros comprimere, anguſtioresq; reddere, ut ſpiritus liberè per eos vagari nequeant. Imò dicunt expreſsè, arterias & cerebri vaſa à ſanguinis copiâ ita repleri, ut ſubſtantiâ cerebri compreſsâ, meatibusq; & poris anguſtioribus redditis, nec ſpiritus vitales liberè è corde aſcendere, nec animales in nervos influere poſsint.

Hîc audis quoſdam vel nolentes in meam ſententiam deſcendiſſe, cauſſamq; Apoplexiæ ſpirituum vitalium defectui tandem attribuiſſe. Cùm enim viderint, hanc inflammatoriam, ut vocant, diſpoſitionem minùs interceptioni ſpirituum animalium aptam eſſe, morbi hujus acutiſsimi cauſſam in privationem ſpirituum vitalium quoque & ipſi demum retulerunt, &, quod in hac ſpecie concedunt, mihi & in aliis concedere opus habent.

*Cur Apoplexia non à diatheſi & phlegmonode fieri poſſit.*

Verùm ut liberè dicam, (dixiq; & An. 1619.) quid de inflammatoriâ hac diſpoſitione ſentiam, nō credo, eam unquam veræ & propriè dictæ Apoplexiæ cauſſam fieri poſſe. Etenim non video qua ratione tanta copia ſanguinis, quæ vaſa repleat, & quidem ita diſtendat, ut hæc poros cerebri omnes comprimant & occludant, in cerebrum & meninges citra inflammationem ruere poſsit. Sanè in phreneticis tanta repletio vaſorum nunquam obſervata,

&ta-

& tamen cerebri meninges in iis inflãmari omnes asserunt. Quem quoque fugit, tam in phrenitide, quàm aliis cerebri inflammationibus, vel etiam febribus nonnullis, in quibus humores ἀνάῤῥοποι cum impetu caput petunt, vasa valdè dilatari, & ob nimiam membranarum cerebri distensionem maximos, insignes & ferè intolerabiles capitis dolores aliquando oboriri, nec tamen hisce morbis laborantibus Apoplexiam supervenire, imò in iis longè alia symptomata, quàm quæ in sideratis occurrunt, apparere? Quis etiam crederet, in senibus frigidioribus, quibus hoc malũ valdè frequens, cerebrum & ejus meninges facilè inflammatoriam dispositionem pati posse? Rationem quoq; ab omnibus peto, si dilatatio vasorum Apoplexiæ caussa, quî fiat, quòd Athletæ & Plethorici, quibus venæ valdè turgent, non omnes Apoplexiam incurrant.

*Nervorum omnium principium à venis & arteriis non occludi posse.*

Cur etiam in obstructione pororũ cerebri jam Apoplexiæ caussam nonnulli quærunt, cùm tamen antea solam nervorum obstructionem, & nihil aliud hoc malum excitare posse dixerint? Numnè nervorum principium à vasorum dilatatione occludi posse statuendum? Illa vasa mihi ostendi cuperem, quæ dilatata cerebri medullam nervosq; omnes cõprimendo prorsus constringere possent.

Non

Non hîc nudis assertionibus fidendum, sed ipsa αὐτοψία consulenda. Intueatur ergo, qui vult, cerebri basin & nervorum exortus, vasaq; circa ea existentia diligentissimè perpendat, postea judicet absque livore, an tanta sint, ut ipsorum distensio Apoplexiam excitare queat, idq; salva veritate affirmari possit.

Ponamus etiam, venarum repletionem cerebri poros quodammodo comprimere, præsentibus tamen spiritibus vitalibus, nisi, ut in nothâ Apoplexiâ accidit, cerebri tonus penitus destruatur, id suis actionibus omnibus prorsus privari non poterit. Nec credibile est tantam distensionem vasorum subitò fieri, & omnia vasa simul & semel summè repleri posse. Ut itaque, quicquid etiam dicatur tam præcipitis hujus mali gravissimi, quòd unico quasi in momento ingruit, & inopino velut turbine (ut Quercetani verbis utar) ægrum percellit ac siderat, invasionis caussa ex illa dispositione inflammatoria nunquam rectè exponi ac explicari queat. *Vasa à sanguine non in momento dilatantur.*

Præterea, si, ut à quibusdam asseritur, vasa à sanguine in inflammatoriâ hac dispositione ita distenduntur, ut eundem vix capere queant, quomodo postea ab iisdem affirmari potest, spiritus vi- *Copiosus sanguis copiam etiam spirituum continet.*

tales ob illam ipsam inflammatoriam diathesin à corde libere ascendere non posse? Sanè si vasa, & imprimis arteriæ, quarum mentio manifesta fit, à sanguine tam latè, ut dicitur, extēduntur & dilatantur, spiritibus vitalibus, quorum sanguis vehiculum est, qui & nunquam soli, sed semper in sanguine & cum eo per corporis membra distribuuntur, via ad cerebrum denegari nullo modo poterit, sed contrarium potius dicendum, & dilatatis vasis, sanguineq; copiosius cerebro suppeditato, & spiritus ei in majore quantitate jam communicari statuendum erit.

## CAPUT XXIII.

### *An vulnera & cranii depressio Apoplexiam inducere valeant.*

VUlnera cerebri mortem quidem (etsi non semper) inferre, non tamen facilè per se Apoplexiam caussare possunt. Non enim eorum ea est conditio, ut spiritus intercipere, nec vasa ulla per se opplere, ac obturare valeant. Hinc vulnerato cerebro actiones animales minimè abolentur, sed saltem imminuuntur, aut subsequente inflammatione depravantur, vel, si omninò aliquando etiam operationes cerebri omnes illicò abolerentur

rentur, id non tam ob vulnus cerebri quam materiam crassam, in cerebro ex ictu commotam, & in vasa irruentem eaq; oppilantem, fieri puto, laboratq; tum cerebrum duplici morbo, nempe obstructione sinuum seu vasorum aut meatuum, & continui solutione, hæcq; illius generationi ansam quidem præbere, non verò eam per se efficere valet.

Depressio cranii ab ictu & contusione vel casu vehementiore, si in posteriore parte occipitis fiat, & sinuum congressus prorsus comprimat, spiritibus vitalibus viam præcludere, hacq; ratione Apoplexiam inducere potest: verùm cum sæpissimè in tantâ cerebri contusione, & vasa ejus rumpantur, probè videndum, ne id, quod sanguini asscribendum, aliquando cranii depressioni soli attribuamus.

*Depressio cranii quomodo Apoplexiam pariat.*

## CAPUT XXIV.

### *An spirituum animalium defectus vel perturbatio Apoplexiam caussare queat.*

INveniuntur alii, qui ob defectum spirituum animaliũ cerebri functiones omnes aboleri volunt. Illum defectũ autẽ dicunt fieri vel ob motũ

vehementiorem, vel cogitationes profundiores, vel alias caussas, ob quas spiritus animales vel effundantur, vel, ut loquuntur, extravagentur.

*Animales spiritus non nisi vitalibus absentibus deficiunt.*

Sed cùm non, nisi vitali deficiente, animales spiritus deficere possint, & effusi etiam ac à cerebro profusi adhuc in nervis persistant, ( aliò enim eos extravagari impossibile est) non video, quomodo vel ob defectum vel effusionem aut profusionem spirituum animalium cerebri actiones omnes tolli queant: ille enim non facilè possibilis, hæc autem motum & sensum omnibus partibus minimè aufert, præsertim cùm effusi spiritus in nervis adhuc hærentes suis actionibus præesse possint. Imò si sola animalium spirituum absumtio vel dissolutio Apoplexiæ caussa esset, de facili iisdem iterum collectis, vel aliis novis subinde regeneratis Siderati ad se redirent & restituerentur, quod tamen falsissimum.

Paulò aliter de spirituum hoc vitio nonnulli loquuntur, & nec defectum nec effusionem, sed potius perturbationem & confusionem eorum Siderationis caussam fieri dicunt, idq; ostendunt exemplo eorum, qui graviter in capite percutiuntur vel vulnerantur, subitoq; inde concidunt, & actiones animales omnes amittunt: Cerebro enim læso im-

posſi-

possibile esse existimant, ut spiritus animales rectè sese habeant, iis verò vel deficientibus vel non rectè sese habentibus actiones animales omninò aboleri dicunt.

At quamvis negari nequeat, contuso cerebro spiritus etiam turbari, & ad tempus motum & sensum in animali amitti; tamen cum ejusmodi turbatio facilè iterum sedetur, spiritusq; paulò pòst iterum quiescant, non probabile est, solam turbationem spirituum veram Apoplexiam inducere posse, sed, si quandoq; contingat, & ex contusione homines Apoplecticos fieri, id vel propter cerebri læsionem gravissimam vasisq; cujusdam ruptionem accidit, vel quòd humores crassiores violentiâ contusionis simul commoti fuerint, meatusq; vasorum obstruxerint.

*Turbatio spirituum veram Apoplexiam nō caussat.*

## CAPUT XXV.

### *An à spiritu vitriolato & constringente malum Apoplecticum generetur.*

J*Osephus Quercetanus* in Tetrade graviss: affectuum capitis cap. 11. pag. 120. caussam Apoplexiæ spiritui vitriolato, congelandi, coarctandi & constringendi vim habenti attribuit: hunc enim

nebulosas exhalationes in cerebrum evectas, inq; eo, instar nubium in aere expansarum, subitò suâ aciditate vitriolatâ in glaciem & gelu quasi convertere, & hac ratione tam animalibus spiritibus ad cor, quàm vitalibus ad cerebrum viam intercipere, & Apoplexiam inducere scribit. Reprehenditq; Galenicos, quòd à crasso humore tam grande malum deducere non vereantur, cùm tamen hic humor gravis ad omnem motum ineptus sit, nec ad cerebrum ferri, multò minùs in eo coacervari possit, utpote qui, antequam totus colligeretur, aliquo indicio se proderet & aliquod symptoma soporosum excitaret. Et mirum sibi videri tradit, si ab humoribus frigidis Apoplexia generetur, cùm hydrocephalo laborantes, totum caput ejusmodi humoribus repletum habentes, eâ non corripiantur & Attoniti reddantur.

*An crassi humores Apoplexiam excitare valeant.*

Hanc opinionem ut novam quidem proponit *Quercetanus*, verùm nova non est, sed idem & antea docuit *Theodorus Angelutius in suâ arte Medicâ: cap.* 38. *pag.* 56. expressè scribens, nec cerebrum nec ventriculos in Apoplexiâ affici, sed vapores per cerebri substantiam fusos ope qualitatis cujusdā congelari, ut dicto citiùs concrescant, crassescant, & lactis instar coagulētur, obstructionemq;

maxi-

maximam faciant. Quercetanus verò mutatis nominibus eandem rem iterum de novo proposuit.

Et quod spiritum illum vitriolatum congelantem attinet, fingere quidem talem in cerebro humano possumus, probare autem, ipsum revera dari, admodum difficile erit. Generaretur enim hic, si adesset, vel in ipso cerebro, vel ex inferioribus partibus illuc transmitteretur. In cerebro generari nō potest, siquidem in momento produci deberet; at dic mihi ex qua materiâ produceretur? Vel si more aliorum excrementitiorum humorum in eo colligeretur, cur & hic aliquo manifesto signo se non prodit? imprimis cum cerebrum, tecti fumosæ domus instar, nunquam vaporibus, qui à partibus inferiorib. ascendant, careat: vel meninges ejusdem cerebri vellicando epilepsiam caussat, quam etiam ex vapore mercuriali calido & vitriolato fieri Chymici docent.

*Spiritus Vitriolatus non in cerebro generatur,*

Nec ab inferioribus partibus sursum elevatur. Nam ascendens & per alia membra transiens, æquè in iis vel nervis vapores, quibus fortè nunquā carent, ut in cerebro, congelaret, illisq; motū & sensum adimeret, vel aliud in iis vitium excitaret. Et quis in capitib. Apoplecticorū demortuorū apertis talem glacialē & cōgelatū humorē unquā observa-

*Non ab inferioribus partibus ascendit.*

vit, geluque concretum in cerebro deprehendit? Sunt puræ putæ hypotheses, quæ ab ingeniis otiosis absque fundamentis excogitantur, & eâdem facilitate, quâ proponuntur, etiam refutantur.

Multò minus concedimus, subitaneam Apoplexiæ invasionem crassos humores excludere, quia, ut Galenus habet, affectus, qui repentinam habet generationem, indicat malum ex obstructione à crassis humoribus ortum. Idcircò tantum abest, ut subita invasio Apoplexiæ crassos humores excludat, ut & eos potiùs arguat & coindicet.

Deinde falsum est, humores crassos in capite nullo indicio sese prodere. Illi enim, qui Apoplectici ex obstructione crassorũ humorum fiunt, utplurimùm antea de cerebri imbecillitate, gravedine seu gravitate capitis conqueruntur; suntq; utplurimum catarrhosi, & magnam aliquando copiam eorum per nares ejiciunt.

Quòd verò hydrocephalo laborantes non fiant Apoplectici, id supra expositum fuit, ubi demonstravimus, tenues humores serosos, quales hunc affectum faciunt, non perfectè sinuum & vasorum meatus obstruere posse, ac propterea spiritibus vitalibus viam nunquam perfectè præcludere.

CAPUT

## CAPUT XXVI.

### *An à fumis & vaporibus nonnullis Apoplexia induci posßit.*

SUnt, qui & à fumis, vaporibus, aliisq; exhalationibus, tam in ipso corpore genitis, quàm extrinsecus advenientibus nonnullis Apoplexiam generari docent. Et hosce vapores *Hercules Saxonia lib.1. cap.4. fol.49.* in *venenatos* & *non venenatos* distinguit, qui postea à diversis diversimodè explicantur.

*Platerus* & alii, omnes vapores Attonitum morbum procreantes *Narcoticâ quadam vi præditos esse*, & suâ peculiari vi & proprietate spiritus cerebri quasi figere ac immobiles reddere volunt, ut ad actiones animales efficiendas minus habiles existant.

Verùm quanquam negari non posset, omnia narcotica cerebro & spiritibus animalibus infensa esse, illudq; quasi sopire, torpidum & ad obeunda sua munia ineptum reddere; cùm tamen per se vim claudendi vasorum cerebri meatus non obtineant, nec etiam spiritibus animalibus commeatum intercipiant, quomodo Narcotici hi vapores non potiùs soporosos affectus, Lethargum, carum &c. *An Vapores narcotici Siderationem efficiant.*

quàm Apoplexiam veram producant, non percipio. Et videmus, ſpiritum vini, ac ipſum etiam opium (quod tamen ſummè narcoticum, ita ut reliqua narcotica omnia ab ipſo nomen accipiant, & opiata dicantur) immoderatiùs aſſumtum ſomnũ quidem gravem & profundum parere, & facultatem animalem conſopire, non autem prorſus, & quidem in momento, cerebri actiones omnes abolere. Unde etiam ab opio ſtupidi facti, vehementiùs agitati, excitari ſæpè poſſunt; pedesq; ac manus nonnunquam movent, nec reſpiratio in iis, ut in Apoplecticis adeo depravata aut imminuta.

*Opium aſſumtum in momento motum & ſenſum non tollit.*

*Carum* autẽ quod attinet, facilè largior, eum in Apoplexiam tranſire, ſi nempè humores cerebri craſſiores, qui utplurimùm in hoc affectu adſunt, in ſinus & meatus vaſorum defluant, eosq; obſtruant; alium autem, quem à narcoticâ vi oriri tradunt, in Apoplexiam demum tranſire à nemine adhuc notatum. Et ſi vel maximè fieret, per accidens id contingeret, non ob vim narcoticam auctam, ſed humores cerebri collectos, & in loca prædicta irruentes.

*Quomodo ex Caro Apoplexia producatur.*

Prætereà non inficias ibo interdum & vaporem narcoticum vel alium ſpiritus figere aut eos aliter afficere, (nam ſupra ſenſuũ conſternationem

ſpiri-

ſpiritibus affectis attribui) ut degenerantes quaſi à ſuâ naturâ ad animales actiones minus habiles evadant: Verùm cum vitia in ſolis ſpiritibus animalibus hærentia tanta non ſint, quin non facilè iterum corrigi, vel alii novi ex ſpiritibus vitalibus, quos hi autores in Apoplexia nunquam deficere dicunt, ſubinde regenerari & affectis ſubſtitui, ſicq; cerebro ſuum inſtrumentum idoneum rurſum reſtitui & ſuggeri queat non in ſolis ſpiritibus animalibus, niſi & cerebrum ſimul alio modo læſum ſit, graviſſimi mali Apoplectici cauſſam latitare autumo. Ut nihil jam de eo dicam, quod multi, ſi veræ Apoplexiæ cauſſam ſolis animalibus ſpiritibus turbatis, fixis, profuſis aut aliter affectis attribuant, ſuam de Paralyſis productione, ex craſſis humoribus in nervorum principium ſeſe inſinuantibus genitæ ſententiam defendere nunquam poſſint.

*Calcis verò & carbonum fumos ac vapores* homines Attonitos reddere, experientia hactenus ſæpius docuit. *Scribitq́; Valerius Maximus l. 9. c.* 11, &c. Luctaicum *Catulum oratorem* à *Mario* mori juſsũ in cubiculo calce nuper truſſillato & oblinito, tum ejus vapore tum carbonum fumo ſuffocatum fuiſſe. *Et* M*arcellus Donatus l.* 2. *Hiſt: Medic: mirab: c.* 6. *pag.* 272. refert, pueros duos, *Nicolao Gerarducio*

hyberno tempore laneos birretos ſuper ligneas formas extendenti miniſtrantes veſperi, ut calefierent, vaporarium carbonibus ignitis plenum intraſſe amboſq́; matutino tempore humi procumbentes, ſenſu omni & motu deſtitutos repertos, &, paulatim vivido faciei calore deficiente, eâdem die ad locum ſepulturæ deſtinatum delatos fuiſſe.

Sic pag. 173. *de Alexio Chiaponto Mantuano* JCto tradit, ipſum, cum aliquando accenſis in thalamo carbonibus, quô frigidi aëris inclementiam corrigeret, feneſtriſq́; optimè clauſis literis operam dare cœpiſſet, protinus ab eorum fumis totum ſideratum fuiſſe, ita ut vix poſtea Medicorum ope reſtitui potuerit.

Idem quoq; *Marcellus* loco citato aliam hiſtoriam recenſet de quatuor aliis, ſimul & eodem tempore à carbonum fumis Apoplexiâ correptis. Anno enim, *inquit*, 1556. die 24. Novembris quatuor homines anguſto carcere in noſtra urbe detenti ferreos cancellos ſeu transennam ignitis carbonibus ignire & emollire tentarunt, fugam inde arripere procurantes. Cumq́; opus aggreſſi fuiſſent, & lignea feneſtra, quæ exterius transennam muniebat, atq; tum temporis clauſa reperiebatur, vaporum & fumorum à carbonibus elevatorum

exitum

exitum prohiberet, in carcere angusto fumus totus cogebatur, & omnes tetro illo vapore malè affecti concidêre, quorum & unus ob Apoplexiam fortem subitò extinctus fuit. Alia ejusmodi exempla plura *apud Livium Valerium Maximum* & alios annotata invenies.

De caussa verò hujus rei, ob quam nempe carbonum vapores tam citò Apoplexiam inducant, hominesq; jugulent, diversæ reperiuntur apud Medicos opiniones. *Christophorus à Vega* l.3. cap.8. de arte Medica arbitratur, eos subitò ad cor penetrare illudq; suffocare. Quem *Marcellus Donatus inde refutat*, quòd in talibus sideratis cerebri actiones penitus aboleantur, cordis motu adhuc aliquandiu perdurante.

*Carbonum fumi quomodo homines Apoplecticos reddant.*

*Hieronymus Mercurial. l.3. variar: lect: c.2.* fumos hosce nimio calore caput exsiccare, idq; exsiccando constringere ac condensare, hacq; ratione ejus actiones omnes auferre statuit: sed meo videre parum rectè. Habent enim maniaci siccissimam (qualis quidem possibilis) cerebri constitutionem, qui tamen rarissimè vel nunquã Apoplexiam incurrunt. Et sæpè homines in calidissimo versantur aere, qui tamen nullam in cerebro constrictionem & condensationem (quæ potius fri-

gori quàm calori attribuenda essent) persentiunt.

*Vera ratio.* Credibile proinde est, ut & anno 1619. ostendi, cum carbonum accensorum fumis unà pulvisculos & quasi atomos crassiores ex iisdem carbonibus exhalantes, quos manifestò oculis cernimus, inspirando attrahi, hosq; ita attractos se in cerebri poros sinuumq; cavitates insinuare, & nunc copiâ & crassitie eorum foramen commune ductusque antea explicatos occludere & obturare, nunc etiã, imprimis in iis, qui ejusmodi fumis assueti nõ sunt, insitâ vi quadam cerebrum afficere, humoresq; commovere, ut isti in prædictum locum ruentes, eum aliquando occludant. Atque sic duplici nomine vapores seu fumi isti Carbonum Apoplexiæ originem præbere possunt, 1. obstruendo sinus, 2. commovendo humores, cujus ratione cõmodissimè, quemadmodum & sequentia, ad causas procatarcticas referri possunt.

Non planè dissimili modo ex calce quoq; exspirantes vapores homines Attonitos aliquando reddunt: nam & ipsi, licèt, ut carbonum fumi vasorum ductus crassitie adeo non oppleãt, cerebrum tamen peculiari modo afficiendo, humorumq; fluxum promovendo illud ad Apoplexiam dispone-

re,

re, imò, ut hîc aliquando VVitebergæ vidi, etiam in dispositis epilepsiam in eo excitare possunt.

*An omnes à calce & carbonibus Apoplectici fiant.*

Promiscuè autem omnes homines ab ejusmodi fumis Apoplecticos fieri non facilè affirmarem. Nam quē fugit, fusoros, fabres, aliosq; multos quotidie cum ignitis carbonibus versari, & cæmentarios non tantùm continuò calcem tractare, sed & eandem extinguere, & tamen non omnes imò paucissimos eorum Apoplexiâ mori. Cùm & aliquando, ut modò dixi, calcis odores Epilepsiā excitasse viderim, universaliter omnes homines ab iis siderari pronunciare non possum. Potius existimo, exhalationes illas semper quidem cerebrum affligere, non semper autem in eo Apoplexiam ercitare potentes esse, sed pro ejus dispositione humorumque in eo redundantiâ illud magis minusvè afficere, & aliquandó huic, sæpè & alii affectui originem præbere, quandoq; etiam noxam minùs sensilē inferre. Qui iis assueti non sunt, caputq; multis pituitosis succis (ut ferè semper accidit, præsertim in hyeme, quâ plurimi ab his Attoniti fiunt) repletum habent, caveāt sibi ab ejusmodi exhalationibus: nō n. satis tutò eas attrahunt, sed facilè ab illis lædi & Apoplectici fieri possunt. Qui a. crebrò eas inspirarunt, & quasi ipsis assueti sunt, mi-

nore

nore cũ periculo;] cũ iis versari possunt, quippe cum cerebrũ ab illis nõ mox adeo afficiatur. Refertq́, hîc multùm scire, ê quo ligno & quomodo carbones illi parati fuerint. Nam quanquam nulli laudari possint, aliqui tamen gravissimum odorem spirant, fumosq́; dant crassissimos; & longè faciliùs quàm alii homines ad Apoplexiam disponere valent. Atq; hinc istos carbonum & calcis fumos excitare Apoplexiam in plurimis, non autem promiscuè omnibus dicendum.

*Musti vapores qua ratione homines interimant.*

Ex *musto* autem qui exhalant vapores, cunctos quidem sine discrimine afficiunt homines, verùm non omnes mediante Apoplexiâ jugulant, sed quemadmodum alibi fusius demonstravi, tum crassitie, tum proprietate quadam occultâ, qua organis vitalibus insidiãtur, inspiratione attracti pulmonum motum & anhelitum spiritumq́; vitalem detinent, ejusq́; cum sanguine arterioso permistionem, ùt & hujus in pulmone generationẽ, & simul utriusq́; per corpus distributionem impediunt: & quia spiritus à tam crassis corporibus ventilari, fuligines expelli, nec pulmones oppleti & à vaporum malitia quasi detenti liberè amplius moveri nequeunt, sublata respiratione & spiritibus cordeq́; suffocatis demum ægri celerrimè quidem & longè

citius

citius quàm in Apoplexiâ jugulantur. Obſervatum namque ſæpius, multos in ſcalis adhuc cellarum muſto plenarum verſantes, mortuos decidiſſe, & extemplò extinctos fuiſſe, aliosq; plures, qui illis ſubvenire voluerunt, in eodem loco & eodem ferè temporis articulo nonnunquam interiiſſe.

Quibus tamen omnibus & haſce exhalationes, cum à rebus narcoticis eleventur, narcoticam quoque vim habere, easq; cerebrum ſopire ſtupidumq; reddere poſſe, non nego. Verùm cùm id tàm citò fieri nequeat nec ſtupor vel carus, imò ipſa quoque Apoplexia, ſi omninò ab his excitaretur, adeo repentè promiſcuè cunctos homines, aliàs ſanos, robuſtos & optimè valentes, occidere valeat, potiùs illas organa vitalia afficiendo, corq; ſuffocando, quàm animales functiones abolendo, cerebrumq; lædendo mortem ſubitaneam accelerare, quis non videt?

Nec à vero alienum eſt, in novo illo affectu, quem ſuprà mentis conſternationem à ſpirituum infectione & turbatione appellavimus, tam cor quàm cerebrum affligi, & utriusque ſpiritus inquinari & commoveri. Teſtaturq; id non ſolùm ſenſuum læſio, ſed & faciei coloris mutatio, anguſtia

cordis, pulsûsq; in hisce mira variatio. Imò cum flatus ex humoribus sæpe malignitatem quandam in hypochondriis nactis ascendant, ipsiq; ejusdem qualitatis participes sint, per arterias delati, antequam caput petant, cor primò perversâ suâ qualitate affligunt, spiritusq; vitales lædunt; hinc ulterius ad cerebrum ducti & illud afficiunt, sensoriorumq; actiones impediunt; & quidē pro naturâ vaporis, ejusq; malignitatis conditione in hoc affectu, nunc cor nunc cerebrum magis affligi, & utriusq; sæpè vitio functiones cerebri turbari aut consternari, vel alias quoque corporis actiones lædi observamus.

## CAPUT XXVII.

### *De Caussis Apoplexiæ Procatarcticis & Remotioribus.*

PRæter hasce caussas, vim occludendi & obturandi meatus vasorum cerebri obtinentes, & aliæ remotiores dantur, quæ ad duo genera revocari possunt: Quædam enim earum crassos humores Apoplexiam efficientes, *movent & proritant*, quædam verò eosdem *generant ac producunt*. Hîc solùm de caussis moventibus & procatar-

cticis agemus; in capite verò sequente alias quæ humores producunt contemplaturi sumus.

Movere autem & proritare collectum in capite humorem possunt I. *Aeris constitutio* vel calidior vel frigidior. Illa, quia liquat humores, eosq; ad motum & fluxum idoneos efficit. Ita facit *Forestus observ.70.lib.10.fol.*403. mentionem puellæ cujusdam, quæ ex lotione capitis intempestivâ ob fusionem humorum in Apoplexiam incidit. Hæc, quia cerebrum constringit, & condensando humores ex eo quasi exprimit, quemadmodum passim apud Practicos exempla extant eorum, qui in frigido aere versati in Apoplexiam inciderunt.

*Aeris constitutio.*

II. *Tempus vernum*, non quidem per se, sed quatenus mutatâ cœli constitutione tum in corpore humores commoventur, funduntur, & ex uno membro, naturâ sæpe non rectè operante, in aliud transmittuntur. Sic instante æquinoctio verno multos homines Attonitos reddi, *Hollerius & Forestus* annotarunt, idq; experientia indies satis superq; testatur.

*Tempus vernum.*

III. *Radii lunares*: Vidimus enim, inquit *Alexander Benedictus l.1. cap.*33. de curat: morb: dum in Creta essemus, quosdam, qui, nocte lunæ radiis expositi, manè siderati fuerunt. *Et Macrob:*

*Radii lunares.*

*Saturn: lib.7. cap.* 16. idem obſervavit, putatque hanc cauſſam eſſe, quòd *Diana*, quæ luna eſt, ἄρτεμις quaſi ἀερότεμις, hoc eſt *aerem ſecans*, attenuans, humoresq́; fundens, dicatur.

*Exhalationes thermarum.*

IV. *Exhalationes nonnullarum thermarum*, præcipuè *Loſsinenſium*, quæ à proprietate quaſi humores cerebri movere dicuntur. Ita de ſeipſo fatetur *Thomas Jordanus in tractatu de aquis Medicatis Moraviæ* pag.9. quòd aliquando harum thermarum pelluciditatem fixis oculis aſpiciens, vertigine correptus ſtupidusq; factus in terram conciderit, parumq; abfuerit, quin totus attonitus redditus fuerit.

*Affectus animi.*

V. *Affectus animi*: Quantam enim & hi humores ſpiritusq; corporis noſtri commovendi, immutandi & agitandi vim habeant, nulli non notum. Sic ex *gaudio nimio* cerebri humores commovente quandam mulierem apoplexiâ correptã fuiſſe, à viris fide dignis mihi relatum fuit. Ex *ira, terrore & ſubitâ animi conſternatione* plurimos ſideratos fieri, experientia quotidie demonſtrat. Teſtimonium etiam hac in re nobis *Foreſtus* perhibet, quando *l.* 10. *obſerv.* 70, *fol.* 403. ſcribit: Ego multos vidi ex vehementi irâ & animi perculſione Apoplexiam incurriſſe. *Et Benivenius* ſcribit, ſe

vidiſſe

vidisse terrore quendam subitò Apoplecticum factum.

VI. *Contusio capitis ob ictum, casum*, vel alias similes externas caussas, à quibus non minùs, quàm internis, humores sæpè moventur, & ad fluxum concitantur. Sic ex *ictu teli* supra caput quosdam Sideratos evasisse notavit *Forestus*. Ex *ictu supra oculum* quendam Attonitum factum, deprehendit *Fernelius lib.2. de Abdit: cap*.15. Ex *alapa* juvenem quendam protinùs Apoplexiâ mortuum fuisse, vidit *Benivenius*. Et *Hercules Saxon: in prælect: Pract. fol*.85. tradit, Procuratorem Venetiis à Nobili percussum, illico ob colaphum sideratum cecidisse. Ejusmodi exempla plura qui scire desiderat, consulat *Valleriolam* lib.3. Enarrat: Medicar: *Horatium Augenium* lib.9. Epist. 11. & alios. *Contusio capitis.*

VII. *Terræ motus, soniq́; vehementiores.* Nam cùm valdè ob terrorem subitamq; consternationem homines percellant, spiritusque & humores turbent ac commoveant, non mirum, & ea aliquando Apoplexiam excitare posse. Ita refert *Beroaldus lib. de terræ motu*; virum quendam, cui *Fulco Argelato* nomen erat, ex horrendo terræ motu consternatum & attonitum in terram *Terræ motus.*

concidisse. *Et Amatus Lusitanus* Cent. 3. curat: 22. scribit, infantem ictu bombardæ turbatum Apoplexiâ correptum, & paulò post extinctum fuisse.

*Fulmen.* VIII. *Fulmen*: Etenim & hujus potentia tanta est, ut humores cerebri commovere, hominesq; attonitos reddere valeat. Observavit *id Benivenius de abdit. cap.* 23. qui patrem & filium uno & eodem momento à fulmine tactos Apoplecticos evasisse, iterumq; integrè sanatos fuisse refert. *Et Joan: Bapt: Cardanus libell. de fulgure cap.* 2. quemadmodum & *Brasavola comm:* ad lib. 1. Hippocrat: de ratione victus in acutis tradit, se vidisse multos à fulmine tactos sideratos redditos, tandemq; mortuos fuisse.

*Venus.* IX. *Venus nimia*: quæ cum non solùm humores commoveat, sed & corpus variè lædat, cerebrumq; non parum debilitet, etiam Apoplexiam producere apta nata est. Sic legimus apud *Platerum* & alios Medicos, multos in ipso congressu Apoplecticos factos, subitoq; extinctos fuisse.

*Calcis & carbonum fumi.* X. *Calcis & carbonum fumi*: de quibus in præcedente capite actum fuit. Caveant itaque sibi ab his omnes, qui Apoplexiam metuunt, nam inprimis, maximè hyberno tempore, quando ca-

put multis crassis humoribus scatet, illud malum excitare valent.

XI. *Vapores ex Mercurio*: quos etiam Apoplexiam producere *Langius* Lib. 1. Epist. 43. annotavit. Item aliarum rerum cerebrum afficientium, ut fornacum non ita pridem exstructarum & similium exhalationes. Refert enim Guilhelmus Fabricius Cent. 4. Observ. 11. pag. 28. Senatorem Lausanensem, cum fornacē novam in cubiculo ædificandam curasset, & in eo, dum fornax exsiccaretur, dormiret, lethargicum factum paulòq; post extinctum fuisse. *Vapores Mercurii & fornacum.*

XII. Huc etiam pertinent *nimia vini ingurgitatio, agitatio corporis vehementior, motus capitis inordinati, convolutionis in gyrum*, & aliæ ejusmodi corporis motus inconvenientes, quæ commotis cerebri humoribus non rarò huic malo ansam præbuerunt. *Motus corporis inordinati, crapula.*

## CAPUT XXVIII.

### *De caussis humores Apoplexiam immediatè efficientes generantibus ac producentibus.*

APoplexiam utplurimùm inducere pituitosa excrementa cerebri, rariùs autem melan-

cho-

choliam, ſanguinem, vel ſeroſos humores, ſuprà aſſertum fuit. De cauſsis ſolùm, quæ hoſce humores producunt, paucis hîc agemus, præcipuè cum Medici pasſim eas enumerare ſoleant.

*Pituitam generantia.*

Et quod *pituitoſos humores*, qui in generatione Apoplexiæ primum locum habent, attinet, eos multiplicant capitis imbecillitas nativa ſeu hæreditaria, vel aliunde contracta, nutrimentum non rectè asſimilans, neque etiam excrementa expellens; alimenta humida & craſſa concoctu difficilia, præſertim nimiâ quantitate ingeſta; potus largior & intempeſtivè ingeſtus; ventriculi & epatis conſtitutiones frigidiores & imbecilliores cibos & chymum non rectè elaborare valentes; regio frigida & humida; aer auſtrinus nebuloſus & humidus; ſomnus immoderatior; otium & vita ſedentaria; crapula, & quæ hujus generis ſunt alia.

*Melancholiam producentia.*

*Melancholiam producunt* vitæ conditio triſtis, laborioſa; corporis conſtitutio melancholica; alimenta craſſa & terrea ut ſunt caſeus vetus legumina; Item carnes fumo induratæ &c; regio & cœli ſtatus frigidus & ſiccus; conſuetæ melancholiæ per uterum & hæmorrhoides evacuationes ſuppreſſæ.

Sangui

*Sanguinem multiplicant* constitutio ventriculi, jecoris & venarum optima; cibi evchymi; legitima corporis exercitatio; somnus mediocris; victus plenior; vita sine curis; suppressa sanguinis quædam evacuatio &c. de cujus ut & aliorum humorum generatione pleniùs alibi à me actum fuit.

*Sanguinem multiplicātia.*

## Caput XXIX.

### *Quid Paracelsistæ de generatione Apoplexiæ sentiant.*

SED antequam hîc ulterius progrediar, non possum non Paracelsistarum de ortu Apoplexiæ sententiam perstringere, & paucis explicare, quàm ridiculè hi de morbi hujus caussis & generatione Philosophari soleant.

Et quod ad *Paracelsum ipsum, hic lib.7. Paragr. cap.*1. §.1. Apoplexiam dicit esse *guttam*, & guttam vocat *Synoviam* partis, guttamq; seu Apoplexiam ex separatione Synoviæ à sua parte generari statuit. Quid autem Synovia sit, nec ipse nec alii uno & eodem modo semper exponunt. Nam aliquando synoviam, fatente etiam *Severino in ideâ Medicinæ*, putat esse *ichorem ex vulneratis articulis promanantem* & exstillantem, quem imperiti bar-

*Paracelsi de Apoplexia sententia.*

Synovia quid sit.

bitonsores das Glidwasser vocant, de quo pluribus agit Doctiss: Medicus *Thomas Erastus in disputat: Antiparac: part:4. pag. 271. & Johann. Langius Epistol. lib.1. pag. 5. & 20.* Quæ significatio synoviæ hîc locum habere non potest: nam hujus synoviæ separationem nemo, nisi amens, Apoplexiæ caussam constitueret.

Nonnunquam Paracelsus per synoviam intelligit *locum membri, in quo nutrimenta decoquuntur, seu stomachum* (ita enim Paracelsistæ, nescio quâ licentiâ, omnes cavitates membrorum appellant) illius partis. At neq; hæc synoviæ acceptio locum hîc habere potest. Aliud enim est de loco & parte affectâ loqui, aliud caussam morbi explicare. Et quid est illa inseparabilis separatio loci, quam ad generationem Apoplexiæ conferre dicit? Ego non intelligo, quid sibi hæc velint, nec credo alium facilè ea percepturum.

Sæpè Paracelsus, sicuti etiam citato in loco facit, synoviam definit *virtutem retentricem, attractivam, digestivam, motivam, expulsivam & sensitivam:* & hujus defectum Motus privationem & insensibilitatem facere narrat, virtutem enim esse in synovia, non in parte. Et paulò post inquit, morbum esse à *sequestratione, quando synovia*

*à partibus separatur*: in synovia enim vult sensum & vitam esse, & vitam omnium partium in hac sequestrata & separata amitti; item phthisin partis oriri, hancque corrumpi. Unde postea alii definiverunt synoviam materiam radicalem; sal dulce resolutum; cremorem dulcem; liquorem & essentiam vitæ; lac virgineum partes irrorans; cœlum intimum; Spiritum vitæ; Naturam balsamicam. Sed quàm benè hæc concordent, vel cæcus videre posset. Paracelsus vult, synoviam esse ipsam virtutem retentivam sensitivam, eamq; ab omni corpore sejungi: alii verò eam per materiam, & materiale compositum explicant, dulcemq; humorem nominant. Condonandum autem quid istis hominibus, cum non omnes terminos philosophicos rectè distinguere valeant.

Vellem autem Paracelsus exponeret, per virtutem partium quid intelligeret, an facultatem animæ, an ejus operationes, aut aliud quid. *Si facultatem*, falsum est, eam separari in Apoplexiâ integre â parte: illa enim sequestratio non morbus esset, sed ipsa mors; *si actiones*, quæ à facultate fluunt, & virtutes nonnunquam dici solent, principium petit, nec caussam Apoplexiæ ullam præfert.

*Facultates non separantur à partibus.*

Deberet enim harum functionum seu virtutum abolitionis caussas ostendere, non verò demonstrare, in Apoplexiâ synoviam seu actiones à partibus separari, vel ut rectiùs dicam, *in iis aboleri*, quod & rusticis notum.

Forsan per synoviam intelligit *calidum insitum*, quia eam nunc *materiam radicalem*, *lac virgineum*, *balsamicam naturam* &c. nominat. At tum falsissimum, in sideratione à corde, cerebro, epate, pulmonibus &c. id separari: hoc enim si fieret, nullus Apoplecticus restitueretur. Corrupto enim & separato calido insito à partibus, nulla earum idoneum animæ hospitium ampliùs præbere potest.

*Scheunemanni opinio.*

Paracelso ferè ineptior est *Henningus Scheunemannus*, qui in Medicinâ suâ reformatâ (si Diis placet) attoniti morbi caussas exponens, eum à Mercurio Cremoso (quatuor enim pag. 15. species Mercurii constituit: Mercurium *Pneumosum*, *Cremosum*, *Sublimatum* & *Præcipitatum*, quem postea destillatum etiam nominat, arcamq; vitæ nostræ definit, ignis ætherei pabulum ac nutrimentum verum, lac virgineum, humidum radicale, primigenium primum, maximum generationis subjectum, cremorem dulcem, rarum, permeabilem,

mucilaginoſum, ſuo madore & rore corporis noſtri partes irrorantem madefacientem ac reficientem &c.) deducit: Et pag. 27. ex *Paracelſo* cum fulgure confert. Experientiâ enim inquit comprobatum eſſe, fulmen non eodem modo omnem materiã petere ac vexare; ſed ſacculis illæſis & nullo modo combuſtis nummos conflare: illæsâ vaginâ enſem liquare: integrâ cute & carne, interdum nulla ignis aut ictûs notâ exterius apparente, oſſa comminuere. Simili modo poſtea concludit, & Mercurium hunc deſtillatum in unam maſſam cogere, ac colliquare cerebrum, & pulmones, non aliter ac ſi cera eſſent, ferire, percutere, inflammare atq; exurere; muſculos verò & cæteras molliores partes non lædere, linguæ loquelam activo ſuo halitu exurere, carnoſamque ejus ſubſtantiam intactam relinquere. Atque ex partium internarum fuſione, læſione, colliquatione poſtea omnia Apoplecticorum ſymptomata deducit.

Verùm enimverò, ſi quis operâ & otio abuti vellet, ſingula hæc Scheunemanni abſurda pluribus examinare poſſet. Cùm autem jam olim fuerit dubitatum à ſapientibus, uter ſit abſurdior, qui ridicula & abſurda proponit, an qui ea longiore oratione impugnat. In iis refutandis non multum la-

borabimus. Tam fatua & insulsa sunt omnia hæc, quæ jam allata fuerunt, ut seipsa satis superq; refutent. Dat sine mente sonum Scheuneman, &, quæ effutit, ipse non intelligit: Sint aliis, qui meliora non intelligunt, hæc omnia oracula. Nos pro absurdis & ridiculis habemus, atque ex saniore Philosophia aliud facilè demonstrare possumus.

*Cor in Apoplecticis non exuritur.*

Atq; ut unum & alterum de his, quæ jam proposita fuerunt, salte attingam, quis unquam in dissectionibus corporum Apoplexiâ de mortuorum observavit, cor exustum fuisse, aliaq; in membris accidisse, quæ sibi imaginatur Scheunemannus? Quis pulmones colliquatos instar ceræ congelari, aut partes exuri vidit? Nec quid dicam de hoc, quòd ita ubique secum Scheuneman pugnet, ut legentes ejus verba oppugnatore alio vix opus habeant. Primò enim Mercurium hunc cremosum arcam vitæ nostræ appellat, humidum radicale seu primigenium primum, & maximum generationis subjectum; postea autem dicit, eundem specie Mercurium colliquare partes, easq; instar fulminis exurere. Ego tali arcæ vitam meam non committerem, neq; huic Mercurio ceu primo generationis subjecto corpus meum conservandum concrederem. Destructor est sui domicilii non conservator,

si suam etiam nativam indolem retinens, partes, quas conservare deberet, colliquat, & vario modo corrumpit.

*Deinde* hunc Mercurium cremosum mucilaginosum, simul tamē rarum & permeabilē constituere, est ferrū ligneum vocare: Cremosum n. seu mucilaginosum quod est, rarū propriè dici nō potest.

*Tertiò* dicit, eundem Mercurium cremosum cerebrum & pulmones colliquare, & in unam massam cogere, congelare, simulq; exurere. Si colliquat & dissolvit partes, dic mihi, quomodo eas congelare possit. Vel si congelat membra, expone, quomodo eadem exurere valeat?

Et quales hæ sunt ineptiæ, Mercurium hunc destillatum linguæ loquelam exurere, carnosam verò ejus substantiam intactam relinquere? Estne loquela corpus inflammabile, quod exuri, flammamq; more aliorum corporū per se existentium concipere potest? Fabulantur nonnulli, in regionib. septentrionalibus intensissimum dari frigus, prolata verba subitò cōgelans, ut ab astante, quavis nō audiantur, legi tamē possint. Forsan Scheunemannus talia verba intelligit per loquelam, quando eam à Mercurio exuri putat: alias, quid sibi velit per exustionem loquelæ, non percipio: Davus enim sum, non Oedipus.

*Loquela non est corpus inflammabile.*

CAPUT

## CAPUT XXX.

### *Num aliquando in Apoplexiâ respiratio ita ad sensum tollatur, ut ad eam cognoscendam certis quibusdam signis opus sit.*

HIsce ita missis, & ad alium locum convenientiorem reservatis pergo ad explicationem signorum tum Morbi, tum caussarum, tum etiam eorum, quæ bonum vel malum eventum prænunciant, & prognostica dicuntur. Cùm autem de Morbi signis, quæ diagnostica appellari solent, superiùs ob certas caussas, nempe ut mox in principio hujus tractatus notum fieret, de quo affectu nobis hoc in loco potissimum sermo sit, hicq; ex suis signis ab aliis morbis rectiùs destingui posset, actum fuerit, demonstratumq;, Apoplecticos ceu fulmine tactos illicò concidere, sensuq; & motu privari, nihil videre, audire, nec punctos sentire aut vocatos quicquam respondere, sed solam respirationem, & quidem sæpius valdè, cum gravissimo stertore, depravatam, pulsumq; aliquando remanere, hoc in loco de iis nihil amplius addemus, sed saltem dubium hoc, quod movetur à nonnullis, explicabimus, nempè *An in omni Apoplexiâ re-*

*Cur autor supra de Signis Diagnosticis egerit.*

*ſpiratio ita manifeſtò tollatur, ut, hominem vivere, nonniſi ex certis ſignis, cognoſci poßit.*

Galenus quatuor Apoplexiæ ſpecies conſtituit. *Prima* eſt, quando ægri reſpirant adhuc cum aliquo ordine: quam inter omnes ſpecies mitisſimam nominat. *Altera* eſt, in qua ægri inæqualiter reſpirant, & cum interpoſitione, ita ut per intervalla ſpiritum ducant: hanc priore longè vehementiorem conſtituit. *Tertia* eſt ea, in qua ægri quidem reſpirant, ſed cum magna violentia: hanc dicit valdè pernitioſam eſſe. *Quarta* omnium acutiſsima, periculoſiſsima & maximè lethalis eſt, in qua dicit, cum motu & ſenſu reſpirationem quoque perdi atq; amitti. Vides ergo concedere Galenum, Apoplexiam dari absq; manifeſta reſpiratione.

*Differentiæ Apoplexiæ, à Galeno allatæ.*

Galenum ſequuntur Medici ferè omnes, ſtatuentes Apoplecticos nonnullos præter motum & ſenſum manifeſtâ quoque reſpiratione privari, ita ut ſæpius æger, num vivat vel mortuus ſit, ambigatur: hinc & de Apoplexiæ curatione quando agunt, pasſim ſigna tradunt, quibus explorari poſsit, an æger adhuc reſpiret, vivatq;. Sumunt enim *Speculum nitidum* ac lucidum, idq; ori ægrotantis adhibent, quod ſi inficiatur, ægrum adhuc

*Quibus indiciis an æger adhuc vivat, explorari poßit.*

vivere, ſin minùs, mortuum eſſe colligunt. Vel ſumunt *poculum* aut etiam *vitrum* aquâ plenum, idq; thoraci imponunt: ſi aqua in eo movetur, vitam adhuc ſupereſſe, ſi verò immobilis permaneat & nullo modo agitetur, hominem extinctum eſſe concludunt. Alii etiam *gosſipium aut lanam* carminatam, *plumam aut candelam* ægrotantis ori naribusq; applicant, & ex motu eorum, an vivat adhucnec ne, explorant. Hæcq; ſigna in omnium ferè Practicorum libris reperiuntur, eo fine adducta, ut Apoplectici, inſtar mortuorum nonnunquam jacentes, à verè mortuis diſtingui queant.

Verùm hiſce omnibus ſeſe *Mercatus* opponit, ſibi mirum videri *tom.* 3. *c.* 13. *fol.* 51. ſcribens, quòd nonnulli affirmare audeant, Apoplecticos omni reſpiratione deſtitui, cum reſpirare & vivere ad invicem ſeſe habeant, & animal tam diu vivat, quàm diu reſpiret, & vice versâ reſpiret, uſq; dum vivat, fruſtraq; cenſet in ullo Apoplectico non reſpirante curationem inſtitui: Imò miram Naturæ ſagacisſimæ providentiam ſatis deprædicare non poteſt, quòd nempè, etiamſi ea cunctis animalibus actionibus caſu quodam privetur; in tantùm tamen de reſpiratione laboret, & eam uſq; ad ultimum inſtans & poſſe ſervare conetur.

Quan-

Quanquam enim, inquit, in Apoplecticis nullum vestigium motûs ne quidem in aliis membris appareat; Natura tamen præcavens animalis interitum, certas quasdam fibras, à conjugatione nervorum quintâ ortas, incolumes adservat, & per eas pusillam vim à cerebro derivat, quæ, licèt cæteris membris movendis non sufficiat, sufficit tamen respirationi, quam quivis facultatis influxus servare potest.

Et postquam aliorum Practicorum more signa, vitam aut mortem in Apoplecticis ostendentia explicavit, *fol.53.scribit*, se ea potiùs adduxisse, ut aliorum Medicorum placita sequatur, quàm ut opinetur, in Apoplexiâ respirationem aliquando penitus ita aboleri, ut ad eam cognoscendam certis indiciis opus sit: cùm nullum certius signum vitæ & mortis, bonum vel malum eventum præsagiens desumi posit, quàm ex majori minorive respirandi difficultate. Si enim laboranti omninò intercipiatur respiratio, ita ut ad sensum thorax non moveatur, eum derepentè strangulari statuit.

Verùm distinguendum hîc inter *respirationem manifestā* & obscurā aut etiā *insensibilem transpira-* *Respiratio duplex.*

*tionem*, quæ occulta quasi & insensibilis respiratio vocatur: quia & per eam cor aliquo modo ventilari, attractusque aer cordi communicari potest. Verum est, & à nobis negari nequit, respirationem ad vitam esse necessariam, hominemq; tam diu, quàm vivit, respirare: at ea respiratio non semper sensilis & manifesta est, sed sæpè ita occulta & insẽsibilis, ut manifestò, thoracem attolli, deprehendi nequeat, sicut exempla præfocatarum abundè testantur, quæ sæpe absq; manifesta respiratione aliquandiu vivunt. Remanere igitur & non remanere potest in Apoplecticis respiratio: non remãet sæpe manifesta; perdurat autem usq; ad finem occulta, in qua cor quidem cum pulmone aliquantulum naturali suo motu moventur; non autem huic motui thoracis elevatio & agitatio multum succurrit. Et hanc occultam respirationem ut cognoscere queamus, nonnulla signa à Medicis Practicis proponi solent.

*Præfocatæ sæpe non manifestò respirant.*

An autem & hæc in Apoplecticis locum habeant, & an Attoniti aliquando citra manifestam respirationem vivere possint, non est quòd adeò dubitemus, cùm id experientia aliquoties docuerit, quicquid etiam *Mercatus* & alii (nam de hac ipsa quæstione acerrimè inter se *Horatius Angenius*

*An Apoplectici citra manifestam respirationem vivere possint.*

&

& *Alexander Maſſaria* etiam diſputant) hac de re dicant. Rarò quidem id accidere libenter concedo: tamen aliquando contingere, & reſpirationem in nonnullis, iis præſertim, qui cor ſpiritusq́; adeò calidos non habent, & magnâ refrigeratione minimè indigent, ita occultari poſſe, ut non à quovis manifeſtò percipiatur & cognoſcatur, penitus impoſſibile non eſt: ſiquidem data eſt reſpiratio manifeſta animalibus calidioribus, ut cordis calor ventiletur; hic autem ſi parvus ſit, ut ventilatione non adeò magnâ opus habeat, ſufficienter urgente neceſſitate, ad tempus aliquòd refici & attemperari poteſt per reſpirationem occultam, levemq́; pulmonum agitationem; quam tamen in Apoplecticis non ita, ut in præfocatis vel aliis, qui ſyncope afficiuntur, obſcurari facilè concedo.

*Objicis:* In Apoplecticis licèt aliquando tollatur reſpiratio manifeſta, *pulſum* tamen ſemper remanere, ac propterea ſignis ſupra poſitis minimè opus eſſe. Concedo, pulſum in Apoplexiâ certiſſimum vitæ indicium præbere, & ad eum primariò reſpiciendum eſſe: ſed cùm & hic aliquando obſcurus, ſit: nec adeò manifeſtò ſemper, etiam in ſanis & optimè valentibus nonnullis, quibus arteriæ multâ carne teguntur, deprehendi poſſit, (te-

*An pulſus ſemper maneat.*

*Reſponſ.*

ſtatur namque *Balduinus Ronſſæus in Epiſtol.* 11. *pag.* 14. Furnis in Flandriâ in viro quodam optimè valente nullum manifeſtum motum arteriarum unquam percipi potuiſſe) omninò tum neceſſe, ut ad ſuprà poſita ſigna, vitam aut mortem oſtendentia, Medici confugiant, &, num anima adhuc corpori inſit, ægroq; auxiliatrices manus porrigi debeant, nec ne, explorent: cum hoc ſępè ipſis magnam gloriam pepererit, ſicut de Aſclepiade memoriæ traditum fuit.

*Admonitio ad Medicos.*

Monet autem, nec ſine cauſſa, *Amatus Luſitanus* Medicos omnes, ut curantes Apoplecticos in pulſus exploratione diligentes ſint, & famæ ſuæ conſulentes diligentisſimè motus arteriarum obſervent, cùm ſæpius valdè obſcuri, diligenter tamen inquirentibus, tandem innotuerint. Refertq; hiſtoriam de *Reginæ Iſabellæ Medico*, qui aliquando *Salmanticæ*, cùm ad quendam Apoplecticum vocaretur, pulſumq; non adeò debilem deprehenderet, ægrum non citò moriturum asſiſtentibus prædixit. Cùm autem veſperi eundem de more inviſum rediret, & è mulâ jam deſilierat, quidam ex illis, qui ægroto aſtabant, illi ad ſcalas obviam venit, ægrotum obiiſſe exponens. Hic verò hoc, ut rem novam, admiratus, dictis fidem non

adhibuit, sed judicio suo magis confisus, ut qui non multis antea horis hominis ægrotantis vires exploraverat, ex quibus certus erat, eum non ita de facili moriturum, ad ægrotum ut generosus & magnanimus Medicus pervenire non dubitavit; quem primo aspectu panno contectum, & Franciscana veste indutum offendens, non nisi variis monachis circumstantibus eum detegit, ejusque in carpi regione arteriarum motiones explorans, eas vigere adhuc (quod alii deprehendere non poterant) observavit. Proinde eum ad cubile reverti fecit, & præsidiis idoneis adhibitis, tandem integrè restituit. Quæ omnia in curatione Apoplexiæ notare utilissima sunt, ne Medicus circa ejusmodi ægros versans, vivos adhuc pro mortuis aliquando derelinquat, sicq; sibi & arti maculam aspergat.

## CAPUT XXXI.

### *Quando Apoplexia extincti sepeliendi sint.*

Tutissimũ proinde est, tales Apoplecticos, sicut & præfocatas, aliosq; ex acutis morbis subitò

bitò ac repentè mortuos, non ſepelire, niſi poſt triduum, elapſis ſcilicet ſeptuaginta duabus horis. Poteſt enim reſpiratio manifeſta tam diu occultari in his, qui cordis ventilatione non adeò magnâ opus habent. Et obſervatum, multos hoc tempore ferè elapſo ad ſe rediiſſe, ac revixiſſe, diuq; adhuc ſuperſtites manſiſſe.

*Multi pro mortuis habiti ad ſe redierunt.*

In manibus habui, ſcribit *Foreſtus lib.* 10. *de cerebri morbis fol.* 418. cum praxin in Galliis exercerem, mulierem ex uteri ſuffocatione pro mortuâ habitam, in quâ viginti quatuor horis integris vita latebat, ut eam aſtantes mortuam putarent, quæ tamen per me, Dei omnipotentis auxilio, ſanitati reſtituta fuit.

*Alia hiſtoria.*

*Guilhelmus Fabricius Centur.* 2. *obſ. obſervat.* 95. *p.* 391. recenſet hiſtoriam de *Antonio Cormanno Bovio*, ruſtico Helvetię pagi Mienere, indigenâ, qui cũ, peſte correptus, gravi lypotymia detineretur, & ab omnibus pro mortuo haberetur, corpus illius, cognati ſicuti ibi moris eſt, linteamini involverunt, atq; inſuerunt. Advenientibus autem veſpillonibus, ut cadaver efferrent, cum illud non planè rigidum perciperent, novitatem rei mirati fuerunt, juſſuq; Paſtoris, qui ipſos comitabatur, lodicẽ circa faciem & pectus diſſuerunt, corpus calidis linteis fomentârunt, oriq; ſepeliendi guttulas ali-

aliquot vini malvatici instillârunt, sicq;, quem extinctum omnes putabant, paulatim ex sopore quasi profundo excitârunt: imò restituerunt, ut intra unius mensis spacium negotia sua rusticana iterum obire potuerit.

*Gaudotus* eidem *Fabricio retulit*, in Burgundia in oppido *Vertzel* quendam pro mortuo in templum deportatum fuisse, ut ibi humaretur. Cùm autem aliquis aquam benedictam in faciem ejus aspergeret, ipse expavescens quasi, oculos aperuit, & mox ad se rediit, pluresque annos supervixit. *Alia.*

*Divioduni* accidit in magnâ peste, cùm vespillones in sepeliendis mortuis tam occupati essent, ut cuilibet peculiare sepulchrum facere non possent, sed plura cadavera in communem foveam injicerent, ut mulier quædam nomine *Dame Nicole Lenlillet* pro mortuâ cum aliis efferretur, & in foveam istam conjiceretur. Quid fit? Hæc totam noctem sub aliis cadaveribus latens sub auroram ad se rediit, animumq; collegit. Cùm autem, ubi esset, nesciret, neq; propter debilitatem aliorum cadaverum sibi impositorum pondus amovere valeret, clamare cœpit, sed quia longè ab hominibus remotus erat locus, exaudiri à nemine potuit. *Alia.*

Tandem redeuntibus vespillonibus, ut alios in idem sepulchrum inferrent, iterum miserè clamavit, corpusq;, quantum quidem potuit, commovit. Hi strepitum cum voce exaudientes obstupefacti àttentiùs auscultant, &, vocem humanam esse percipientes, illicò fœminam illam effodiunt, eamq; reviviscere videntes domum suam apportant, ubi mox convaluit, & postea Divioduni per aliquot annos sana degit.

Nota quoq; omnibus verissima illa historia de Nobili matronâ Coloniensi *Reichmuth Adolch nomine*. Cùm enim ea pro mortuâ elata in cœmiterio Divorum Apostolorum sepelienda esset, maritus propter summum in defunctam amorem è digito ejus annulum, quem arrhæ loco ipsi dederat, detrahere noluit, sed corpus cum annulo isto armillisq; terræ mandare jussit. Sequente nocte vespillones sepulchrum cum lucernâ clam accedunt, &, quò fœminam illam annulo & armillis spolient, corpus effodiunt, loculumq; aperiunt. Eo ipso autem momento, quo mulieri manus injiciunt, hæc, quam pro mortuâ humârant, ad se redit & reviviscit. Quo viso, violatores sepulchri magno timore perculsi aufugiunt. Illa acceptâ lucernâ ædes mariti petit, à quo statim ex voce &

annu-

annulo recognita comiter excipitur, vivaq́; servatur, tresq́; deinceps adhuc progenuit filios, quos omnes ministerio Ecclesiastico consecravit ac destinavit.

*Johannes Jacobus Krafftius in Epistol. ad Clarissimum Chirurgum Fabricium scriptâ*, quæ habetur Centur. 2. Epistol. pag. 405. refert, Augustæ Vindelicorum matronam, pro mortuâ habitam, in tumbam cõcameratam sub templo ejus familiæ propriam super sessibulum positam fuisse, ostio ejus magno monumenti lapide occluso. Post annum unum atque alterum, cùm alius ex eadem familia moreretur inq́; eundem tumulum reponendus esset, aperto eo & revoluto lapide matrona supra gradus propè ostium mortua absque digitis invenitur. Exitum enim hinc inde quærendo hosce gradus quidem reperit, lapidem tamen dimovere, & clamando exaudiri non potuit, digitosq́; ad famem pellendam devoravit, sicq́; eo in loco occlusa miserè vitam suam finire coacta fuit.

Referam & hic quid nõ ita pridem in vicinia nostra acciderit: Vivit hîc VVitebergæ mulier nomine *Eva* Megers *Stephani* Sicharding: arcularii vidua, quæ cùm adhuc virgo esset, & ante triginta annos,

& quod amplius excurrit, in vicino oppido Uelzen/ in magna peste apud materteram, viduam *Eliæ* Zabers commoraretur; accidit, ut pestis hujus etiam viduæ domum invaderet, & aliquot personis in eâ jugulatis, demum etiam prædictam tum temporis virginem *Evam*, annum vigesimum tertium agentem, corriperet; imò ita affligeret, ut eam omnes pro mortua haberent, corpusq; ferali amiculo vestitum ex loco calido in frigidum deportarent, ibiq; stramine supposito ad horam sepulturæ conservarent, quæ secunda erat post meridiem, nam extincta credebatur post mediam noctem; aliàs horâ duodecimâ, pro more istius loci tum consueto sepulta fuisset. Quid fit, paulò ante adventum vespillonum post meridiem, pro mortuâ habita & jam loculo imponenda, sese movere incipit, caputq; erigit; imò surgere tentat. Vidua, quæ cum alia muliere adhuc in domo supererat, expavescit, & spectrũ esse rata, arrepto fuste ægrę jam resurgenti mortem parat, impedita autem ab astante muliere nihilominus istam in priorem locum summâ cum violentiâ trudit, seq; mox in hypocaustum foribus probè occlusis & munitis recipit: ægra ita malè tractata & in pristinum locum detrusa quasi ecstatica, sed cum manifesta jam respiratione de-

cumbit; & elapsis ab eo tempore (funus enim dilatum fuit) duodecim horis planè reviviſcit, & adhuc hîc VVitebergæ vivit, etsi pretium quod ſcholæ, Paſtoribus, & pro pulſu campanæ debetur, diu pro ea ſolutum ſit. Mira autem, quæ de ſplendore, in quo verſata ſit, narrat, & quid quaſi in cœlo viderit apud Chriſtum, cum quo tum temporis ſe locutum dicit, lubens omitto. Plures tales hiſtorias qui ſcire cupit, vid. loc. allegat. *Fabr: Cæſarem Baron*: tom. 6. cap. 214. theſaurum Antiquit: *Alexand. Bened. Paræum, Foreſt. Henric. Kornmann.* de miraculis mortuorum, & alios.

Atque ut in ſpecie, & Apoplecticos pro mortuis ad tumulum elatos fuiſſe, oſtendam, ea, *quæ Horatius Angenius* & *Amatus Luſitanus* hac de re annotarunt, hoc in loco paucis repetam. Teſtatur autem ille *tom. 2. Epiſt. lib.* XI. *Epiſt.* 40. *pag.* 434. ſe vidiſſe *Romæ* Anconitanum Patricium Apoplexiâ mortuum in Eccleſia *D. Mariæ* ſepultum fuiſſe: octavo autem die poſt ſepulchro iterum, ut alium ibi reponerent, aperto, inventum fuiſſe cadaver eversum, manibusq; ſimul ad caput & crines elevatis. Et hic *Amatus Luſitanus* Cent. 4. Curat. 23. recenſet ſimilem ferè hiſtoriam notatu maximè dignam. Nunc, inquit, occurrit, apud Ferrarienſes *Apoplectici nonnulli vivi elati.*

puellam quandam Apoplexiâ detentam fuisse, & ab omnibus Medicis pro mortuâ habitam. Cæterùm cùm mater puellam summoperè amaret, eam non ita facilè sepeliri permisit, & eò magis, quia ab aliis perceperat, quòd, qui subitò & repentè gravioribus morbis corripiuntur, & pro mortuis habentur, non sint facilè clero committendi. Demum mater puellam per triduum apud se, contra omnium opinionem, detineri fecit, & tertiò die puella quasi ex inferis sublata revixit, & adhuc hodie (ut audio) pulcerrimè vivit. Hæc Amatus.

Talia exempla cum passim obvia, *Geneva*, & aliis in locis Magistratus neminem sepeliri permittunt, nisi prius à perito quodam Medico, ad hoc opus conducto, cadaver inspectum exploratumque fuerit, hocce revera mortuum sit, nec ne. Et olim apud Judæos & alios populos testibus *Rhas. Levin, Lemnio, Horat. Angenio* fol. 414. & aliis, lege cautum erat, ne libitinarii & vespillones ullum Apoplecticum, comitialem, præfocatam vel alios subitò extinctos præproperè loculo includerent, eosque non nisi post triduum, elapsis *septuaginta duabus horis sepelirent*, cùm in illis nonnunquam delitescat anima, quæ rursus corpus spiritu vivifico imbuere queat.

Caussam

Caussam hujus rei, nempe quòd non nisi post triduum, & elapsis 72. horis Apoplectici & alii mortui sepeliendi sint, dat *Petrus Pictorius* sermon. convival. lib. 1. pag. 20. statuens, lunam in eâ temporis mensurâ unicum Zodiaci signum peragrare, & ad eundem gradum alterius signi pervenire, sicq; omnia in corpore commovere. *Petrus Aponensis* autem *Conciliator* dictus diff. 182. fol. 226. dicit, intra hoc spacium humores in corpore suas periodos & motus absolvere, sive sanguis, sive bilis, sive melancholia, sive pituita fuerint, & tum colorem in verè mortuis demum in perfectè cadaverosum mutari, humoresque putrescere, & jam cadaver fœtere incipere. Additq; insuper, quòd & *Paschalius lib.* 1. *cap.* 13. de curandis morbis, & alii asserunt, *Christum* Salvatorem nostrum Lazarum noluisse resuscitare, nisi exspectato fine motionis cujuslibet humoris, post quartum nempe diem, ubi corpus jam fœtebat, ne forsan Judæi hinc occasionem calumniandi sumerent & dicerent, *Lazarum* ad diem unum vel alterum Attonitum, saltem motu & sensu orbatum jacuisse; non verò verè mortuum, & anima privatum, sed viventem adhuc quasi excitatum fuisse.

*Cur non nisi post triduum Apoplectici sepeliendi sint.*

*Cur Christus Lazarum non nisi elapso triduo excitarit.*

## CAPUT XXXII.

### *De Signis Caussarum.*

*Pituitæ redundantis signa.*

PRogredimur ad Signa caussarum: & quidem à *pituitâ* malum originem traxisse arguunt color faciei albicans; oris humiditas; narium mucus; otium; pigritia; temperamentum corporis frigidum & humidum, &c: Patiens usus fuit alimentis frigidis ac glutinosis aliisq; crassum succum generantibus aliaq; præcesserunt, de quibus suprà cap. 27. actum fuit.

*Melancholiæ indicia.*

A *Melancholiâ* si ortum fuit malum, facies ex livido nigricat, in intestinis & hypochondriis flatus percipiuntur: Aeger tristis fuit & melancholicus; cibisq; usus fuit succum melancholicum procreantibus.

*Sanguinis nota.*

*Sanguinea* si fuerit Apoplexia, facies rubet, oculorum venæ tument: Aeger plethoricus existit, sanguinisq; evacuatio consueta suppressa fuit.

Si autem ex *ictu, casu & contusione* capitis ortum traxerit, signa per se satis nota sunt. Et cùm harum caussarum indicia ubique extent, pluribus de iis hoc in loco agere, supervacaneum duximus.

CAPUT

# CAPUT XXXIII.

## *De Signis Prognosticis, & primò qui homines facilè vel difficulter ab Apoplexiâ & corripiantur & ab eadem liberentur.*

ANtequam ad alia Signa Prognostica bonum vel malum eventum morbi declarantia progrediamur, explicabimus, quæ ætas, & qui homines facilè tam gravi malo obnoxii sint; item, qui Apoplectici facilè vel difficulter iterum restituantur.

Et primò facilè Apoplexiâ corripiuntur hi, quorum parentes & progenitores hoc morbo interierunt. Ut enim calculosi generant calculosos, & podagrici gignunt podagricos: ita Apoplecticos procréant liberos, qui facilè eodem affectu corripiuntur. Nec obstat, quòd ii priusquam generaverint filios non ejusmodi morbo correpti fuerint. Sufficit, quòd illam latentem in corpore ad morbum hunc dispositionem habuerunt, eandemq; & filiis communicarunt. *Vide Cratonem in* Consiliis Medicis *à Scholzio* collectis Cons. 37. fol. 97. & 98.

*Facilè fiunt Apoplectici.*

*1. Geniti ab Apoplecticis.*

*II. Senes & Catarrhosi.*

Deinde *senes decrepiti* & *catarrhosi*, vel alii etiam frigidum & humidum cerebrum obtinentes; vertiginosi, item ii, *quibus vasa cerebri angustiora*, aut constitutio eorum debilior fuerit, qui loca frigida & humida incolunt, & multum in diæta peccant, otio, crapulæ, somnoq; intempestivo immoderatiùs indulgent, præ aliis facilè Apoplectici fieri solent. Vide plura de his infra cap. 46.

*Mulieres nō ab Apoplexia immunes.*

*Mulieres* autem ab omni Apoplexia immunes esse, ut aliqui statuunt, falsum, & rationi & experientiæ contrarium: siquidem aliquoties & eas Apoplexiâ corripi observavi; & qui non corriperentur? Generant & hæ sæpe humores in capite crassos, qui Apoplexiam excitare valent, sæpèque excitant. Unde *Forestus observ.* 20. *lib. de cereb. morb. pagin.* 403. se multas mulieres in otio degentes Apoplexiâ tentatas vidisse scribit. Alios autores idem annotantes hîc non cito, cùm putem, neminem facilè reperiri, qui non & mulieres Apoplexiâ corripi aliquando observaverit.

*An senes Apoplectici facti evadant.*

Neque hoc simpliciter verum, quod *Aretæus* de curat. morb. acut. lib. 1. cap. 4. fol. 58. statuit, si æger senex sit, (quibus familiare id vitium) non liberari, sed morbi magnitudine & ætatis miseriâ oppressum statim & illicò mori. Testatur enim *Hercules*

*Saxon.*

*Saxon. prælect. cap.* 11. *fol.* 36. se vidisse mulieres & senes sexagenarios attonitos & tamen servatos. *Et Donat. ab Altom.* de *medendis humani corporis malis cap.* 19. *p.* 192. refert, se illustrem fœminam *Chrysostomam, Comitis de Aquino Ruborum* uxorem sexagenariam Apoplexiâ correptam adhibitis idoneis remediis perfectè restitutã & sanatam observasse. Plura ejusmodi exempla vide ap. *Forestum* & alios.

Alii volunt, *juvenes* Apoplecticos omnes confestim & repentè interire, nec ullum servari. Verùm neque hoc catholicum esse, experientia quotidiè testatur: etsi enim negandum non sit, hunc morbum naturæ juvenili multum contrarium, nec nisi à gravi & vehementissimâ caussâ produci posse: tamen cùm natura eorum fortior, nec ut in senibus debilitata validè caussæ morbificæ resistat, non rarò & eos, imò faciliùs quàm senes servari deprehendimus. *An juvenes sanari possint.*

*Francisc. Valesius Com. in lib.* 5. *Epidem. fol.* 463. omnes Apoplexias vehementiores esse arbitratur, quæ vigilantes, quàm quæ dormientes apprehendunt, tutioresq; esse & faciliùs sanari dicit nocturnas quàm diurnas. Sed neque hujus rei caussa facilè explicari poterit: probantque exempla passim obvia, nocturnas Apoplexias, si non vehe- *An nocturnæ Apoplexiæ mitiores diurnis.*

mentiores, æquè tamen vehementes ac perniciosas esse, quàm diurnas. Quàm multi enim in lecto hoc malo correpti illicò ac repentè obierunt, ut & accubantes id non persenserint?

*Melancholici cur facilè fiant Apoplectici.*

*Melancholici* autem cur facilè, teste Hippocrate, fiant Apoplectici, caussa non est tam humor melancholicus copiosus solus in cerebro collectus, quàm vapores ejus tetri, qui cerebrum affligentes tandem id debilitant, & ejus coctionem ita lædunt, ut suum alimentum minùs rectè sibi assimilare valeat, sed plurima crassa excrementa producat, quæ non expurgata, sed collecta, vel per se, vel cum humore melancholico mixta, si fortè in cerebri meatus sinusq; ruant, Apoplexiam inducunt.

Idem Hippocrates sect. 6. Aphorism. 57. homines nec ante quadragesimum, nec post sexagesimum annum apoplecticos fieri statuit. Verùm & hoc à veritate alienissimum esse, exempla ubiq; obvia satis superq; demonstrant. Ipse enim aliquoties & juvenes, imò & pueros, & senes septuagenarios ejusmodi malo corripi & mori vidi. Ita ut hic aphorismus ex iis sit, qui sæpius, non tamen semper ita eveniunt.

## CAPUT XXXIV.

### *De Signis bonum vel malum eventum denunciantibus.*

SIgna Apoplexiæ Prognoſtica, bonum vel malum eventum denunciantia, ſumuntur ex affectus magnitudine, ſymptomatumq́; , quæ ei conjunguntur, vehementiâ. Et quidem optimè ſperandum eſt, ſi reſpiratio non ſit valdè inordinata, nec nimis violenta: ſi ex oculis ægrotantium lachrymæ exeant benè coloratæ; ſi æger adhibitis ptarmicis ſternutet: ſi morbus in paralyſin degenerare incipiat. Quæ ſigna licèt quidem pro bonis habeantur, non tamen temerè ipſis fidendum, vel aliquid certi ex iis prædicendum: Aliquando enim fallunt, & multi, præſentibus etiam hiſce ſignis omnibus, ex inſperatò ſæpe moriuntur. Quiq; etiam paralytici facti, non extra periculum verſantur, cum nonnunquam recidivam patiantur, morbusq́; recurrat. Quocirca hiſce ſignis apparentibus omnibus, benè quidem ſperare poteſt Medicus, non verò temerè ſalutem polliceri. *Signa bonum eventum denotantia.*

Malum autem eventum morbum habiturum oſtendunt, ſi reſpiratio valdè inordinata, vel ita imminuta, ut vix ſentiatur: ſi ſudor circa fron- *Malum eventum denunciantia.*

tem & cervicem ex impenſo labore naturæ, ad moliendam reſpirationem, erumpat: ſi oculorum album nimis conſpicuum ſit: ſi alvus ſpontè fluat, & absque alleviatione multùm dejiciat: ſi poſt ſanguinis misſionem neq; mens neq; motus redeat: ſi ſternutantibus adhibitis æger non ſternutet: ſi circa os multa ſpuma hæreat: ſi ſtertor magnus adſit, & poſt eum anhelitus deſinat, ita ut thoracis motus ad ſenſum vix appareat; illa enim Apoplexia fortisſima eſt, quâ qui corripiuntur, raro evadunt, ſecundùm Hippocratem, qui lib. 2. aphoriſm. 42. ſcribit: *ſolvere morbum, quem Apoplexiam vocant fortem, impoſſibile eſſe, debilem verò non facile.*

*Notha Apoplexia ſemper lethalis.*

Apoplexia *notha*, quæ ex diffluxu & collapſu cerebri originem habet, *ſemper lethalis.* Cùm enim tam nobile & principale membrum corporis ita læſum rurſus ad ſanitatem reduci nequeat; quid mirum, quòd eo planè deſtructo protinus mors ſubſequatur.

In ſummâ, *nulla Apoplexia periculo caret*: quia utplurimùm occidit, &, ſi hominem non jugulat, ad minimum poſt ſe paralyſin, vel alium quendam morbum periculoſum relinquit, cerebrúmq; valdè debilitat. Unde, notante etiam *Foreſto*, omnes Apoplectici, etiam à morbo prorſus li-

berati, de facili tamen & levi de caussa lachrymas profundunt.

Nec, qui semel à tam gravi affectu liberati, postmodum penitùs ab eo immunes sunt. Etenim non rarò morbus redit, & reversus plerumque ægros jugulat. Quare idem *Forestus*, homines secundâ aut ad summum tertiâ vice Attonitos factos rarissimè convalescere, sed utplurimum omnes interire se observâsse refert.

## CAPUT XXXV.

### *An spuma in Apoplecticis certum mortis indicium præbeat.*

AFfirmat id Hippocrates lib. 2. Aphorism. 43. ubi inquit: τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων, μηδέπω δὲ τεθνηκότων, οὐκ ἀναφέρουσιν, οἷσι ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα: *Strangulati ac dissoluti, nondum tamen mortui, non referuntur, quibus circa os spuma fuerit &c.* Cui *Conciliator* & alii, imò ipse quoque Galenus in Comm: contradicunt, demonstrantes, multos Apoplecticos, quibus spuma circa os apparuit, integrè curatos fuisse.

*Mercurialis de curat. Apoplex. fol.* 11. ut Hippocratis aphorismum ad bonum sensum trahat, dicit, non referri, seu non restitui Apoplecticos, quibus circa os spuma apparuit, duplici modo intelligi posse: vel *quòd nunquam redeant ad integram sanitatem*; vel quod *non redeant ad vitam seu sanitatem quamcunque*. Quibus circa os spuma apparet, inquit, illi non redeunt ad sanitatem, id est *perfectam*; quia nunquam queunt integrè curari; sed manent paralytici: redeunt autem ad sanitatem, quatenus servantur; & vindicantur ab interitu. Idem ergo, secundum Hippocratis sententiam, putat esse redire ad sanitatem, ac integrè & perfectè sanari. Quam interpretationem an verba Hippocratis admittant, aliis perpendendum relinquo.

*Aliud spuma aliud corpus spumosum.*

Aliqui hîc distinguunt inter *spumam* propriè dictam & *corpus spumosum*. *Veram spumam* definiunt corpus levissimum, spongiosum, secundum omnes partes suas, etiam minimas, confractum: idq; dicunt generari ex humore crasso, cum aere spirituq; permixto, si nimirum ille ob agitationem spirituum vitalium in crasso illo humore inclusus ob loci proprii appetentiam sursum vergat, humoremq; sibi exitum denegantem simul elevet. *Spumosum verò corpus* leves saltem bullas in superficie

humo-

humorum apparentes vocant, idq; ex quovis liquore, etiam tenui, utpote vino, urinâ, aquâ &c. produci posse asserunt. Utramq; autem hanc spumam, tam veram quàm notham in Apoplecticis generari statuunt. Veram quidem ex colliquatione humidi substantifici pulmonum, summâ eorum vi & spiritu, qui tentat expirationem facere, elevati, agitati, & in spumam conversi, talemq; spumam in Apoplecticis semper mortem præsagire dicunt: cùm cor pulmonesq; tantam violentiam, quantam in hujus generatione & separatione humoris substantifici patiuntur, perferre nequeant. Corpus autem spumosum solùm bullæ, non verò spumæ speciem repræsentans à salivali humiditate, in ore existente, produci, & in Apoplecticis citra vitæ periculum generari volunt: cum in ejus generatione neque cor neque pulmones magnam violentiam sustineant, sed ejusmodi corpus ex quovis spiritu exhalante formari queat. Verùm ututsit, de generatione spumæ veræ hoc in loco, quanquam de separatione humoris substantifici cordis & pulmonum multa objici possent, non disputabimus, sed cum Galeno dicimus; hunc Aphorismum Hippocratis *non esse universaliter verum, sed ut plurimùm.*

# CAPUT XXXVI.

## *An ſtertor, quem Apoplectici ſæpè edunt, imminentis mortis ſignum ſit.*

*Stertor in Apoplecticis unde.*

DE Stertore ſcribit Hippocrates lib. 6. aphor. 51: Qui valentes *ſeu ſani capitis doloribus repentè corripiuntur, & protinus muti fiunt, & ſtertunt, intra ſeptem dies intereunt, niſi febris ſupervenerit.* Ubi ſciendum, ſtertorem illum in Apoplecticis utplurimum fieri, muſculis gutturis & thoracis reſolutis, iisq; non ampliùs ad expirationem concurrentibus, ac propterea magnum ſtertorem, magnam muſculorum, faucium, colli & thoracis reſolutionem & læſionem, adeoq; fortem Apoplexiam indicare. Nam talis in ſtertore Apoplectico editur ſonus, quòd ſpiritus diu in gutture hæreat, nec expelli posſit, donec alius ſuperveniens eum necesſitate urgente protrudat & elidat, linguamq; laryngis & epiglottida commoveat & agitet. Fortem proinde ſtertor arguit Apoplexiam, &, ſi cum ſpuma circa os fuerit, fortisſimam, nõ autem ſemper & ex necesſitate lethalem & exitioſam: cùm aliquando & ii, qui magno cum ſtertore decubuerunt, tandem idoneis præſidiis adhibitis reſtituti & à morte liberati fuerint.

CAPUT

## CAPUT XXXVII.

### *An Febrem Apoplexiæ supervenire bonum sit.*

COmmunis est opinio, bonum esse, si Apoplectici febre corripiantur, affirmatq; idem etiam Aphorismo jam allegato Hippocrates, ubi inquit, omnes Apoplecticos cum stertore decumbentes interire intra septem dies, nisi febris superveniat. Et sunt, qui hujus rei caussam exponentes, calorem supervenientem crassos in cerebro humores concoquere, fundere, attenuare eosq; ad exitum preparare, hacq; ratione ægros servari statuant.

Verùm neq; horum assertioni simpliciter subscribendum censeo. Nam quamvis calor humores frigidos & crassos in capite calefacere & nonnihil attenuare possit: tamen cùm is non in ipso loco affecto generetur, sed ê corde, quod in omni febre principaliter affligitur, & in Apoplexiâ de suffocatione aliàs valdè periclitatur, illuc transmittatur, auctus plurimas fuligines producet, quiæ mirè organa vitalia afficient, eaq; citò interiment ac suffocabunt. Nam non quamlibet febrem sed fortem, Apoplexiam sanare Medici asserunt: for-

tis autem calor usum cordis & pulmonum insigniter auget, magnamq; ventilationem & frigidioris aeris attractionem ac validam fuliginum productarum expulsionem requirit. Quibus omnibus cùm satisfieri à corde & thorace nequeat, ægrum citiùs, quàm sine febre mori necesse est. Hinc *Hippocrates* 1. Prorrh. 2. aphor. 50. ipse scribit, *subitaneis Apoplexiis si febris diutina & mediocris superveniat, periculosum esse*. Jam si mediocris febris Apoplecticis perniciosa, multò periculosior fortis erit, quæ majorem vim cor debilitandi & afficiendi habet, magisq; æger periclitabitur, si duę partes principales in corpore per se afficiantur, quàm si una saltem lædatur.

## CAPUT XXXVIII.

### *An post Apoplexiam magis dextra quàm sinistra pars paralytica fiat.*

DIsputatum & inter Medicos hactenus fuit, an post Apoplexiam, si morbus terminetur in Paralysin, potiùs dextra quàm sinistra pars afficiatur. Non defuerunt, qui Apoplexiam magis in sinistram quàm dextram partem terminari voluerunt; quippe cum hęc fortior sit, fluentemq; materiã non facilè recipiat, illa autem debilior ad cujuscunq; humoris receptionẽ aptissima existat.

Verùm

Verùm quis non videt, hos magis ex imaginatione, quàm propriis obſervationibus loqui? Non hîc contendam, an pars ſiniſtra debilior ſit dextrâ, ut multi volunt, & rationibus quibusdam oſtendere ſatagunt. Tantum hoc addã, mẽ poſt Apoplexiã tam crebrò dextrum quàm ſiniſtrũ latus paralyſi affectum deprehendiſſe. Et ſi paralyſeos cauſſa humorum in nervos influxus, ut volunt Medici, nulla reddi poteſt cauſſa, cur magis in nervos ſiniſtri lateris, quàm dextri materia irruat, cùm æquè hujus, quàm illius viæ pateant. Credo itaq; magis nunc hanc nunc illam partem poſt Apoplexiam paralyticam fieri, pro læſione ipſius cerebri, ejusq; elevatione, vel etiam humorum in partem magis vicinam expulſionẽ. Et hæc de Apoplexiæ naturâ, causſis & ſignis ſufficiant.

## CAPUT XXXIX.

### *De Curatione Apoplexiæ à craſſis humoribus ortæ.*

PRogredimur jam ad curationem, quam ut Medicus rectè inſtituat, ante omnia ad cauſſam, quæ hunc morbum produxit, reſpicere debet. Aliter enim curandus eſt, ſi ab humo-

ribus crasſis, cerebri meatus & vaſa oppilantibus & occludentibus oriatur; aliter autem ſi ab ictu & contuſione capitis, caſu, aut aliâ externâ cauſsâ originem traxerit.

*An Apoplectici relinquendi.*

Monent autem hîc Practici omnes, non temerè eſſe Apoplecticis manum adhibendam, ſed priùs perpendendum, an vehemens fuerit morbus nec ne. In forti Apoplexiâ nulla remedia adhibenda, ſed ægros ſolis Prognoſticis relinquendos eſſe ſuadent, ne tam remedia, quàm ars ipſa ab imperitioribus diffametur. *Prudentis enim*, inquit *Celſus*, *hominis eſt, eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus ut occiſi, quem ſors ipſius peremit; & Meſues* omnes Medicos hortatur, ut ſibi caveant, à curationibus malarum ægritudinum, ne eorum exiſtimationi aliquid derogetur. Verùm cum aliquando monſtra, teſte *Averrhoe*, in medicina fiant, & *Avicenna* referat, ſe nonnullos Apoplecticos omni ferè reſpiratione privatos, nec quicquam à mortuis differentes, ſanatos vidiſſe; imò & aſtantes atque cognati plerumque ſanationem & auxilium valde urgeant, hisq; ſæpius gratificandum ſit, non omnes Apoplectici imò nec illi, qui forti Apoplexiâ detinentur, prognoſticis ſemper relinqui debent aut

possunt, sed quandoq; & ipsis Medicus, ne ægrum deseruisse videatur, enumeratâ tamen prius morbi magnitudine, & exposito periculo, in quo patiens versetur, factoq; prognostico, ac implorato divino auxilio, (sine quo omnes ejus conatus aliàs irriti sunt,) auxiliares manus porrigere & quantum divina gratia effici possit, tentare necesse habet.

Quia verò morbus hic acutissimus est, nec sananti inducias dat, vel longius in curando deliberandi spatium relinquit, Medicum suis remediis paratissimum esse, &, quod facere necesse, maturè, citò & absque ulla cunctatione & morâ peragere oportet, ne, dum de curatione diutius consultat, forsan æger moriatur. Habet enim si ullibi, hîc maximè locum aphorismus ille Hippocratis lib. 4. cap. 16. *Medicari in valde acutis eadem die oportet: tardare enim in talibus, malum & periculosum.*

*Quid Medico faciendum.*

Instituenda autem curatio secundùm indicationes: Has enim qui negligit, instar cœci ambulat, estq; teste Galeno, similis illi, qui pontem in tenebris pervadere cupit, ubi, dum maximè se recto tramite incedere credit, in aquam delabitur: Sic licèt Medicus optima remedia habeat, nisi ta-

men

men ea juxta indicationes adhibeat, facilè in sanatione aberrare potest.

*Indicationes Curativæ à caussa non morbo sumuntur.*

Sumuntur verò hæ *à morbi caussâ.* ( ut semper accidit. Ipse enim morbus per se & simpliciter consideratus utiles indicationes non suppeditat. Et quamvis nonnulli, quando morbum non Philosophicè, hoc est, per impotentiam ad agendum, sed per malam dispositionem definiunt, se pro formali definitione caussalē substituere, idq; ideò, ut à morbo, hoc modo considerato, utiles indicationes desumi possint, prætendant: tamen & id falsum esse, nec ab hac etiam causâ seu à dispositione, ut dispositione, sicq; morbo Medicè sumto, sed potiùs illius malæ dispositionis causâ adhuc aliâ veram indicationem curatoriam; de præservatoria enim hîc non loquor, sed unde ea petenda sit, & an plura indicantia juxta *Salæ* opinionem constituenda sint, suo loco exponam, desumi, pluribus alibi ostendi.) Cùm autem in Apoplexiâ actiones cerebri aboleantur, hæ restitutionem indicant. Quia verò restitui nequeunt, nisi spiritui vitali iterum ad cerebrum via aperiatur; hæcq; aperiri non possit, nisi materia, viam illā occludens, vel tollatur aut aliunde derivetur, ad eam curationem Medicus unicè dirigat: quod enim in resolu-

tione ultimum, in curatione primum esse debet. Quocirca omnibus Apoplexiam curaturis summoperè laborandum, ut ejus caussam & materiam vasa cerebri occludentem, spiritibusque viam intercipientem ê loco, in quo hæret, educant, revellant, aut aliò retrahant; vel cùm præter naturam sit, eam etiam prorsus, modò id commodè fieri possit, ê corpore evacuent. Quia verò eadem hæc materia crassa existit, & ob crassitiem minùs præsidiis revulsoriis vel evacuatoriis obtemperat, ea incidenda & attenuanda, cerebrumq; roborandum, ut hosti suo validiùs resistat, ac tandem eundem prorsus vincat & ejiciat. Irritare etiam quidam facultatem jubent: Verùm cum hæc in insensili corpore vix excitari possit, ut agat, imprimis cum organa non rectè disposita, neque etiam alia requisita ad actionem necessaria obtineat, illam irritationem & excitationem in Apoplecticis ferè frustrà institui credendum.

## *Quomodo æger tractandus.*

Quando ergo ex signis supra enumeratis certò constat, hominem Apoplexiâ laborare, is in *loco modicè calido continendus* & asservandus, ne frigus poros occludens, & humores incrassans, morbum augeat & foveat. *Corpus ejus erigendum*, & ita

collocandum, ut erectâ nonnihil cervice quasi sedeat, hocq; positu pulmones liberiùs aerem trahere valeant, minusq; humores, ut in supino decubitu accidit, ab inferioribus partibus in caput ruant, sed potiùs ex eo in membra illi subjecta & inferiora descendant. *Thorax leviter tegendus*, ne oneratus tegumentis respirationem difficiliorem reddat. *Corpus interdum agitandum & concutiendum*, an forsan materia in cerebri vasis hærens loco moveri possit. Est tamen & hîc cautio adhibenda. Nam si corpus cacochymicum sit, multisq; vitiosis humoribus scateat, ex illâ commotione sæpè & ii, qui in motu nondum sunt, moveri possunt. Sic mihi notum exemplum, quòd ejusmodi agitatio ægro aliquando plurimùm obfuerit, eiq; mortem subitaneā accelerarit. Postmodum *materia revellenda, discutienda, expurganda* per frictiones extremorū asperiores, venæsectionem, cucurbitulas, suppositoria, clysteres, vesicatoria, aliaq; similia remedia. Tandemq; *cerebrum roborandum, ac reficiendum*, id quod *Aquis Apoplecticis, Balsamis, Sacculis, Unguentis, Odoramentis* aliisq; præsidiis posteà explicandis, cōmodissimè fieri poterit.

Non autem adeò necesse videtur os Apoplecticorum cuneo aperire, ut plurimi Practici jubent,

qui tamen ubiq; eos ore patente respirare asserunt. Nam cum id alias pateat, membraq; ægris omnia resoluta sunt, ut sunt, nec veluti in Epilepsiâ convelluntur: ita ut interdum etiam intestini recti extremitas planè hiet, atq; nisi ab astante præcaveatur injecta clysmata repentè iterũ effluant; quemadmodum non rarò accidit, os ægrotantes tantâ violentiâ aperire opus non semper erit.

*An os Apoplecticorum cuneo apertum servandum.*

Notare etiam hîc expedit, in tam gravi & periculoso morbo medicamenta non semper eo ordine adhiberi (quanquam & hic aliquem delectum habere non inutile sit,) debere, quo ea jam recẽsuimus, vel tam curiosè ut in aliis affectibus, observandum esse, an, non præmissis universalibus, particularia præsidia adhibenda sint. Multò minus concoctionem humorum exspectandam esse: sed quamprimùm ægri tam gravi malo corripiuntur, ipsis auxiliares manus illicò porrigendæ sunt, & vel clyster injiciendus, vel vena secanda, sive de die sive nocte morbus hominem invaserit. Præstatque etiam in tam præcipite affectu plurimis remediis simul uti, & unâ eâdemque horâ & clysterem injicere, & sanguinem mittere, hasque ipsas operationes repetere, quemadmodum in Apoplexiâ non inconveniens, unico

die vel tria enemata infundere, non neglectis interim aliis, quæ humores discutiant, attenuent, cerebrumq́; roborent.

*Quid in Paroxysmo faciendum.*

Atque ita quando & quocunque tempore ægri decidunt, sine omni morâ extrema eorum linteis calidis fovere, plantasq́; pedum & volas manuum aceto & sale, vel decocto salviæ, roris-marini &c: fricare expedit: Scholiographus in *Hollerium* etiam colli sedem anteriorem, quâ jugularia vasa ascendunt, iisdem fricare jubet) postea naribus odorata adhibenda, oriq́; Aquæ Apoplecticæ vel alia similia, utpote theriacæ vetus, mithridatium, Confectio Anacardina &c. quæ crassos humores attenuent, discutiant & dissolvant, infundenda atque indenda; suppositoriis vel clysteribus alvus ad excretionem sollicitanda; venæ sectione aut cucurbitulis sanguis detrahendus & revellendus; aliisq́; particularibus evacuationibus materia ê capite avertenda, & reficientibus cephalicis remediis cerebrum corroborandum, quemadmodum de singulis hisce remediis tam evacuatoriis, quàm revulsoriis, & confortantibus jam ordine agam.

## *De Suppositoriis & Clysteribus.*

Cùm

Cùm autem obstructio alvi in hoc morbo plurimùm obsit, ante omnia hæc solvenda, & corpus à vitiosis humoribus repurgandum; id quod commodissimè per *glandes & clysteres* fieri potest. Et quamvis hi à vulgo rejiciantur, quòd caput non attingant, (in quâ sententiâ etiam famulus ille cujusdam principis fuit, qui, referente Doctissimo Laurembergio, cum graviter à dolore capitis vexaretur, & Medicus ei, ut materiam è capite averteret, clysterem præscripsisset, eundemq; jam pharmacopæi minister per posteriora infundere tentaret, altâ voce exclamavit, se isthîc neutiquam dolere, & indignabundus factum & è manibus pharmacopæi surreptum clysterem ægro suo capiti superfudit, significans parti dolenti medicinam admovendam esse) sed saltèm alvi excrementa subducant: tamen hisce evacuatis, consecutionis ratione & alios vitiosos succos, qui in partibus superioribus, adeoq; capite ipso hærent, simul commovere, eosque ad inferiora, ut postea per alvum ejiciantur, trahere possunt: Ne quid de eo dicam, quòd prohibeant, ne alii humores pravi ex venis sursùm in caput ruant, morbumq; augeant; viasq; prætereà, evacuatâ eâ illuvie, quæ in primâ regione existebat, apertas servent, ut per eas peccans

*An Clysteres in Apoplexia conveniant.*

*Clysterum usus.*

materia ad excretionem imprimis ſtimulata & irritata facilè deſcendere posſit.

Suppoſitoria.

Quod autem primò *Suppoſitoria* attinet, cum ea citò parari posſint, & in officinis etiã ſemper parata habeãtur, alvumq́; egregiè irritent, ac rectiùs, quam clyſteres, retineantur, ante omnia ano appenſo filo, ut retrahi posſint, indenda ſæpeq́; reiteranda ſunt.

Præparatio, eorum etiam quæ hic conveniunt, omnibus notisſima eſt. Sumuntur purgantes ſpecies ut hieræ ſimpl: hieræ cum agarico; hieræ logadii, aloe vel alia purgantia, aut ſucci, hæcq́; melle crudo vel cocto excepta addito ſale in formam ſuppoſitorii rediguntur, quod podici oleo illitum inditur, ut v. c.

℞. *Agarici*
*Scammonei* an. ℈ß.
*Ellebori albi* gr. viij.
*Salis gemmæ* gr. vj.
Mellis ad ſpisſitudinem cocti, ut digitis tractari posſit ℥ß.
F. Suppoſitor:

Vel ℞. *Spec. hieræ ſ.*
*Agarici* an. ℈ij.
*Ellebori albi* ℈ß.
*Salis gemmæ* ℈ß.
*Mellis* q. ſ. F. ſuppoſitor:

Monen-

Monendum hîc, malè à nonnullis species purgantes cum melle coqui, nam vis earum coctura facilè evanescit: idcircò crudo melli eædem injici & inde glandes formari possunt.

Si hæc leniora suppositoria nihil efficiant, talia *acriora* hic saltem convenientia parari possunt. *Acriora.*

℞. *Succi Mercurialis* ℥ß.
*Fellis tauri* ʒij.
*Mellis* ℥ij. vel q. s.
Coq. l. a. adde in fine
*Colocynthid.* ℈ß.
*Pyrethri*
*Ellebori albi* an. ℈j.
*Salis gemmæ* ℈iiij.
Misc. & formentur Suppositoria.

Vel ℞. *Hieræ pieræ* ℈j.
*Colocynth*: ʒß.
*Pyrethri* ℈j.
*Scammonei* ℈ß.
*Salis gemmæ* ʒß.
*Ellebori albi* ℈j.

Cum melle cocto, vel, ut citiùs conficiantur, cum crudo etiam formentur *Suppositoria*.

Quidam his & Euphorbium aliaq; adurentia addunt. Cùm enim sine sensu sint ægri, nihil ea nocere existimant.

*Clysteres.*

Posthorum usum *Clysmata* injiciantur, quæ ex emollientibus & stimulantibus, quibus & nonnulla *cephalica* addi debent, parantur, utpote *Malvâ, Altheâ, Parietaria, Brancâ Ursina, Mercuriali Parietaria Betâ, Betonica, Origano, Pulegio, Veronicâ, Chamæmel: Meliloto, Rutâ,* &c. Suntq; qui hîc sola emollientia non usurpanda esse censent, ne, cum nimis relaxent, nervis obfuisse, & paralysi occasionem præbuisse videantur.

*Cur non sola emollientia usurpanda.*

℞ *Malvæ,*
*Parietariæ*
*Branc. ursinæ*
*Mercurialis*
*Origani*
*Pulegii*
*Fl. Chamæm.*
*Meliloti* an. M. ß.
*Sem. fœnic.* ʒij.
Coq. in aq. s. Colaturæ ℔.j. adde
*Bened. laxativæ* ℥ß.
*El. Diaphœnic:*
*Hieræ* s. an. ʒijß.
*Ol. Rutæ.*
*Anethi* an. ℥j.
*Mellis rosacei* ʒvj.
*Salis* ʒj.
M. F. Clyster.

Qui

Qui si non rejiciatur, indito Suppositorio, eum promoveri posse nonnulli existimant.

Vel ℞. *Althea*
*Malvæ*
*Mercurialis* an. Mj.
*Betonicæ*
*Origani*
*Fl. Chamæm.* an. Mß.
*Centaur. minor.* P ij.
*Sem. Carthami* ʒij.
*Cumini* ʒj.
Coq. in aq. f. Colat: ℔. j. adde
*El. Indi*
*Confect. hamech.* an. ʒiij.
*Bened. laxativ.* ℥ß.
*Ol. Castorei*
*Chamæm.* an. ℥j.
*Mellis rosac.* ℥ß.
*Salis* ʒj.
F. Clyster.

Primis viis ita evacuatis & apertis, alii fortiores clysteres ex cephalicis pluribus compositi infundantur; neque, si malum valdè urget, quicquam vetat etiam in initio ejusmodi validioribus uti. Fiunt autem ex *herbis*, *radicibus*, *floribus*, *seminibus*, *fructibus*, *succis*, *oleis &c.* quibus purgantia tam simplicia, quàm composita addi possunt. *Clysteres Fortiores.*

Herbæ ſunt: *Malva, Branca urſina, Mercurialis, Beta, Betonica, Origanum, Meliſſa, Pulegium, Salvia, Ruta, Calamentha, Hiſſopus, Thymus* &c.

Flores *Chamæmel: Meliloti, Centaurii minoris, Anthos, Stœchad: Arabicæ, Primulæ veris, Verbaſci, Anethi.*

Radices *Ireos recent: Imperatoriæ, Sigilli Salomonis, Angelicæ, Pyrethri, Ari.*

Semina *Carvi, Cumini, Carthami, Urticæ, Rutæ, Naſturtii, Sinapis.*

Purgantia ſimplicia: *Elleborus niger, Turbith, Fol: Senæ, Agaricus, Colocynthis:* quæ duo poſteriora in panno ligari debent. Monet autem de Colocynthide *Rombertus Dodonæus* parcè eâ utendum, nec in clyſteribus etiam ultra ʒß. uſurpandam eſſe, cùm abradat inteſtina, venasq; meſaraicas reſeret: Memini enim, inquit, *in obſerv:* ab enemate, cui drachma una colocynthidis incocta fuerat, hominem robuſtum non diu ſupervixiſſe, & poſt mortem per ſedem copioſum ſanguinem rejeciſſe. Abſtinendum etiam puto hîc à *Croco Metallorum*, facilè enim ob coli inteſtini cum ventriculo connexum, vomitum movere poſſet, qui in hoc morbo valdè noxius, & reſo-

*Colocynthis cum cautione adhib.*

lutis

lutis musculis, Apoplecticos aliquando suffocat & extinguit.

Purgantia composita sunt: *Bened: Laxativ: El. Indum, Diaphœnic: Confect. Hamech, Hiera s., Hiera Logadii, Hiera Colocynthid: Pilulæ Cochiæ, Aureæ, Lucis, Assaireth, & similes.*

Succi; M*ercurialis*, *Betæ*, *Fel tauri*, Mel *Anthosatum*, *Anacardinum*.

Olea; *Rutaceum*, *Castorin: Laurinum*, *Anethin:* De quibus notandum, quòd eorum dosis uncias duas non excedere debeat; siquidem infringunt & obtundunt non parùm vim medicamentorum purgantium, ut minùs fortiter operentur, nec Medicus eum finem, quem intendit, assequatur.

Liquores, in quibus hæc omnia coqui solent, sunt *aq. simpl: Hydromel, Urina pueri* &c. *Vinum forte verò* & M*alvaticum*, quæ alii sumunt, M*assaria*, eò quòd caput tentent & repleant, rejicit, & cùm vim narcoticam simul habeant, cerebroq; obesse possint, ab iis abstineri potest:

*An Clysteres cum Vinis fortibus parandi.*

Ut autem formulas & horum clysmatum in conspectu semper habeat Medicus, unam vel alteram hîc subjungere placet.

*Clysteres Fortiores.*

℞. *Herb. Malvæ*
*Branc. ursinæ* an. Mß.
*Origani*
*Thymi*
*Pulegii* an. Mj.
*Sum. Centauri minoris*
*Anethi* an. P ij.
*Rad. Ireos recentis* ʒß.
*Imperatoriæ* ʒij.
*Sem. Carvi* ʒjß.
*Carthami* ʒij.
*Cumini* ʒß.
*Baccar. lauri* ʒj.
*Agarici in panno ligati* ʒij.
Coq: in hydromel. Colat: ℔.j. adde
*Hieræ colocynthid.* ʒij. Plus minusve.

Pro conditione enim & constitutione ægri purgantium dosis augeri minuive potest.

*El. Indi* ʒiij.
*Mellis anthosati* ℥j.
*Succi Mercurial. vel Betæ* ℥vj.
*Ol. Rutacei*
*Castorei* an. ℥j.
*Salis fossilis* ʒj.
F. Clyster.

*Fortissimus.*

Fortissimus sic paratur.

℞. *Summ. Centauri minoris* P ij.
*Hyssopi*
*Lauri fol.*

*Calaminthæ*
*Rutæ*
*Malvæ*
*Fl. Chamæm.* an. M ß.
*Meliloti* P ij.
*Rad. Angelicæ* ℥j.
*Ireos recent.* ℥ijß.
*Pyrethri* ℥jß.
*Ellebori nigri* ℈ij.
*Sem. Carthami* ℥iij.
*Rutæ*
*Sinapis* an. ℥j. *vel* ℈ij.
*Colocynth. in petia ligat.* ℥ß.
Coq. in aq. vel hydromel. Colat. ℔.j. adde
*El. Indi* ℥j. *vel* ℥ß.
*Hieræ logadii* ℥ij. vel quantum satis videtur.
*Pil. cochiarum* ℥ß.
*Mellis anthosati*
*Ol. Rut.*
*Castor.* an. ℥j.
*Euphorbii* ℈j.
*Salis gemmæ* ℥j.
M. F. Clyster.

Si clyster citò, ut sæpius in Apoplecticis contingit, iterum rejiciatur, mox alius infundi potest, nec cunctandum, vel à remediis in tam præcipiti malo desistendum, usq; dum æger ad se redierit, caussaq; morbi maxima ex parte ablata sit. Nec peccamus, si eâdem die vel nocte tres etiam cly-

ſteres, non tamen ſimul ſed ſucceſsivè & unum poſt alterum infundamus atq; injiciamus.

### *De Venæ Sectione.*

Ut autem aliàs generoſum, ita in hoc morbo utiliſsimum auxilium eſt *Phlebotomia*, quæ nullo modo vel omitti vel negligi à Medico debet, ſed quia potenter à capite revellit, quamprimùm æger affectu hoc corripitur, ſive de die ſive nocte id acciderit, etiam (præſertim ſi Apoplexia fortis ſit, malumq; urgeat) antequam clyſter injiciatur, ei vena aperienda, ſanguisq; extrahendus: periculoſum enim hîc tardare aut Alcinoi lunam vel certum in cœlo ſiderum poſitum exſpectare, aut ſi luna in Geminis brachia occupantibus exiſtat, venæſectionem differre, usque dum ea ad aliud ſignum progrediatur: ſed cum occaſio præceps & brevis ſit, ægerq; citò jugulari queat, maturanda phlebotomia, quantum poſsibile, ſanguisq; ſubitò extrahendus, cùm in ejus extractione potisſima curandi ratio & ſpes conſiſtat: Si enim poſt venæſectionem non redeunt ad ſe ægri, ferè de eorum ſalute actum eſt. Hinc ſcribit *Aurelius Cornelius Celſus* lib. 3. de re Medica cap. 27. fol. 62. *Si membra omnia vehementer reſoluta ſunt, ſanguinis detractio vel occidit vel liberat. Aliud curationis*

*genus vix unquam sanitatem restituit, sæpè mortem tantùm differt, vitam interim infestat. Post sanguinis missionem si non redit motus & mens, nihil spei superest* &c.

*An in omni Apoplexia vena secanda.*

An autem ea sine discrimine in omnibus ægris institui debeat, non leve movetur inter Practicos dubium. Plurimi saltèm sanguinem detrahendum esse censent, tum, quando patiens juvenis, robustus, plethoricus, malumq; ex sanguine ortum habuerit; Si autem is senex fuerit, & robore virium minùs valeat, vel etiam plurimis excrementis pituitosis abundet, planè à phlebotomiâ abstinendum esse suadent, ne vires dejiciantur, corpus refrigeretur, humoresq; magis incrassentur.

Verùm cum in tam periculoso affectu tota salutis ratio in celeri materiæ ê capite revulsione & retractione consistat, neque ullum remediũ dari possit, quod tam citò & repentè humores à cerebro avertere & aliunde derivare, imò & evacuare queat, quàm venæ sectio, eam cunctis aliis presidiis in curatione Apoplexię prçferimus, fereq; in omnibus individuis, sive plethorica fuerint sive non, convenire statuimus. Et res loquitur ipsa, plurimos Apoplecticos solâ sanguinis per venę sectionem detractione restitutos & integrè sanatos esse:

Siqui-

Siquidem demto in brachio ſanguine, is etiam, qui in jugularibus vaſis exiſtit, deorſum rapitur, cui ſuccedit portio materiæ in ſinibus hærens, quæ, licèt ſæpius pituitoſa ſit; non tamen absq; ſanguine reperitur, ſed cum eo moveri & revelli poteſt. Et eâ de cauſsâ, ſi nihil aliud grave obſtiterit, largam in Apoplecticis ſanguinis miſsionem inſtituimus, quæ ad humores ſuperiores ſe extendat, eosq; loco dimoveat; eandemq; bis vel ter, nonnunquam & in utroq; brachio, repetimus, quò venæ utrinq; exinanitæ potenter ex jugularibus humores trahant & deorſum revellant.

*An vires obſtent.*

Neq; in Apoplexiâ *virium imbecillitas* adeò metuenda: Nam, ut rectè oſtendunt Medici, & pluribus etiam demonſtravit *Horatius Augenius de miſsione ſanguinis lib.3. cap.4. fol.78. & l.5. cap.5. & 6. fol.132.* Item de *curat. per ſanguinis miſsionem lib.4. cap.2. fol.431.* Vires duobus modis poſſunt dici debiles, vel *propter diſſolutionem*, & quòd in propriâ eſſentiâ, ut *Augenius* loquitur, patiantur, vel *propter oppreſsionem*, nempe quòd à multitudine humorum opprimantur & quaſi ſuffocentur. Si priori modo imbecillæ ſint vires, non immeritò à ſectione venæ abſtinemus, ne eæ prorſus diſſolvantur: Si autem poſteriori modo debiles, hoc eſt,

*Vires duobus modis debiles ſunt.*

saltèm oppresſæ ſint, veluti in Apoplexiâ contingit, tantum abeſt, ut phlebotomiam prohibeant, ut & eandem coindicent. Cùm enim aliter, quàm per ſanguinis detractionem, ab illâ oppreſſione liberari nequeant; eam non ſolùm poſtulant, ſed & urgent. Monentq; non ſine cauſsa *Augenius* & alii, in Apoplexia non æſtimandas eſſe vires ex animalium functionum abolitione *jam præſente*, *ſed* penſitandas eas eſſe, quales *antea extiterint*, *antequam æger morbo correptus fuerit*. Si enim tum fortes fuerint, etiam in ipſo morbo eas ſatis validas eſſe, ut ſanguinis detractionem ferre ac permittere poſſint, ſtatuunt.

*An refrigeratio corporis phlebotomiam prohibeat.*

Quod autem *refrigationem corporis* & incraſſationem humorum, ob quæ nonnulli venæ ſectionem rejiciunt; attinet, id nullius momenti eſt. Nam in Apoplexia nil magis quàm materiæ ê capite averſio & revulſio urget, unicèq; laborandum eſt, ut hæc citiſſimè fieri poſſit: & quia huic indicanti ſubitò ſatisfacit venæſectio, pluſq; commodi ê cauſsæ morbificæ translatione, quàm incommodi ex corporis refrigeratione (quæ poſtea de facili iterum corrigi poteſt, neque etiam adeò urget) ſperandum, nullo modo vel ab humorum incraſſatione, vel capitis refrigeratione

ſanguinis misſionem impediri poſſe ſtatuimus: imò cum ea, retractis ê capite humoribus, ſpiritibus vitalibus viam iterum aperiat; tantum abeſt, ut caput refrigeret, ut potius ob ſpirituum abſentiam jam refrigeratum calefaciat, &, ut eidem priſtinus calor reſtituatur, efficiat.

Monemus tamen, hîc etiam aliquam in ſanguinis detractione cautionem non immeritò adhiberi. Nam ſi æger antea gravi quodam morbo, Chronico vel acuto, laboraverit, ſummeq; imbecillis, aut ſeptuagenario (quamvis in Conſule quodam Apoplectico ſeptuageſimum annum excedente, & eam feliciter inſtitutam fuiſſe obſervaverim) major fuerit, ut nihil planè cõmodi ex venæ ſectione ſperari posſit, ſed certisſima mors præ foribus ſit, ipſimet ſuademus, ut Medicus, ne ægrum occidiſſe aut mortem acceleraſſe videatur, ab ea abſtineat; In aliis autem, etiam cacochymicis & pituitoſis corporibus, ſi vires parum fortes ante morbi invaſionem fuerint, citò venam aperire licet, nec quenquam corporis conſtitutio etiam frigidior moveat: nam ejusmodi corporibus etiam phlebotomiam præſentaneum auxilium attuliſſe experientia aliquoties comprobavit, teſtaturque Medicus *Clariſſimus Rombertus Dodo-*

*naeus*

*naeus in observat*: *Medicinalibus*, *cap*. 8. ubi, postquam prius ostenderat, quomodo mulierem fortissimâ Apoplexiâ laborantem, ab omnibus aliis Medicis senioribus derelictam, per phlebotomiam bis in unicâ die institutam servasset, in *scholiis pag*.23.*scribit*, nihil consultius esse, quàm in Apoplexiâ confestim sanguinem mittere, etiamsi corporis temperies frigidior, & morbi caussa pituitosa videatur, si modò vires ferant, hoc est, non ex dissolutione planè imbecilles sint. Nequit enim, porrò ait, citiùs à superfluis humoribus exonerari cerebrũ, quàm per sanguinis detractionem, *praecipuè cum humores cerebrũ occupantes absq; sanguine permixto non sint &c*. Id quod etiam in aliis affectibus accidere videmus. Nam ubi humorũ etiam vitiosorum affluxus, ut in glandularũ tumore, anginâ &c. accidit, iis semper sanguis permiscetur, ad locum affectum succos vitiosos ceu vehiculum quoddam deducens ac derivans.

Quae autem vena in Apoplecticis secanda sit, non adeò planum. Nonnulli venas *frontis*, & *narium aperiunt*. Verùm cum hae non satis fortiter initio morbi materiam à cerebro revellere possint, non, nisi aliae majores prius sectae fuerint, incidi debent. Quidam Venam, quae inter indicem & pol- *Quae vena secanda.*

licem existit, à capite multum revellere, & in Apoplexiâ commodè etiam secari volunt: Hinc à Chirurgis vel potius barbitonsoribus nostris, **die HauptAder** dicitur; quorum errorem in lectione publicâ Anno 1627. 13. Februar. multis taxavi, & clarè demonstravi, hanc venam non tam ex Cephalica, quàm Mediana superficiaria, ex utroque axillari ramo conflata, constitui. An autem simpliciter verum sit, ex Cephalicâ nullum ramum ad manus tendere, sed omnes in manu venas vel basilicæ vel cephalicæ surculos esse, ex iis facilè, quæ ibi subjunxi, colligi potest.

*Saphena insignis vena est.*

*Leonillus Faventinus* & alii multi à *Saphenæ* sectione curationem incipiunt, imprimis in fœminis mensium obstructionibus laborantibus. At quamvis negari non possit, *Saphenam insignem quoq; venam esse*, propè inguina ex crurali ramo externo emergentem, per quam multum sanguinis etiam evacuari queat; tamen cùm à capite valde distet, nec ex ea humores sat citò evacuari ac revelli possint; nec ab ea curationem auspicandam esse censemus.

Rectiùs alii *Cephalicam* in brachio incidunt. Nam cùm hæc sæpè ramulo quodam cum jugulari venâ externâ, ut in meo *tractatu de Venis* osten-

di,

di, conjungatur, citissimè à cerebro materiam retrahere & avertere potest: postmodum hâc sectâ & aliæ minores, utpote narium, vel etiam inferiores venæ nonnullæ aperiri possunt.

Si *Cephalica* in brachio conspicua non est, ejus ramus, qui per flexuram cubiti ad constituendam Medianam excurrit, vel si hæc magis conspicua, etiam ipsa vena Communis seu nigra incidi potest. Cum autem hæc, ut suo loco ostendi, ex utraq; brachii venâ sanguinem hauriat, hic tamen magis cephalicæ, quàm basilicæ evacuatio conveniat; ego, quoties ea secatur, & mihi à capite revellere animus est, alterum venæ basilicæ ramum digitis comprimere & occludere soleo, ut potiùs ex Cephalicæ quam Basilicæ surculo sanguis effluat, meoq; scopo rectiùs satisfiat.

*Quid faciendum si Cephalica non conspicua sit.*

In quo autem brachio incisio venæ cephalicæ institui debeat, Practicos dubitare video. *Hieronymus Mercurialis* magis laudat sectionem in latere dextro quàm sinistro. At cùm nullam hujus rei rationem afferat, neq; major hujus, quàm illius cum jugularibus venis communio ex Anatome demonstrari possit, nihil referre credo, utra secetur, & ex quâ sanguis evacuetur.

*In quo brachio vena secanda.*

*Nicolaus Piso lib.*1. *cap.*16. *pag.*106. *Montanus*

*An jugulares venæ secari debeant?*

& alii præsentaneum in Apoplexiâ auxilium *venarum jugularium sectionem afferre dicunt*, modò ea absque periculo fieri possit: Non posse autem, ostendunt *Hieronymus* Montuus *in morborum Anasc*: *cap*.14. *pag*.61. *Alexander* Massaria *lib*.1. *Practicæ cap*.13. *fol*.82. Marcus *Gattinaria fol*.6. *&c*. ob arctiorem colli ligaturam, quæ ad earum incisionem opus sit, & Apoplecticis minùs conveniat: Imò si vel maximè aperiantur, fluentem tamen sanguinem non sisti nec vulnus consolidari posse docent. Verùm cum harum venarum ad cerebri sinus posteriores pertingentium evacuatio utilissima sit, non video cur in Apoplecticis earum apertio adeò metui debeat, imprimis cum in ejusmodi ægris aliàs valde tumeant, & absq; arctiore ligaturâ colli facilè tundi possint

Occlusionem verò earum quod attinet, (quam Mercatus rustico quodam timore Medicos nonnullos timere dicit) ea facilis est, præcipuè si venæ hæ per longitudinem secentur, potestq; foramen emplastro ex thure, mastiche, bolo armeno, pilis leporinis &c.. cum albumine ovi subactis confecto obturari & postea consolidari, ut id optimè docuit Doctiss: Chirurgus *Guilhelmus Fabricius Centur*: 3. *observat*. 22. *pag*.

99. idq; ego in meo de venæſectione tractatu, quem ſub manibus habeo, brevi quoq; pluribus demonſtrabo.

Majori cum periculo *arteriæ* ſecantur, tum quòd profundiùs, quàm venæ exteriores locentur, tum quòd ſpirituoſum ſanguinem contineant, qui earum occluſionem multùm impedit. Si tamen & peritus Medicus vel Chirurgus (nam noſtris barbitonſoribus res vix committenda) adeſſet, qui eas commodè ponè aures, ubi in hoc affectu ſecari ſolent; aperire, vel quod melius eſt, totas præſcindere vulnusq; tutò & confeſtim conſolidare poſſet, ut fieri poteſt, nec earum inciſionẽ diſſuaderem; imò valde probarem : citò enim iſtæ ex ſinibus & quidem ſatis validè humores retrahere valent. Miratur autem *Marcellus Donatus lib.2. Hiſtor. Medic. mirabil. cap.6. pag.* 169. cur multi Medici & *Galenus ipſe* lib.5. Meth. medend. cap.7. lib. de curatione per ſanguinis miſſionem in longè mitioribus morbis arteriotomiam inſtituant, & tamen eam in hoc morbo deplorato & lethali, in quo ſatius eſſet aliquid cum bona ſpe operari, quàm ægrotum morti certæ relinquere, adeò metuant & vereantur. Noverunt, inquit, viri Clariſſimi nocumenta, quæ ſubſequi poſſunt

*An Arteriæ ſecandæ.*

copioſi

copiosi & spirituosi sanguinis effusionem. Sed ad hæc mala evitanda præsidia inventa esse ostendit. Et paulò post concludit, non esse in Apoplexiâ, si modò hæc non omnem curandi spem nobis penitus ademerit, arteriotomiam, (quam, non in collo, sed ponè aures instituere jubet,) adeò formidandam, cum majus inde juvamen, quàm damnum evenire experientia docuerit.

*Quo tempore vena secanda sit.* Cæterùm de tempore, quo sanguis mitti debeat, non omnes Medici consentiunt. *Cœlius Aurelianus lib.3.de acutis cap.*1.sanguinem mittendum esse dicit in declinatione paroxysmi, seu, ut ille loquitur, in ortu primæ lucis, nec antequam humores præ frigore concreti liquescant, & vel à naturâ vel arte oleis, syrupis, frictionibus aut aliis remediis fusi fuerint: Si enim antea & in principio morbi sanguis mittatur, malum lethalius fieri, humoresq; incrassari, frigidiores reddi, nec per venam sectam exire statuit; in statu autem & vigore morbi omnino à venæsectione abstinendum esse suadet, ne æger summo cum Medici dedecore intereat.

Hanc Cœlii opinionem sibi non displicere *Mercatus tom.3.lib.1.cap.13.fol.54.* scribit, dummodò affectio ab externo frigore principium sortiatur,

tur, ſiquidem & naturam ex Apoplexiâ Paralyſin facientem prius ſemper humores fundere & attenuare, antequam eos expellat, ſtatuit, eſſeq; & hîc eam imitandam, & materiam calorificis ante venæ ſectionem diſſolvendam, vel exſpectandum, donec ipſa humores liquarit fuſeritq;.

Verùm quamvis utile ſit, craſſos humores ante purgationem fluidos reddere, teſte *Hippocrate lib.2. Aphor.*10. cùm tamen hic morbus acutisſimus ſit, & omnis ſpes ſalutis in celeri medicamentorum juvantium applicatione conſiſtat, non tamdiu venæſectio differri debet, uſq; dum humores arte aut à naturâ planè fundantur: priusquam enim id fiat, aliquot dies præterire ægriq; mori posſent. Si & eò uſque malum progreſſum, ut humores in cerebro omnes fuſi & attenuati ſint, obſtructiones jam maximâ ex parte reſeratæ ſunt, nec ampliùs de ſanguinis misſione Medicum tantopere ſollicitum eſſe oportet, ſed potiùs id agendum, ut morbi jam declinantis cauſſa aliis remediis mitioribus evacuetur, non autem tam generoſo & valido præſidio, quale venæſectio eſt, æger ſine necesſitate moleſtetur. Taceo, quòd aliquot diebus elapſis phlebotomia magis quàm in morbi principio, ubi vires adhuc ſatis validæ

*An humorum fuſio exſpectanda.*

ſæpè ſunt, debilitet. Et neſcio quam humorum à frigore congelationem in cerebro *Aurelianus* ſibi imaginetur: talem ego nunquam vidi, nec in corpore vivente eam ab aliis unquam viſam credo.

Quicquid itaque de venæſectione objiciatur, manet veriſſimum, eam in principio Apoplexiæ tutiſſimè & utiliſſimè adminiſtrari poſſe. Quid & ejus dilatio ægris nocuerit, apud *Thaddæum Dunum* & alios videbis. Proinde ſive de die ſive noctu æger malo hoc gravi corripiatur, etiamſi nullus etiam clyſter injectus fuerit, mox venam aperire & ſanguinem ſæpè extrahere licet, poteſtque illa extractio repeti: Etenim per iteratam ſanguinis miſsionem materia magis revellitur, vireſque minus dejiciuntur. Quanquam non inutile ſit, ante venæ inciſionem extrema fricare, odorifera, aut alia quæ humores craſſos attenuent & incidant ori infundere, an forſan nonnihil materia fundi liquari, ad evacuationem & commotionem obſequentior reddi poſſit: modò ea omnia citò adhibeantur & peragantur, ne propterea phlebotomiam & ſanguinis miſſionem, quæ hic valdè urget, diutius differre neceſſe ſit.

*Venæſectio iterari debet.*

Quan-

*Quantum* sanguinis evacuandum.

*Quantum* autem *sanguinis detrahendum sit*, nonnulli determinarunt: & aliqui sex alii octo, imò plures uncias evacuandas esse statuerunt. *Aretæus de curatione morborum acutorum lib.4 fol.58. parcè* Apoplecticis sanguinem demendum esse monet. Si enim, inquit, paulò plus detraxeris, hominem planè strangulasti: ad vitam enim tuendam his vel paucus sanguis efficacissimus est, cùm sit vitæ corporisq; alimenti fomes. Et *Aetius* scribit, copiam sanguinis detrahendi hîc esse dividendam; *nam oportere vires excitare, non verò exsolvere*. Contra autem *Avicenna*, & alii audaciores sunt, nec tantùm ad uncias verum etiam libras aliquot Apoplecticis sanguinem detrahere jubent.

Verùm quod hanc litem attinet, dicimus, quantitatem detrahendi sanguinis non adeò exactè determinari posse, sed peritis Medicis moderandam relinqui, qui in aliis corporibus plus, in aliis minus evacuabunt, pro virium tolerantiâ, sanguinis multitudine, & conditione ægri. Expedit autem hîc ob fortem revulsionem plus quàm in aliis morbis detrahere. Et si respiratio inde facilior fiat, ægerq; phlebotomiam benè toleret, longè auda-

ciùs emitti ſanguis poteſt, quàm ſi nil tale accidat.

## *De Cucurbitulis & Hirudinibus.*

Poſt venæſectionem utile eſt, ægris *Hirudines* aut *Cucurbitulas* cum vel ſine ſcarificatione applicare. Si & omninò in quodam ægro phlebotomia locum non habeat, cucurbitulæ ejus vices ſupplere poterunt. Dubitatur autem quibus locis eæ affigi debeant. *Aetius lib.2. tetrabibl. cap.27. fol.264.* & alii illas hypochondriis applicant; quod tamen non ſatis tutò fit: nam contractis ibi muſculis abdominis reſpirationi obeſſe poſſunt. Eſtq; aliàs etiam affixio cucurbitularum ad hypochondria cum quodam periculo conjuncta: inde enim lethalem epatis inflammationem, cum ibi ob narium hæmorrhagiam applicarentur, ſubſecutam fuiſſe, *Guilhelmus Fabricius* in Cent.2. obſervat: chirurgic: 47.p.162. annotavit.

*Quibus locis cucurbitulæ affigendæ.*

Aliqui *mento* adhibent, quos Aretæus lib.1. de curatione morborum acutorum fol. 60. imperitos vocat, cum non hic gulæ dilatatione, ſed humorum è cerebro revulſione opus ſit.

Utiliter brachiis, ſcapularum regionibus

& hu-

& humeris applicantur: cùm enim, ut in meo tractatu de venis ostendi, & caput iis in locis expurgari, & materia inde, imprimis si cucurbitulæ cum magnâ flammâ affixæ continuò deorsum trahantur, revelli queat; multùm adjumenti afferre possunt.

*Hercules Saxon*, *Petrus Aponensis Conciliator dictus*, & *Crato* in consiliis summo vertici adhibitas laudant. Et quando tertium meningis sinum, ductusq; ejus, quos per foramina cranii in vertice exsculpta exteriùs ad pericranium transmittit, considero, hoc in loco, modò prius brachii vena secta fuerit, non inutiliter affigi posse video: ex ipso enim sinu sanguinem trahendo obstructiones reserare, cerebrumq; simul in se subsidens nonnihil erigere valent. Inde legimus in vitâ *Hieronymi Fracastorii*, pag. ultim. ipsum, cum ex forti Apoplexiâ paulò ad se rediisset, loqui autē non posset, ægram, ut potuit, manum in verticem sæpius exporrexisse & innuere voluisse, ut celeriter eo loci laboranti cerebro cucurbitulam (quô peropportuno remedio se olim *Veronæ* monialem virginem divo *Bernardino* dicatam, curasse adhuc meminerat) affigerent. Re autem nequaquam ab astantibus intellectâ, cum alii alia interim remedia adhibe-

*Vertici utiliter adhibentur.*

rent, & morbus paulò pòst rediret, æger placidè ſub noctem exſpiravit.

Hirudines. *Sanguiſugæ ſeu hirudines*, cum ſanguinem quoq; ſugendo & fortiter trahendo eliciant, venis brachii, aliquando etiam aliis adhiberi poſſunt. Scribitq; *Valeſcus de Taranta lib.1.cap.19.fol.40.* Medicum quendam, cùm in Apoplectico obæſo nullas venas obſervare poſſet, cuti ferè per totum corpus ſanguiſugas applicaſſe, ſicq; ægrotum priſtinæ ſanitati reſtituiſſe.

Quæ autem hirudines ad ſanguinis detractionem eligendæ ſint, & quomodo ante applicationem præparari debeant, in alio tractatu, quem ſuo tempore videbis, expoſui: Intereà conſulere poteris Medicos Italos, apud quos hirudinum uſus frequentisſimus, & imprimis *Gavaſſetium, Hieronymum Fabric: Aquapendent:* in Chirurgicis, *Horatium Angenium*, lib. de Curatione per ſanguinis misſionem, *Herculem Saxon:*, Capivaccium & alios.

## *De Purgatione.*

Si poſt horum uſum æger paulùm ad ſe redierit, ut aliquid iterum deglutire queat, commodisſimè medicamenta purgantia ei exhibentur.

tur,ut,quod de vitiosis humoribus in cerebro reliquum est,deorsum rapiatur & evacuetur: nuspiam enim magis & rectiùs cathartica caput expurgare possunt, quàm si in ventriculo contineantur,ê quo vis eorum facilè cerebrum ferire potest. Videndum tamen probè in exhibitione medicamenti purgantis, ne quid ejus in asperam arteriam incidat, ægrumque in suffocationis periculum adducat. Idq; ut præcaveatur, nonnulli liquorem per vas aliquod, cui longus canalis, nonnihil contortus, appositus, collo profundius intrusum, protinus in œsophagum infundunt, ut inde subitò in ventriculum descendens laryngis rimulam nunquam subintret.

Conveniunt autem ex purgantibus *I. Agaricus, Fol. Senæ, Turbith, Semen Carthami* &c. *Quæ purgantia conveniant.*

*II.* Pilulæ *Cochiæ*, summopere à *Foresto* & aliis Medicis laudatæ, sæpiusq; probatæ; *Fœtidæ, Arabicæ, Indæ, Aureæ Assaireth &c.* quæ cum *trochiscis, alhandal, extract: scammonei*, aliisq; acui possunt.

Extractum *foliorum Senæ, Cnicopharmac: Agarici &c:* Utile etiam est in melancholicis *ellebori nigri* extractum, modò rectè paratum sit, nec metus de vomitu movendo adsit.

Electua-

Electuarium *diacarthami*, *indi major: diaphœniconis*, *diacatholici*, *confect: Hamech*, *hieræ Pachii seu Colocynthid:* quâ *Scribonius Largus* se multos Apoplecticos revocasse testatur, *hiera Logadii*, imprimis si melancholia abundet, ut ab Hippocrate in excellentibus ingeniis à quadragesimo anno ad sexagesimum abundare dicitur, quibus remediis omnibus, ut vis eorum citiùs ad caput ducatur, aliquid Castorei addi debet. Neque hîc verendus sapor eorum ingratus: cum enim stupidi sint ægri, à nullo sapore affici possunt.

Quo verò hæc omnia faciliùs deglutiantur, dissolvi debent in aquis aut decoctis convenientibus & appropriatis, v. gr. *Aqua Salviæ, Rorismarini, Cerasorum, Lavendulæ, Majoranæ &c.* v. gr.

*Pilulæ.*

℞. *Pill. Cochiarum* ℈ ij ß.
*Fœtidar.* ℈ j.
*Troch. Albandal.* gr. iiij.
*Castorei* gr. vj.
Cum *Oxymel. scyllitico q. s.*

Fiant Pilulæ, quæ in aquâ cerasorum & *Salviæ* ℥ iij. *vel* ℥ iiij. *dissolvi possunt.*

Vel ℞.

Vel ℞. *Pill. Cochiar.* ʒß.
*Extr. Mechoacann.* gr. xv. vel ℈j.
*Scammonei* gr. ij.
*Castorei* gr. vij.
Cum *syr. Stœchad. Arabicæ*
F. Pilulæ in Aq. Salviæ & Rorismarini dissolvendæ.

Alii sumunt *tabulas Diaturbith: cum rhab: diacarthami &c.* hasq; in aquis dissolutas exhibent.

Possunt & ex simplicibus infusa parari, ut: *Potiones.*

℞. *Fol. senæ* (quæ valde in capitis affectibus commendatur) ʒiij.
*Agarici* (qui pituitam egregiè è cerebro evacuat) ʒjß.
*Mechoacannæ* ℈ij. plus minusve, pro ægri constitutione & robore.
*Zingiber.* ℈j.
*Galangæ* ʒß.

Stent in infusione per horas aliquot
Colat. ℥iij. vel q. v. adde
*Oxymel. Elleborati* Gesneri ʒjß. vel quod satis videtur
M. F. Potio.

Quidam in aquis vel decoctis Cephalicis etiam Electuaria purgantia dissolvunt, at cum hæc crassas potiones reddant, ægriq; alias difficulter medicamenta deglutiant, rectius eorum loco ex-

tracta catharctica, quę in minore quantitate porrigi possunt, sumuntur, nec minus quam Electuaria operantur. v. gr.

℞. *Salviæ*
*Rorismarin.*
*Majoran.*
*Melissæ* an. Mß.
*Fl. Centar. minor.* P ij.
*Tiliæ* P j.
*Rad. pyrethri* ʒij.
*Angelicæ* ʒj.
*Sem. Sinapis* ℈ij.
Coqu. in aq. s. in Colat: ℥iij.
*Dissolv.*
*Ext: enicopharmac.* ℈ij.
*Mechoacann.*
*Fol. senæ* an. ℈j.
*Castorei* gr. v.
*Troch: albandal.* gr. iij. *vel q. s.*
M. Pro potu.

De purgantibus id monendum, nonnullos existimare, ea minùs tutò Apoplecticis in initio morbi exhiberi. Cùm enim, teste Hippocrate *lib.* 1. *Aphorism.* 22. *concocta non cruda, neque in initio, nisi materia turgeat, purgare ac movere oporteat;* cum temporis autem, quando purgantia à Medicis Apoplecticis exhibentur, nondum facta sit conco-

ctio,

ctio, nec etiam humores turgeant, penitùs ab iis abſtinendum eſſe cenſent, ne ex ſimplici malo duplex efficiatur.

Verùm hîc nota, *cruditatis* vocem à Medicis multifariam ſumi. Primò enim accipitur pro *humoribus vitioſis in ventriculo & inteſtinis exiſtentibus*, genitis ex cibis non rectè elaboratis. Et talem cruditatem, vel ejusmodi crudos humores Hippocrates loco citato non intelligit. Omni enim tempore hi evacuari poſſunt, nec in iis concoctio exſpectari debet ulla. *Cruditatis vox quomodo accipiatur.*

Secundò ſumitur aliquando *pro humoribus bilioſis, pituitoſis & melancholicis in venis exiſtentibus*, nondum tamen putreſcentibus, aut febres excitantibus. Et nec de talibus humoribus Hippocrates loquitur. Nam ipſemet nullâ exſpectatâ concoctione illos expurgat. 2.

Tertiò accipitur ſæpius *pro humoribus in vaſis putreſcentibus, totamq́ maſſam ſanguineam diſſimilem reddentibus*: quales crudi humores in febribus putridis occurrunt. Cum enim omnis putredo corruptionem moliatur, maſſam ſanguineam inquinat, eamq; diſſimilē reddit, ut quaſi ebullientē, natura coquendo & alterando ſeu fermētando humores emēdare, utilesq; ab inutilibus demū ſegre- 3.

*Cur in initio febrium à catarcticis abstinendum.*

gare necesse habeat. Et quia illa humorum alteratio, fermentatio, & demum inutilium segregatio succesſivè & in tempore fit, rectè jubet Hippocrates in febrium initiis à catharcticis, propriè ita dictis, seu electivè purgantibus abstinere, nec ejusmodi remediis fortiores humores *confusos* (qui *crudi* Hippocrati dicuntur) commovere & turbare: nam cum Natura nondum id omne, quod crudum est, in initio febris emendaverit, vel utile ab inutili segregaverit, adeoque nec ipsa expurgationem moliatur, nec eam Medicum tentare decet. Et quanquam eandem etiam tentet, non succurrente Naturâ, non tantum nihil, quod alicujus momenti, evacuabit, sed & confusos humores magis turbabit, ægrumq; in gravius periculum dejiciet, ut id verè & solidè explicavit & demonstravit Argenterius Comment: ad aphorismum Hippocratis jam allegatum.

*Humores Confusi Hippocr. crudi dicuntur.*

*An uno die purgandum & sanguis detrahend.*

An autem uno & eodem die venæsectione & purgatione simul uti liceat, acerrimè inter Medicos disputatur. Nos, ut breviter ex hâc controversiâ nos expediamus, dicimus, in aliis mitioribus morbis non satis tutò corpus duobus validis & generosis remediis uno die macerari, sed unum post alterum diversis diebus adhiberi posse. At in

Apoplexiâ, malo tam præcipiti etiam eâdem die venam secare & purgare licitum est: malo enim nodo malus quærendus est cuneus, hostiq; valido validè etiam resistendum & occurrendum. Quare modò nominatus *Argenterius* comment: in lib. 4. aphorism. 10. Hippocr: fol. 1326. postquam idem ferè, quod jam docuimus, ostenderat, scribit: Non defuturos, inquit, scio, qui negabunt eâdem die hæc fieri posse, quòd natura nequeat duo valida remedia unâ die sustinere, & contrarii motus ferri non possint, si subitò sibi succedant, nec differri possit purgatio in horas vespertinas, ob concoctionem alimenti. Quorum quidem rationes etsi contemnendæ non sunt in levioribus & tardioribus malis; tamen in peracutis, in quibus est præsens periculum, non soleo vereri post sanguinis missionem, interjecto spacio unius horæ, exhibitionem purgantis medicamenti, nec me unquam hujus instituti pœnituit optimis successibus confirmati &c.

*An vomitus conveniat.* *Eustachius Rudius* lib. 1. cap. 10. fol. 43. *Aetium* & *Paulum Aeginetam* fortè secutus, vomitum laudat, quo non solùm cruditates expurgentur, verùm etiam caput calefiat, & ex eo materia revellatur: cujus gratiâ ægris antimonium hyacinthinum

(proculdubio vitrum ♁ intelligit & tithymali grana,) ſed quæ? vereor ne *Ricini minoris* ſemen, quod hodie ſub nomine granorum Tylli imperitoribus pharmacopœis venditur, & tanquam novum aliquod purgans mirè commendatur: quemadmodum ante triennium in celebri urbe Bohemiæ mihi id oſtendebatur, & inſtar ſecreti communicabatur, ac, niſi hujus ſeminis notitiam antea habuiſſem, neſcio quas facultates ipſi attribuiſſent, & quomodo mihi impoſuiſſent) quæ ex Indiâ afferri & efficacisſima eſſe dicit, porrigit. *Paulus* tamen *Aegineta lib. 3. de re Medicâ cap.* 18. *fol.* 427. & Aetius lib. 2. tetrabibl. ſerm. 2. cap. 27. fol. 263. mulſo & aceto contenti ſunt, quæ ægrotantis ori infundunt, pennâq; oleo imbuta fauces ejus irritando & ſtimulando vomitum provocant.

*Grana Tylli quid?*

Verùm cum vomitus non niſi ſuccurrentibus thoracis, vel etiam abdominis muſculis commodè fieri posſit; omnes autem hi jam affecti aut reſoluti ſint, nec magnum illum naturæ conatum juvare queant, à tam ſuſpecto & periculoſo medicamento abſtinere tutisſimum eſt. Obſervaruntque *Jaſon Ziricæus*, *Platerus* & alii, multos Apoplecticos, in quibus vel Natura ſpon-

te vomitum movit, vel etiam à Medicis motus fuit, citò suffocatos fuisse. Taceo quod vomitus aliàs caput multis vaporibus impleat, & ex inferioribus partibus materiam sursum ad cerebrum deducat.

## *De medicamentis, quæ ori ægrotantis infundi debent: & in specie de Aquis Apoplecticis.*

Dum autem Medicus his omnibus materiam ê capite revellere ac evacuare nititur, non negligat quoque ea, quæ cerebrum roborent & confortent, humoresque fundant, attenuent, discutiant, eosq; simul ad motum habiles ac idoneos efficiant. Et ob eum finem convenit, mox in initio paroxismi fricare palatum *theriacâ* veteri (recens enim ob opium minùs utilis) *mithridatio*, *confectione anacardinâ*, in omnibus cerebri morbis frigidis tantopere decantatâ & probat*a*, *diacoro*, *Aurea Alexandrina* &c. quæ omnia in vino aut Aqua vitæ seu Apoplectica, addito oxymelite scyllitico, priùs dissolvi possunt. *Frictiones Palati.*

Efficacissimum ab omnibus ferè deprehensum est & *semen Sinapis*, item *radix Pyrethri.*

Alii & *Euphorbium* ſumunt, nec ejus adurendi vim timent: Quæ omnia cum caſtoreo permiſta, vel in pulverem redigi, aut in vino coqui, vel melle excipi poſſunt.

Ut: ℞. *Pulv. Sem. ſinapis*
*Rad. Pyrethri*
*Piperis longi* an. ℈ ij.
*Caſtorei* ℈ß.
Cum *melle anacardino* vel *oxymell. ſcyll.*
F. Electuarium, quo palatum fricetur. Si ſuccum rutæ ei addas, efficacius operabitur.

Ori naribusq; infundi poſſunt commodè *ſpiritus, olea, eſſentiæ, extracta, aquæ cephalicæ ſimplices & compoſitæ, clareta decocta, &c.*

*Spiritus.* Ex ſpiritibus conveniunt *Ceraſorum nigrorum, Rorismarini, Meliſſæ, Juniperi &c.*

*Olea.* Ex oleis laudantur *Salviæ, nucis moſchatæ,* per expresſionem paratum, quod in ſpiritu vini *Ol. Nucis moſchatæ &c.* diſſolutum pro ſecreto *Mercatus* habet, ſi ori, auribus & naribus ægri inſtilletur, *ol. Succini albi, Cinamomi, Meliſſæ, Lavendulæ, Rorismarini, Macis, Angelicæ, Pulegii, Rutæ,* quę tamen omnia non ſola, ſed in conveniente liquore diſſoluta uſurpanda ſunt.

*Extracta*: *Salviæ* extractum singulare ad Apoplexiam experimentum statuitur, si cum aquâ appropriatâ ægro propinetur, vel solo ejus succo palatum fricetur: nec multo minoris efficaciæ sunt Extract. *Castorei, Melissæ, Rorismarini, Helenii, Angelicæ, Acori veri, Cubebarum*. Loco extractorum & Essentiæ hodiè à nonnullis dictæ sumi possunt. *Extracta.*

*Aquæ* simplices rectè destillatæ valde quoq; potentes sunt, & plurimùm prosunt. Laudantur autem præ cæteris *aq. Rorismarini* & *Nucis moschatæ*, de quâ *posteriore scribit Hollerius* lib. 1. de morbis internis cap. 7. pag. 61. quòd inter cætera commodatissimum remedium sit, si destilletur cum spiritu vini, seq; hoc præsidio *Senectensem episcopum* horas jam 20. sideratum jacentem excitasse. Utiles & efficaces etiam hæ deprehensæ fuerunt, *Salviæ, Liliiconvallii, Lavendulæ, Cinamomi*, quæ mirè cerebrũ & cor reficit, *Melissæ*, quæ valde etiam cerebro grata, *flor: tiliæ*, quæ & humores attenuat, & simul vapores discutit, *Cyani*, quæ in loquelæ defectu singulare experimentum. Unde & Apoplecticorum palatum solis floribus Cyani, vel rectiùs eorum decocto fricare solemus. *Aq. destillata.*

In aquis hisce nonnulli Magisteria *margari-*

*tarum* & *corallicorum rubrorum* dissolvunt, easq; ita adhibitas mirè conferre credunt.

Ut: ℞. *Ext. Elenii*
*Acori veri* an. ℈ß. *vel* ℈j. *aut q. l.*
*Castorei* ʒj.
*Aq. Rorismar.*
*Infusionis lavend.* an. ℥ij.
*Cinamomi* ʒj.
*Nuc. mosch.* ʒjß.
*Magister. Corallor.* ℈ß.
*Ol. succin. albi* gutt. vjj.
*Spirit. Cerasor. nigr.* ʒj.
*Ambræ* gr. iiij.
Misc. F. Potio
de qua Cochlear. j. vel duo per intervalla ægro infundantur.

*Aq. Apoplectica.*

*Compositarum aquarum* Apoplecticarum descriptiones passim circumferuntur variæ, vixq; reperitur Practicus, præ aliis eminere cupiens, qui non novam aquam Apoplecticam in suum pharmacopolium, sæpe magis arrogantiæ quàm utilitatis caussâ introduxerit, & non rarò priorem longo usu jam probatam abjecerit, aliamq; adhuc probandam substituerit: Hoc autem quàm noxium sit rebuspubl. experientia testatur. Nam præscribere medicamentum quoddam, artis non est: quivis Medicinæ tyro id facere potest: at simplicia

*An cuivis Medico licitum sit novas Apoplecticas Aquas præscribere.*

medi-

medicamenta omnia uni & eidem affectui dicata rectè eligere, omniaq; convenienter & proportionaliter inter se miscere, hoc opus hic labor est. Accidit enim sæpe, ut duo remedia uni & eidem affectui appropriata, quæ per se sola adversus ipsum exhibita multum utilitatis afferrent, viresq; morbi, ad quem curandum porriguntur, non parum infringerent, in composito tamen nihil efficiant, sed ob contrariam naturam, & singularem, quam inter se habent, antipathiam, unum alterius vires ita infringat, ut postmodum neutrum morbo sufficere queat, imò à calore nostro in actum deducta magis inter se quàm cum morbo pugnent, hincq; totius compositi operationem impediant, corpus turbent, summasq; molestias & angustias ægris pariant, ut his non rarò deliquium animi superveniat, & Natura medicamentum demum totum per vomitum ejicere & expellere necesse habeat. Atque cum hæ antipathiæ, quæ inter plantas crebrò observantur, non omnibus notæ sint, (nam pauci se in studio Botanico hodie exercent: quique etiam se satis exercuisse opinantur, sæpê ne vulgarium plantarum quidem veram notitiam habent, & vulgatissimas herbas discernere valent; & ideo nec earum facultatum viriumq;

insitarum, quas sæpe ob inscitiam & plantarum confusionem perperàm rutæ asscribuunt, quæ salviæ debentur, scientiam habere poterunt ullam) satius esset nonnullis in cognitione simplicium minùs versatis, ab ejusmodi remediorum novis compositionibus abstinere, & in morbis tam periculosis probatis uti, quàm iis alias adhuc probandas substituere. Hinc & in bene constitutis rebuspub. lege cautum est, ut ea remedia, quæ in communem usum parantur, & ab omnibus ægris in morbis acutis & periculosis promiscuè ex officinis peti debent, à toto collegio & omnibus Medicis præscribantur, vel ad minimum ab iis approbentur, cum oculi plus videant quàm oculus, & sæpe aliquid ab hoc deprehendatur, quod ab altero non fuit animadversum. Estq; in hanc rem elegans *Cratonis* sententia in consil. *à Scholtzio collectis* 322. *fol.*909. quâ dicit: *De his omnibus*) nempe morbi caussâ locoq; affecto: ) *Medicus diligenter cogitet, atque in eo plus quàm certis medicamentorum mirificis formulis situm putet: medicinam tamen expertam cum ratione adhibitam plus valere eâ, quæ interdum subitò à doctissimo etiam Medico magnâ ratione adhibita excogitatur, non dubito, atque hac in parte rationales etiam Medicos Empiri-*

*cis ce-*

*cis cedere debere, de sententia Hippocratis statuo.*

Sed ad aquas Apoplecticas redeo, & unius vel alterius sæpius probatæ descriptionem subjungam.

Valde autem commendatur hæc *Langii:* quam habet 3. Epist. pag. 854. *Aqua Apoplectica Langii.*

℞. *Flor. primul. veris*
*Rorismarini*
*Majoran.*
*Ivæ arthetica* an. M j.
*Spec: Diambræ*
*Diamosch.*
*Diapliris* an. ℥ ß.
*Confect. Anacardina* ℥ j.
*Cubebarum*
*Ligni aloes*
*Nucis moschatæ*
*Caryophyllorum*
*Macropiperis*
*Carpo balsami* an. ʒ j.
*Rad: Acori*
*Ireos*
*Aristoloch: rotundæ* an. ʒ j ß.
*Sem. Siler. montan.*
*Peoniæ*
*Fœniculi* an. ʒ j.

*Aq. Herbæ Paralys.*
*Salviæ*
*Betonicæ* an. ℔. j.
*fl. tiliæ* ℔j ß.
*Gummi Serapin.*
*Opopanac.*
*Myrrhæ*
*Juniperi* an. ℥j ß.

Stent omnia simul mixta in infusione per dies octo, postea destillentur per alembicum in cineribus, illaq; destillatio ter repetatur.

Ex *Gabelchoveri Aqua Apoplectica*, demtis nonnullis quæ minus convenientia, & additis aliis, quæ necessaria videbantur, hanc demum composui forte non inefficacem; recipit enim cephalica præstantissima, nec pugnantia & quidem in dosi legitima, in qua interdum, qui nimis hîc religiosi sunt, peccant.

℞. *Flor. Lilii Convallii* ℔. ij. infundantur in vini Rhenani aut malvatici cantharis quatuor vel q.s. stēt per dies decē vel plures probê clausa in vase Waldeburgico, postea destillentur, liquor prodiens servetur, donec reliqui flores haberi possint. Deinde quoslibet suo tempore, vel etiam si res ferat, aliquos conjunctim infunde.

*Flor. Lavendulæ* ℔j ß.

*Tiliæ* ℥vij.
*Anthos* ℔j.
*Chamæmom. Roman.* ℥viii.
*Rutæ* ℥vij.
*Salviæ* ℥v.

Macerentur & deſtillentur ut antea. Hinc in liquore toties deſtillato, additis Spiritu aniſi ℥iij. &aq: ceraſorum nigrorum q. ſ. videtur infunde.

*Flor. primul. veris in umbra ſiccat*: M iij.
*Summ. Meliſſophyll.* M v.
*Pulegii cum flor.* M iij.
*Sem. Erucæ par: contuſ:* ℥iijß, *vel* ʒiij.
*Peoniæ*
*Carvi*
*Nigellæ* an. ℥j.
*Raſur. viſci querni* ℥ß.
*Cubebar.* ℥ij.
*Nucis moſchatæ* ℥ijß.
*Cinamomi* ℥iij.
*Galangæ*
*Caryophyllor.*
*Corticum citri*
*Macer.* an. ℥j.
*Baccar. lauri* ʒx.
*Radic. Angelicæ* ʒiij.
*Pœoniæ, Scorzoneræ* an. ℥ii.

Stent in infuſione per dies 14. poſtea lento igne deſtillētur bis, in deſtillati liquoris parte dimidia *caſtorei* portio infundi poteſt, ob mulieres, quæ bene

odo-

odorata perferre nequeunt, in alterâ infundatur aliquid *moſchi* & *ambræ*, quæ valde cerebro proſunt, ſpiritusq; reficiunt ac inſtaurant.

Convenit hæc aqua non ſolùm in Apoplexiâ, ſed & Epilepſia & animi deliquio. *Utiliter* etiam *irâ vel terrore commotis* cochlearia duo infunduntur.

*Aqua Vitæ Matthioli.*

Aqua *Matthioli* Apoplectica, quam & Elixix & Aquam Vitæ vocat, & lib. 5. in Dioſcorid. 7. fol. 907. deſcribit.

℞. *Cinam.* ℥j.
*Zingiber.* ℥ß.
*Santal. omnium* ʒvj.
*Caryophyllorum*
*Galangæ*
*Nucis moſchæ* an. ʒijß.
*Macis*
*Cubebar.* an. ʒj.
*Cardamom. utriusq;*
*Seminis melanthii* an. ʒiij.
*Zedoariæ* ℥ß.
*Sem.* *aniſi*
*Fœnic.*
*Paſtinac. ſylveſt.*
*ocymi*
*Rad.* *Angelicæ*
*Caryophyll.*

Glycir-

*Glycirrhyzæ*
*Calami odorati*
*Phu. minoris*
*Fol.* *Melissæ (pro Scharlea)*
*Menthæ*
*Calaminth.*
*Pulegii*
*Thymi*
*Serpilli*
*Amaraci* an. ℥ij.
*Flor. Rosar. rubear.*
*Salviæ*
*Lavendulæ*
*Betonicæ*
*Rorismarin.*
*Stœchad.*
*Bugloss.*
*Borragin.* an. ℥jß.
*Corticum citri* ʒiij.
*Spec. diambræ*
*aromatici rosati*
*Diamoschi dulc.*
*Diamargari. calidi*
*Diarrhod. Abbatis*
*Elect. de gemmis* an. ʒiij.

Macerentur omnia in ℔. xij. aquæ vitæ per dies aliquot, & destillentur, tandem adde

*Julepi Rosar.* ℔. j.
*Moschi*
*Ambræ linteolo inclusæ* an. ℈j.
*Santal. odorati* ʒij. *Serv. pro usu.*

Commendatur & à plurimis valdè *Aqua vitæ Andernaci*, diciturq; ad memoriam roborandam, vertiginem, Epilepsiam, & Apoplexiam, tum curandam, tùm præservandam preciosissima, ejus descriptio hæc est.

℞. *Cardamom.*
*Piperis albi*
*longi* an. ℥ß.
*Galangæ*
*Macis*
*Caryophyll.*
*Granor. Paradys.* an. ℥ß. ℈j.
*Zingiber.* ʒiij.
*Ligni aloes* ʒij.
*Cinamom.*
*Cubebar.* an. ℥ß.
*Majoran.*
*Rorismarin.*
*Menthæ*
*Pulegii*
*Rutæ*
*Salviæ*
*Nardi gallicæ*
*Asparagi*
*Fl. anthos*
*Rosar. rubr.* an. Mß.
*Sem. cumini sylvestris seù carvi* ℥ß.
*Anisi*
*Fœniculi* an. ℥j.

Cori-

*Coriand.*
*Sinap.* an. ℥ij.
*Pœoniæ* ℥j.
*Cumini Roman.* ℥ij.
*Rad: enulæ campan.*
*Irid.* an. ℥j.
*Angelicæ* ʒvj.
*Pimpinellæ*
*Pœoniæ*
*Doronici* an. ℥ß.
*Dictamni albi* ʒiij.
*Sacchari candi albi* ℔.ij.

Crassiusculè contusa aut concisa omnia infundatur in Spiritu vini quinquies rectificato, stent in infusione diebus 14: postea lento igne in B. M. destillentur, liquor destillatus, fecibus iterum affundatur, & destilletur, illaq; operatio quinquies repetatur. (Verum si primò rectè operatus fueris, toties destillationem repetere vix opus habebis) tandem destillato spiritui adde

*Croci oriental.* ℈j.
*Moschi*
*Ambræ* an. ℥j.
*Fol. Auri* ℥ß

Dosis Cochlear dimidium cum *Aq. Melissæ, Cerasor. nigror. Tiliæ* &c.

Si loco spiritus vini *Vinum Malvaticum* aut aliud generosum sumatur, optima inde Aqua Apoplectica etiam fieri potest.

*An Aquæ Apoplecticæ in initio conveniant.*

De hisce Aquis Apoplecticis, ut & sequentibus odoramentis movetur dubium, *An in initio paroxysmi rectè ægris porrigantur.* Cum enim humores crassos fundant & attenuent, magis eorum fluxum promovere, morbumq; augere, nec satis tutò ante venæ sectionem à *Johanne VVittichio* & aliis exhiberi creduntur.

Verùm etsi facilè concesserim, insignē hęc remedia penetrandi, humoresq; crassos dissolvendi vim obtinere; tamen cum plus utilitatis quàm incommodi ex illa humorum fusione in hoc affectu sperari possit, non video, cur simpliciter rejici debeant. Nam eo ipso, quo alios cerebri humores fundere dicuntur, etiam illos, qui obstructiones pariunt, dissolvere, eosq; ad motum præparare, obstructiones reserare, atq; ita spiritibus vitalibus iterum viam ad cerebrum aperire possunt; imprimis cum præter illam attenuandi potentiam & discutiendi vim habeant, ac cerebrum roborent, ut ceu à spiritibus vitalibus afficiatur sicq; affectum nonnihil reficiatur, fortiusq; caussæ morbificæ renitatur, nec tam subitò sub morbo succumbat. Probavitq; experientia sæpius, tam aquas, quàm balsama Apoplectica aliaq; similia remedia ori infusa, naribusq; ægri adhibita præsentaneum auxi-

lium

lium ipsis attulisse, multosq; servasse. Interim tamen magis tutum earum usu dicimus in Apoplexia pituitosâ, & à crassis humoribus genitâ, quàm quæ ex caussâ violentâ, & sanguine è cerebri vasis adhuc fluente producitur. In ejusmodi enim Apoplexiâ sanguineâ (nisi fortè sanguis à quadam caussa grumosus factus sit, ut infra dicetur) ipsimet suademus, ut Medici ab iis in principio morbi abstineant, ne fortè attenuandi suâ vi sanguinis fluxum promoveant, eumq; magis proritent.

Si tales aquæ ad manum non sint, herbæ vel alia cephalica in spiritu vini mox macerari ac infundi, ægroq; propinari possunt. Et quamvis spiritus vini vim aliquam stupefaciendi habeat; à plantis tamen istis narcosis ipsius ita obtunditur, ut non ampliùs cerebro nocere possit. Expertusq; horum infusorum efficaciam sæpius fuit *Platerus*, qui dicit, spiritum vini eximiâ suâ subtilitate & calore, quibus pollet, ad cerebrum vim plantarum citò deducere, & pituitam egregiè incidere, imò & exturbare.

*An plantæ in spiritu vini macerari debeant.*

*Mullerus in miraculis chymicis* experimentum affert hoc, quo & amissam loquelam statim restitui scribit:

℞. *Granor. juniperi contusorum*, *affund. S. V.* (ego spiritum cerasorum nigrorum magis probo) macerentur per triduum, in colatur. infund.
*Salviæ*
*Pulegii*
*Nasturtii (forte semen)* an. Mj.
*Croci* ʒj. De hoc liquore cochlearia duo ægrotantis ori infundantur.

Nec quoq; inutile erit Extracta, vel Essentias Plantarum cephalicarum cum conveniente liquore miscere, & ea ægris infundere.

## *De Odoramentis naribus adhibendis.*

Ex odoramentis, quæ ægri naribus adhiberi debent, conveniunt *Ruta* vel *Pulegium* aceto simplici vel lilior. convall. madefacta. Valdè efficax etiam est *Castoreum*, si in spiritu vini dissolvatur; item *Ol. Succini albi, ol. Nucis Moschatæ*, de quo supra dixi; *Ol. Salviæ, Rorismarini, Majoranæ, Melissæ, Rutæ, Spicæ*; quæ omnia ne citò evanescant, cum quodam solidiore corpore misceri, vel eorum balsama usurpari possunt

*Succus* ceparum vel *Cortices* earum naribus admota valde pituitam in cerebro attenuant,

ut &

ut & lachrymas evocent. Utilis est & *succus* raphani acris, & succus majoranæ.

*Ambra*, *moschus*, *zibethum* cerebro valde quoquè grata sunt, & mirè in hoc affectu prosunt: quibus alii & graveolentia admiscent, utpote galbanum, assam fœtidam, opopanacum, sagapenum & alia.

Suffumigia ex *sulphure*, *succino*, *capillis ægri*, *semin: nigellæ*, *rasura C. C. gummatibus* aliisq; similibus, super ignitam laminam positis, parata, etsi materiam in cerebro attenuare possint; cautè tamen iis utendum, ne fumus asperam arteriam ingrediens patientem suffocet. Suffumigia

Si autem utiliter adhiberi possent hoc sequens fortè conveniret.

℞. *Rasuræ cornu cervi* ℥ß.
*Gumm: gagatis*
*galbani*
*succini albi*
*ammoniac.* an. ʒj.
*Castorei* ʒß.
*Sem. nigellæ* ʒj.

M. F. *Pulvis*.

Vel horum loco parentur *vaporaria* dicta, Ut:

℞. Pulegii

℞. *Pulegii*
*Origani*
*Majoranæ*
*Rorismarini*
*Calamenthæ*
*Thymi* an. Mj.

Coquantur in vino, vapor ægri naribus adhibeatur, ut cerebrum afficiat.

Balsama. Pertinent & huc imprimis *Balsama*, tam *Simplicia*, quàm *composita*, *Apoplectica dicta*, quæ ex prædictis oleis conficiuntur.

Simplicia sunt Balsamum *Rutæ*, *Succini albi*, *Lavendulæ*, *Rorismarini*, *Nucis Moschatæ*, *Majoranæ*, *cinamom:* &c. Item *Balsam. Peruvian:* ex quibus demum additis nonnullis odoratis Composita fiunt. v. gr.

℞. *Ol. destillat. succini albi*
*Majoran.*
*Rutæ* an. ℈ß.
*Salviæ*
*Melissæ* an. gr. vij.
*Ambræ*
*Moschi* an. ℈ß.
*Zibethi* gr. xv.
*Ol. Nucis Moschatæ expressæ q.. ad incorporationem.*
F. Balsam.

Vel ℞. *Ol. rorismar.* gutt. vij.
*succini* ℈ß.
*rutæ* gr. viij.
*Pulveris Nicotianæ compositi*, quem Schnuptaback vocant, ℈j.
Excipiantur *Ol. nucis moschatæ* per expressionem paratæ q. s.
Misc.

Valde etiam efficax est hoc *Balsamum Apoplecticum* Crollii: *Balsamum Apoplecticum Crollii.*

℞. *Ol. nucistæ expressæ* ℥ij.
*Ambræ grisea* ʒj.
*nigræ* ʒjß.
*zibettæ* ʒijß.
*Ol. destill. lavendulæ, in quo lilii convallii flores maduerint* ʒß.
*Cinamomi* ℈ß.
*Majoranæ* ʒß.
*Caryophyllor.* gutt. vj.
*Succini albi* ʒj.
*Rutæ* ʒß.
M. F. Balsam.

Neque hisce Balsamis & Aquis Apoplecticis solummodò nares, sed & vertex, tempora, carpi regiones, & volæ manuum inungi, illiniri & fricari convenit, ut per arterias vis eorum etiam ad caput derivetur.

## De Electuariis.

Electuaria.

Si æger Electuaria deglutire posſit, ſequentia uſurpanda:

℞. *Conſerv. ſalviæ*
*fl. Lavendulæ*
*Anthos*
*Betonic.* an. ℥j.
*Rad: Scorzoner. condit.* ʒij.
*Acori veri condit:* ℥ß.
*Enulæ condit.* ʒijß.
*Spec. Diamoſchi*
*Diambræ* an. ℈ij.
*Confect: anacard.* ʒijß.
*Caſtorei* ℈j.
Cum *oxymell. ſcyllitico, vel ſyr. ſtœchad. Arabicæ.*
F. Electuarium molle.
Sign. Lattwerg.

Vel ℞. *Conſerv: anthos*
*Majoranæ*
*Lilii convall.*
*Fl. tiliæ*
*Primul. veris* an. ℥ß. vel ʒvj.
*Pulv. Cubebarum*
*Sem. Erucæ* an. ʒj.
*Lapid. carpio. ſemilunar.* ℈ij.
*Macis* ℈j.
*Nuc. moſchat.* ℈ij

*Extract. Helenii* ℈j
*Angelicæ, aut acori veri*
*Magisterii corall.*
*Perlarum* an. ℈ß.
Cum *syr. stœchad. Arabicæ* q. s.
F. Electuarium.

Commendat & Nicolaus Myrepsus in Antid. *Electuar. de Zingibere*, quem vide fol. 470. 456.

## *De Sternutatoriis.*

Postquam per venæ sectionem sanguinis copia detracta, & adhibitis clysteribus corpus probè purgatum fuit, ad particulares capitis evacuationes, maximè eas, quæ per *Errhina & Ptarmica* fiunt, confugere licet: estque inprimis laborandum, an fortè sternutatoriis cerebrum irritari possit, ut, si non sensu animali (Nam hunc non obtinet, ut alibi monstravi) tamen naturali ad expulsionem assurgat, caussamq; morbificam expellat. Habeturq; pro bono signo, si post eorum usum æger sternutet. Parari autem hæc possunt ex *Zingibere, pipere, elleboro albo, semine staphydis agriæ, radice pyrethri, euphorbio*; quæ omnia vel sola, vel cum aliis mixta pulverisari, pulvisquè eorum naribus inflari potest, paucâ tamen quantitate, ne forsan narium foramina obstruat & obturet.

Ut:

℞. *Pulv. Ellebori albi* ℈j.
*Rad. pyrethri* ℈ß.
*Castorei* gr. vij.
F. Pulvis pro sternutatorio.

*Sternutatoria.*

Alii sumunt *fibram radicis ellebori nigri*, eâq; narium tunicas vellicant, sicq; sternutationem proritant.

## *De aliis Nasalibus & Errhinis.*

Ptarmicis nihil efficientibus, convenit & alia Errhina in specie sic dicta, seu Nasalia naribus adhibere, eaq;, si forte in forma sicca ad modum turundæ ipsis indantur, filo alligare, ut iterum retrahi possint, hâc tamē cautione adhibitâ, ne nimis crassa fiant, nariumq; foramina, quæ pro respiratione libera esse decet, occludant. *Parantur* autem ex *semine nigellæ, cubebis, cariophyll: nuce moschata: radice betæ, ireos, pyrethri, cyclaminis: succo majoranæ, anagallidis, betæ, hederæ*, quem *Guilhelmus Seraphinus* valdè commendat; ex quibus omnibus, addito Agarico vel scammoneo, liquida vel arida errhina fieri possunt, Ut:

*Errhina.*

℞. *Pulv. majoranæ*
*Salviæ*
*Nucis moschatæ*

*Sem. nigellæ*
*Rad. cydamin.* an. ℈j.
*Agarici trochisc.* ʒj.
*Castorei* ℈ß.
Cum *ol. irino additâ paucâ cerâ*
F. Linimentum. Sign.
Nasensälblein.

Vel ℞. *Succi betæ*
*anagallid. Phœnic.*
*majoranæ* an. ℥j.
M. & cum pennâ illinantur nares.

Potest etiam aliquid de Agarico, & semine nigellæ addi. Si vero succi ad manum non sint, eorum loco decocta vel Aquæ sumantur.

Vel ℞. *Sem. nigellæ*
*Nucis moschatæ*
*Cubebarum*
*Caryophyllor.* an. ℈ij.
*Majoranæ*
*Salviæ*
*Rad. cyclamin.* an. ʒj.
F. Pulvis, ex quo add. therebinth. & cerâ formentur turundæ, quæ oleo illitæ naribus indi, filoq; alligari possunt.

Ex radice *ireos, betæ, cyclamin:* &c. etiam talia nasalia parari possunt, si in formam pyrami-

dalem figurentur, & in succis vel aquis convenientibus macerentur.

Vide de Ptarmicis & Errhinis plura infra cap. 46.

## *De Fomentis & Embrocationibus.*

Tandem deveniendum & ad ea, quæ non solùm cerebrum confortant & humores attenuant, sed & per insensibilem transpirationem materiam discutiunt & evacuant; inter quæ primum locum obtinent *Fomenta* & *Embrocationes*, quæ fiunt ex plantis cephalicis; utpote *Pulegio, Majoranâ, Roremarino, Meliloto*, quæ Germanis Hirnkraut dicitur, *Chamæmelo*, imprimis *Romano*, quod valde cerebrum roborat, *Hyssopo, Salviâ, Melissâ, Serpillo, Satureja, Betonica, Ruta, foliis lauri, Verbena*, quæ miram vim habet dissolvendi in cerebro humores etiam melancholicos, *calamentho, anetho, linariâ* vulgari luteâ, Clusio osyris Austriaca vocatâ, cujus efficacia mihi notissima; quibus & alia addi possunt, utpote *Baccæ lauri & juniperi*, Semin: *fœniculi, cumini, carvi: nux moscata, cubebæ*, Radices: *Angelicæ, cyperi, Ireos florentinæ, pœoniæ, acori veri* &c. v. c.

*Plantæ Cephalicæ.*

℞. *Hys-*

Fomenta & Embrocationes.

℞. *Hyssopi*
*Pulegii*
*Linariæ*
*Meliloti*
*Origani* an. Mj. vel Mjß.
*Rad. Angelicæ*
*Ireos siccat* an. ℥ß.
*Cubebarum* ʒj.
*Baccar. lauri*
*juniperi* an. ʒvj.
*Sem. Fœniculi*
*Anisi* an. ʒijß.
Incid: & contund: omnia, crasso modo, coquantur in vase clauso pro *Embrocatione* vel capitis fomento.

Vel ℞. *Calaminth.*
*Melissæ*
*Origani*
*Rorismarini*
*Fol. lauri*
*Serpilli* an. Mj. vel g. v.
*Rad. Ireos*
*Cyperi rotundi* an. ʒvj.
*Acori veri* ʒij.
*Sem. Carvi*
*Fœniculi* an. ʒiij.
*Fl. Chamæm. Roman.*
*meliloti* an. Mj.
Coq. in lixivio & vino pro Embrocatione seu fomento.

Ex relicto magmate, additis oleis convenientibus, *Cataplasmata* fieri Capitiq; applicari possunt.

Sacculi.

## *Sacculi & Cucuphæ.*

Hisce ità adhibitis, capiti raso utiliter & sacculi imponuntur, vel cucuphæ ex cephalicis composi-tæ applicantur; Ut:

℞. *Pulv. nucis moschatæ* ℥j.
*Macis* ʒß.
*Caryophyll.* ℈ij.
*Cubebar.*
*Herb. Majoran.*
*Meliß.*
*Pulegii* an. ʒj.
*Rad. Ireos*
*Cyperi*
*Angelicæ* an. ℈ijß.
*Fl. Anthos*
*Lavendulæ* an. ℈ij.
*Sem. Nigellæ* ʒj.
*Styrac. calamitæ* ℈ij.

F. Pulvis & inde *sacculi vel pilei* pro capite, qui calidè adhibeantur.

Vel ℞. *Melißæ*
*Rorismarin.*
*Majoran.*
*Fl. Chamœm. Roman.*
*Lavendulæ*

*Stœchad. Arabicæ* an. Mß.
*Nucis moschat.* ʒij.
*Macis*
*Caryophyllor.* an. ʒj.
*Rad. Ireos florentinæ*
*Cyperi rotundi*
*Sem. Nigellæ* an. ʒjß.
*Sileris montani* ℈j.

Incidantur & contundantur crasso modo, insuantur linteo tenui pro *sacculo* seu *cucuphâ*, unà, vel pluribus.

## *Inunctiones.*

Post fomentationes caput ut & occipitis regio inungatur oleis calidis, utpote *laurino*, *irino*, *rutaceo*, *castorei*, *de piperibus*, *nardino*, *de lateribus*, *de Euphorbio*, *spicæ*, *seminis sinapis*: ol. destillat. *lavendulæ*, *rorismarini*, *juniperi*, *ceræ*; quibus majoris penetrationis caussâ aliquid de *spiritu vini vel Aq. Apoplect.* addi potest; Ut: *Inunctiones*

℞. *Ol. rutac.*
*laurin.* an. ℥j.
*Semin. sinap.* ʒß.
*destill. rorismarini*
*majoranæ*
*spicæ* an. ℈j.
*Bdellii in aq. vitæ dissoluti* ʒiß.
M. Sign. Oel.

Vel paretur tale *linimentum*:

℞. *Ol. castorei*
*nardini* an. ℥jß.
*destill. baccar. junip.* ℈ij.
*ceræ* ℈j.
*Salviæ* ℈ß.
*Opopanac.*
*Bdellii in S. V. dissoluti* an. ʒjß.
*Pulv. castorei* ℈iiij
*Baccar. lauri* ʒß.
*Euphorbii* ℈j.
*Ceræ q. s.*
F. Linimentum.

*Electuaria.*

Olea destillata in fine addantur; Si enim super igne misceantur, mox evanescunt, & in auras evaporant.

## *Emplastra.*

*Emplastra.*

Laudantur & in Apoplexia emplastra, vertici raso applicata; & imprimis commendatur à Casparo VVolphio pag. 13. aliisq; *oxycroceum* Vigonis cum oleo laurino subactum.

Vel parentur nova ex *sagapeno*, *opopanace*, *Ammoniaco*, *tacamahacâ*, quam alii & solâ applicant ipsiq; multum tribuunt, *caranna*, *asâ fœtida*, pulvere *radic. pyrethri*, *Angelicæ*, semine *staphidis agriæ*, *sinapis*, *euphorbio*; ex quibus cum cerâ, pice seu resinâ emplastra formari possunt: Ut:

℞. *Galban.*
*Sagapen.*
*Opopanac.*
*Tacamahac. dissolut. in aceto* an. ℥ij.
*Pulv. sem. sinap:*
*Rad. pyrethri* an. ℈ij.
*Castorei* ʒß.
*Bacc. laur.* ℈j.
*Therebinth.* ℥ß.
*Ceræ & resinæ q. s.*
F. Emplastrum.

*Asserem cupressi calefactum Crato* & alii nonnulli vertici adhibent, eiq; magnam efficaciam assignant.

Utilia etiam sunt *melipecta Noribergensia*, si nempe calida vertici raso applicentur.

## *Sartago Candens.*

Post horum usum, si res nondum ex voto succedat, ex Arabum sententia, sartago, pala, aut alia lamina ferrea candens capiti eousque admoveri, potest ut id valdè calefaciat, & veluti pilos incurvet. Laudatq; hoc remedii genus etiam *Platerus*, quando scribit pag. 45. ejusmodi præsidium extrorsum humores egregiè eliciendo, Apoplecticos nonnullos, ut ad se redierint, effecisse: cautè tamen illa candentia instrumenta omnia capiti adhibenda sunt;

ne fortè cutim exurant, ficq; poros ejus potiùs occludant quàm aperiant, vel aliud malum pariant. Notavit enim *Forestus*, mulieres aliquando, cum juveni cuidam ex amore insanienti patinam æneam candentem, quâ lectum calefacere solebant, adhibuerint, caput ejus ita combusfisse, ut superveniente dolore intolerabili, & ulcere hinc oborto, cutim & pericranium corrodente, ipsum tandem summo cum cruciatu perire & mori oportuerit.

## *Dropax seu Picatio.*

Ad exteriora materiam trahit *Picatio* vel *Dropax*, qui vel *Simplex* est, & ex solâ pice cum oleo liquatâ conficitur; vel *Compositus*, & præter picem & oleum etiam alia nonnulla in Apoplexiâ convenientia remedia recipit; qualia sunt *piper*, *pyrethrum*, *sinapis semen*, *euphorbium*, *castoreum*, &c. Ex: gr.

*Dropax.*

℞. *Picis* ℔. ß.
*ol. rutac.* q. s. ut liquescat, adde,
*Pulv. rad. pyrethri*
*Sem. sinap.*
*Piperis* an. ℥j.
*Castorei* ℈j.
*Euphorbii* ʒß.

F. *Dropax*, qui *calidus capiti depili applicandus*, & *, antequam penitus refrigescat, detrahendus, iterumq́ apponendus.*

*Sinapismi & Vesicatoria.*

Commendantur etiam in Apoplexiæ curatione *Sinapismi & Rubificantia* tum *mitiora*, quæ *Phœnigmi* dici solent, tum *validiora*, quæ *Vesicatoria* appellantur. Mitiores sinapismi præparantnr ex seminis *sinapis & pulpæ ficuum partibus æqualibus*, vel etiam unâ parte pulpæ, & duabus sinapis, addito liquore convenient, tantumq́; rubificant cutim, & eò materiam avocant. *Fortiores* autem ex *cantharidibus*, (quarum tamen usus multis non-parum suspectus, nam malignitatis cujusdam participes videntur, & quandoque varia symptomata relinquunt; de quibus consule *Hercul. Saxon. de Phœnigmis*, & *Hieronym. Fabrit. in operation: Chirurg. part.*1.*cap.*110.*p.*486.)

Mitiores.

Fortiores.

Mitior sinapismus *Plateri* hic est:

℞. *Pulpæ ficuum ex illorum decoctione extract.*
*Sem. sinapis* an. ℥jß.
*Stercoris columbini* ʒiij.
*Piperis.*
*Euphorbii* an. ʒß.
*Castorei* ʒj.
*Ol. spicæ* gutt. vj.

M. cum aceto acerrimo, vel potius alio liquore, vim enim aliorum acetum infringere, experientia constat.

F. *Sinapismus.*

*Fortior* sinapismus, qui Vesicatorium dici solet, ex solâ *flammula* jovis, *ranunculo* & similibus, nuchæ seu brachiis adhibitis, fieri potest.

Vel ℞. *Fermenti* ℥ij. vel *q. s.*
*Pulv. canthárid. si alia ad manum non sint* ℈j. *vel* ℥ß.
*Succi flammulæ Jovis parum,*

F. *Vesicatorium.*

De *Vesicatoriis* monendum hîc, ea non satis tutò capiti adhiberi, sed, cum validè trahant, longè rectiùs brachiis, partibusq; inferioribus affigi.

*Cauteria.*

Tandem, aliis non juvantibus, Practici etiam ad *cauteria* tam *actualia* quàm *potentialia* confugere solent. Probantur autem magis illa quàm hæc, quæ nimis tardè operantur, nec sat citò in tam præcipiti malo revellere possunt. Quibus autem locis commodè ejusmodi cauteria applicari debeant, & quam malè suturæ coronali affigantur, infra in præservatione hujus affectus exponam.

ponam. Etenim magis ea ad morbum præcavendum, quàm curandum conferre existimo.

Amuleti loco *Hieronymus Montuus* in morborum Anasceve Apoplectici collo smaragdum appendit, ut nudam carnem contingat: magnamq; vim & potentiam etiam alii huic lapidi tribuunt. *Amulet.*

## *Diæta.*

De *Diæta Apoplecticorum* multis hoc in loco agere, supervacaneum est. Cum enim morbus hic acutissimus sit, statimque extremos labores habeat, & ægri nihil deglutire possint, victus ipsis extremè tenuissimus convenit; hoc est, nihil cibi morbo vigente ægrotantibus dandum, sed exspectandum, donec malum parum remiserit, & ægri iterum aliquid per os assumere queant; ubi ipsis potûs loco *hydromel*, *mulsum*, in quibus plantæ cephalicæ v.gr. *Rorismarinus*, *Salvia*, *Hyssopus*, *Melissa*, *Pulegium* &c. maduerint, porrigi potest. *Cibi* sint liquidiores, & condiantur M*acere*, *Nuce moschata*, M*ajorana*, *Caryophyllis*, *Cinamomo*, *Roremarino*. Salvia *Aer*, in quo æger servetur, sit calidus: frigus enim cerebro valde noxium. *Potus.* *Cibus.*

CAPUT

## CAPUT XL.

### *De Curatione Apoplexiæ à Melancholiâ ortæ.*

CUm ex solâ melancholiâ rarò, sed plerumq; ex melancholiâ cum pituitosis cerebri humoribus aliis commixtâ aliquandō Apoplexia excitetur, de curatione ejus in specie hîc agere supersedebimus. Ea enim, quæ in pituitosâ Apoplexiâ conveniunt, omnia & in melancholicâ utiliter adhiberi possunt; hoc tantùm observato, quòd medicamentis pituitam respicientibus etiam alia, quæ melancholiam concernunt, addi, & phlegmanagogis etiã nonnulla melanagoga, v.g. *folia senæ: polypod: asari radices, elleborus niger* &c. tum clysteribus, tum aliis purgantibus admisceri debeant: humorq; Melancholicus syr. vel extract. de *Tunicis, Meliß. Betonicæ* & similibus aliis præparandus sit.

## CAPUT XLI.

### *Apoplexiæ ex sanguine, vel aliis caußis externis & violentis excitatæ curatione.*

SI verò ob casum, ictum, vel alias externas caussas violentas Apoplexia oriatur, metusq; sit ex vasis cujusdam in cerebro ruptione; à sangui-

ne intra cavitatem cranii effuso ductûs illius comprimi & occludi, ante omnia, & mox antequam clyster injiciatur, sanguinem, & quidem largissimè, ex brachio detrahere convenit; partim ut ejus fluxus & impetus sistatur; partim ut ille, qui ad caput vergit, revellatur, & ad inferiora detrahatur. Potestq; illa sanguinis detractio, si æger ex priore nondum ad se redierit, & in altero brachio repeti, nisi quid aliud gravius obstiterit.

Cum autem rarò solus sanguis Apoplexiam excitet, sed ei utplurimum & alii crassiores humores commisceantur, hiq; ex violentia ictûs simul cum eo commoveantur, magisq; quàm ipse aliquando ductus cerebri occludant; post venæ sectionem clysteres etiam tutò & fructuosè applicantur, tandemque & purgantia exhibentur. Nec inutile erit & in hâc Apoplexiæ specie, per frictiones extremorum materiam deorsum revellere, aut cucurbitulis dorso brachiisq; affixis, vel aliis præsidiis, quæ materiam è capite avertunt; & suprà enumerata fuerunt, eandem retrahere. Ab odoramentis validis autem, aquis Apoplecticis, aliisq; calidioribus remediis in initio morbi abstinendum, ne sanguis ab iis attenuatus magis commoveatur, ejusq; fluxus promoveatur: Si autem is *An odoramenta hic conveniant.*

non amplius in motu, ſed jam grumoſus in cerebro factus ſit, vel alia etiam ex cauſsa citra externam violentiam concretus ſit, nullusq; ejus ê venis effluxus amplius metuatur, & iisdem, ut & aliis reſolventibus, iterum tuto uti licet. Poſſuntq; etiam ea de cauſsâ capiti Cataplaſmata *ex abſinthio, cerefolio, artemiſia, meliſſâ, chamædry: ſcabiosâ*, radic. *angelicæ, cyperi, imperatoriæ;* florib. *ſambuci, tiliæ*, aliisq; ſanguinem concretum diſſolventibus parata applicari, vel *pullus columbinus* aut gallinaceus per medium diſſectus & calens adhuc, (egregiam enim diſcutiendi vim obtinet,) vertici imponi, peccansq; materia demum per particulares evacuationes alias educi.

*An repellentia conveniant.*

Unicum ſaltem hîc quæritur, an nempe in hâc Apoplexiæ ſpecie *repellentia* conveniant? In aliâ enim, quæ ex craſsis humoribus producitur, non convenire certum eſt: an autem in hac tutò uſurpentur, inter Medicos controvertitur.

*Jacchinus* & *Foreſtus* ea ſimpliciter rejiciunt, eò quòd nullum indicans, quod ea poſtulet, in hoc morbo adſit. Duplici enim de cauſsâ repellentia uſurpari dicunt: 1. ad *augmentum morbi prohibendum*, 2. ad *fluentes humores repellendos*, ne cauſſam, proximam foveant. Pro primo ſcopo in-

quit

quit Forestus non adhiberi posse, ideo quòd Apoplexia confestim & illico ad statum perveniat. Pro secundo autem, revulsoria præsidia sufficere. Idemquè ferè *& Petrus Salius Diversus* ostendit, quando in Apoplexiâ repellentia nec ratione humoris peccãtis, nec ratione principii cõvenire demõstrat.

Contra alii, ut *Rhases*, *Montanus*, *Massarea*, *Jason Ziricæus* &c. repercutientia, si caput æstuet, sanguisq; adhuc fluat, tutò usurpari, & à Galeno etiam in omnibus capitis affectibus commendari statuunt: Id tamen simul monent, ne repellentia actu frigida, aut validè astringentia capiti adhibeantur, sed *oxyrrhodina* saltem, quæ parant ex *aq. rос.* ℥ij. *succ. plantag. aceti rosac.* an. ℥j. *album ov.* n. ij. *&c.* Olea vero ob laxitatem omittunt.

Verùm cum hæc repellentia materiam intrò pellant, & cerebri finibus magis impingant, humorumq; resolutionem impediant; eorum usus non immeritò & in hac Apoplexiæ specie suspectus videtur, etiamsi post venæsectionem adhibeantur: Et quamvis sanguinis ratione quodam modo convenire possent; cum tamen, ut antea dictum, hic raro solus Apoplexiam faciat, sed alios crassiores humores admixtos utplurimum habeat, horum ratione non adeò convenienter applicãtur.

Nec *Galenus* repellentia in Apoplexia laudat, sed in capitis affectibus prodesse dicit, iis scilicet, in quibus quid utilitatis afferre valent, quod hîc fieri non potest.

Si verò *cranium ex ictu, casu, vel aliis* de caussis *depressum* fuerit, opera danda, ut portio ejus depressa elevatorio iterum attollatur. Neque inutile erit in sanguineâ Apoplexiâ interdum, si opus, cerebello cranium perforare, ut, si quis sub eo etiam contineatur, sanguis effluat, rectiusq; à natura morbi caussa expurgari queat.

*Notha* Apoplexia, in quâ prorsus cerebrum collabitur & quasi diffluit, lethalis est, nec ullam turationem suscipit, ægrique in eâ citò moriuntur.

## CAPUT XLII.

### *De Curatione sensuum consternationis à spirituum affectione ac conturbatione, ob flatus potissimum ex hypochondriis ascendentes.*

CUratio Affectûs, quem supra sub nomine sensuum consternationis à spirituum turbatione, tanquam ab actione læsâ maximè evidente, descripsimus, cum magnam cum Apople-

xiæ cognationem habeat, & de ea quædam hîc addere lubet.

Flatus ubi generentur.

Quanquam autem flatus etiam in ipso capite vel alibi generari possint: aut extrinsecus interdum, à ventis vel aliis rebus odorem gravem & fortem, vel etiam fœtidum spirantibus, ut sunt, Coriandri folia, Scarlea, Ocymum, Scrophularia, Cicutaria fœtida; odor locorum palustrium: Thermarum nonnullarum; cadaverum putrescentium, cloacarum, & similium, in cerebrum penetrent, idq; repleant: tamen qui hoc malum, de quo hic agimus, pariunt, potissimum ex infimo ventre, ex humoribus pravis & corruptis, sæpè etiam malignitatem aliquam obtinentibus, ibi collectis, ascendunt: Quare utilissimum est, eos per idonea remedia non solum discutere, sed & deorsum revellere, demumque prorsus una cum materia ê qua elevantur evacuare. Id quod *frictionibus Extremorum*, *Clysteribus*, qui flatus, eorundemque materiam expurgant & simul revellunt: *Sudoriferis*, vapores per Corporis habitum expellentibus; aliisq; *discutienibus* capiti vel naribus adhibitis: imò demum & *Vomitoriis*, commodissimè fieri poterit.

*Clysteres* ex *Emollientibus* supra enumeratis

confici possunt; quibus tamen flatus discutientia: ut *Veronica*, *Origanum*, *Baccæ Juniperi*, *Lauri*; Semina *Anisi*, *Fœniculi*, *Carvi*, *Cumini*: Item alia quæ humores vitiosos, sæpè & scorbuticos, in hypochondriis respiciunt; ut sunt, *Fumaria*, *Carduus Benedictus*, *Betonica*, *Chamædrys*, Melissa, *Scolopendrium verum*, *Chelidonium minus*; Flores *Genistæ*, *Centaurii minoris*. *Sambuci*, *Chamæmel.* Semen *Aquilegiæ*. Radic. *Scorzoneræ*, *Elenii*, *Filicis*, *Oxylapathi*, *Polypodii* *Asari*, *Ellebori nigri*, *Cortices Tamasci*, Rad. *Cappar.* vel si humores, flatusq; calidi & acres simul sint, etiam *Acetosa*, *Violariæ*, *Borrago*, *Buglossum*, & similia addi possunt.

Ut:

℞. *Malvæ*
*Mercurial.* vel *Betæ* an. Mj.
*Fumar.*
*Card. Bened.*
*Fl. Chamæm.* an. Mß.
*Sambuci* an. Pj.
*Sem. Aquilegiæ* ʒjß.
*Carvi* an. ʒj.
*Rad. Scorzoner.*
*Polypod.* an. ʒiij.

Coq.

Coq. in ſ q. a. ſ. in Colat. ℔. j. diſſolv.

*Bened. Laxativ.* ʒiij.

*El. Diacathol.* ℥. ß.

*Diaphœnic.* ʒjß. *vel q. ſ. v.*

*Ol. Anethi*

*Violar.* an. ℥j.

M. F. Clyſter.

Vel ℞. *Malva*

*Parietar.*

*Branc. Urſinæ* an. M j.

*Mercurial.*

*Betonicæ*

*Fl. Chamœm.* an. Mß.

*ſumm. anethi* P. ij.

*Centaur. minor.* P. j.

*Rad. Lapath. acuti*

*Scorzoneræ* an. ʒiiß.

*Bacar. Juniperi* ʒiß.

*Sem. Aquilegiæ*

*Aniſi* an. ʒj.

*Cumini* ʒß.

Coq: in Aq. ſ. in Colatur: ℔. j. diſſolve.

*El. Diacathol.* ℥ß.

*Benedict. laxat.* ʒiij.

*Hieræ ſ.* ʒij. *vel* ʒiij.

*Ol. Anethi* ℥ß.

*Chamæm.* ℥jß.

M. F. Clyſter.

*Ori quæ infundenda.* *Ori ægrotantis infundi* possunt, quæ Cor & cerebrum roborant, spiritus reficiunt flatusq; discutiunt: Ut sunt, *Aquæ Apoplectica*, *Vitæ*, vel *Epilepticæ*, cordialibus mixtæ. *Aquæ.* Valde efficax est Aqua *Melissæ* cum vino destillata: Item Aqua *Carfunculi, Cinamomi, Zedoariæ, Cardui Benedict., fl. Tiliæ, Dentariæ aphyll:, Infusionis Lavendulæ*; & si flatus humoresq; acres & calidi existant. Aq: *Borrag. Acetosæ, Fragorum, Calendulæ fl. Tiliæ* &c. hisce omnibus utiliter adduntur.

*Spiritus.* Ex *Spiritibus* conveniunt, *Anisi, Juniperi, Melissæ, Cerasorum*, quos tamen nunquam solos, sed cum aquis convenientibus parum temperatos, exhibere convenit.

Si vis *Narcotica* quædam in flatibus metuatur, spiritibus parcius utendum, & potissimum aquæ enumeratæ usurpandæ, hisq; acida, vel etiam acetum ipsum addendum. Apud huius Pharmacopœi antecessorem olim in nostra officina Aqua *Apoplectica acida*, quam Sauerschlagwasser vocabant, prostabat, cujus in discutiendis flatibus vim, sæpe expertus fui: Vel si hæc ad manum non est, commode cum jam nominatis aquis *succus* *Succi.* *Citri, Granatorum, Rhibium, Berber:* Item Syrup: *Aurantior acidor:, Acetosus, de Tunicis &c.* miscētur

hæc

hæc enim præterquam quod narcoticorum vim valdè obtundant, cordi quoq; mirificè ſuccurrunt, & ab eodem materiam noxiam depellunt, flatusq́; mirè deprimunt, unde in Melancholiæ Hypochondriacæ paroxyſmo ſæpè præſentaneum auxilium afferunt.

Utiliter & in hoc affectu exhibentur *Eſſentiæ, Extracta, Confectiones* & alia cap. 39. expoſita: Imprimis autem hic convenit *Confectio Alchermes*, ſi in Aqua *Apoplectica*, aut alia *Cordiali*, vel etiam vino malvatico diſſoluta, exhibeatur. *Eſſentiæ Extracta &c.*

*Theriaca*, cum flatus optimè quoque discutiat, eorum malignitatem corrigat, eosque à corde validè depellat, & ſimul ſudorem cieat, hic quoque cum liquore conveniente exhibita egregiè confert. *Theriaca.*

Magnarum etiam virium ſequentia ſunt: Spec: *Confect. de hyacynth. Cordiale, Diamoſch. dulc: Diambræ: C C. cum vel ſine uſtione præparatum*, Magiſter. *Corallor. Perlarum*, Semen *Aquilegiæ, Cardui Benedict: Caſtorium*, quo in flatibus diſcutiendis, & roborando cerebro vix aliud efficacius; *Ambra*; quæ Spiritus valdè inſtaurat; *Spiritus* ☿ *Compoſitus*, qui mixtura ſimpl. appellatur & ſpiritum Theriacalem recipit: *Bezoarticum minerale*; Lap: *Be-*

*zoar* : ol: *Succini*; quod ad ſpiritus recreandos & inſtaurandos experimentum ſingulare: ex quibus varia remedia parari poſſunt.

Ut:

ationes. ℞. *Aq.* *Meliſſ. c. vin.* ℥jß.
*Cinamom.* ℥j.
*Acetoſæ*
*Fl. Tiliæ*
*Zedoariæ* an. ℥ß.
*Julep. Roſac.*
*Succi Citri*
*Granator.* an. ʒvj.
*Confect. Alchermes* ℈ij. *vel* ʒj.

M. F. *Potio*, de qua ægro per intervalla aliquid infundatur.

Sign.
Tranck:

*Alia Potio efficacior.*

Alia Potio. ℞. *Aq.* *Apoplectic. c. Caſtoreo vel ambr.* ℥iß.
*Epilepticæ aut carfunculi, vel Aq. vitæ Matthiol. aut Andernac.* ℥ß. *plus minusvè*
*Cinamomi* ʒvj.
*Meliſſ. cum vino* ℥j.
*Card. Benedict.* ʒvj. *vel eius loco Aq.*
*Fl. Tiliæ aut dentariæ aphyll. q. ſ.*

*Spirit.*

*Spirit. Anisi* ℥ij.
*Succi Citri*
*Vini granator.*
*Syr. de Tunicis* an. ℥vj.
*Confect Alkermes* ℥j.

M. F. *Potio*, propinentur de ea ægro ſæpius cochlearia duo, vel tria.

Vel:

℞. *Extr. caſtorei liquid.* ℈ß.
*Miſtur. ſ. ſeu Spir.* ♀ *Compoſ.* ʒß.
*Aq. Meliſſæ*
*Card. Bened.* an. ℥j.

M. F. *Potio.*

Sign.

**Tranck auff 1. mahl.**

Utiles ſunt & hi *Pulveres.* *Pulveres.*

℞. *Spec. Confect. de hyacynt.*
*Pulv. gran. Chermes* an. ℈ß. *vel* ℈j.
*Ambræ* gr. v. *vel q. l.*
*Lapid. Bezoar.* gr. v. *vel.* vij.

M. F. *Pulvis.*

Sign. **Pulver.**

℞. *Card. Bened.* ℈j.
*Caſtorei* gr. viij.
*Spec. Cordial.* ℈ß.

M. F. *Pulvis.*

Sign. **Pulver.**

Vel ℞. *Magister: Corallor:*
*C.C. sine ustion. præpar.* an. ℈ß.
*Bezoartic. miner:* gr. ij.
*Bezoar.* gr. iij. *vel q. v.*
*Pulv. gran. chermes* ℈ß.

M. F. Pulvis, qui vel in potionibus modo præscriptis, vel Aquis solis exhiberi potest: Si æger post horum usum sudet, flatus citius discutientur.

*Odoramenta.* *Olfacienda* exhibeantur, quæ spiritus reficiant, flatus discutiant, & malignitatem eorum emendent: ut sunt, *Pulegium* & *Ruta*, quæ aceto madefacta mire in hoc affectu prosunt. *Fl. Chamæmeli Romani*, qui anima quasi cerebri & spirituum dici possunt: *Majorana*: Balsam. *Apoplecticum*, *Rutæ*, *Rosmarini*, *Succini*, *Majorana*, & alia similia.

*Inunctiones capitis.* Caput inungatur oleo *anethino*, *Chamæmelin: Irino*: vel vertex irroretur, *Aq. Cephalica Externa*, valde hic utili, quam infra cap. 46. descripsimus: aut foveatur decocto *Anisi*, *Chamæm: Meliloti*, *Melissæ*, *Pulegii*, *Salviæ*, *Serpilli*, *Majoranæ*, *fol. Lauri*: Flor. *Lavendulæ*, *Linariæ luteæ*, *Sambuci*, Radic. *Cyperi*, *angelicæ*, Sem. *Cumini*, *Carvi*, *Fœniculi*, *Anethi*, *&c.* vel applicetur ei hic sacculus.

*Sacculus.* ℞. *Pulegii* Mj.
*Majoranæ*

*linariæ luteæ* an. Mß.
*Rad. Ireos*
*Cyperi*
*Angelicæ* an. ʒij.
*Fl. Chamæm.*
*Meliloti* an. Mß.
*Sem. anethi*
*Cumini* an. ʒj.
*Milii torrefacti* Mß.

F. *Sacculus* capiti imponendus.

Si materia circa ventriculum potisſimùm hæreat, & ad ſuperiora vergat, non inutile eſt & *vomitum* provocare: non enim muſculi in hiſce ægris, ut in Apoplecticis, reſoluti ſunt, & natura non rarò per vomitum ſeipſam à tali morbo quoque liberat. *Vomitoria.*

℞. *Aq. hordei* ℥iiijß.
*Anethi* ℥jß.
*Syr. acetoſ.*
*Oxymel. ſimpl.* an. ℥ß.
*Olei communis* ʒvj.

M. F. *Potio*, quæ ægrotantis ori infundatur.

Sign. Brechtranck.

Vel ℞. *Sem. atriplic.*
*Raphani* an. ʒj.
*Rad. Aſari* ℈j.
*Betonicæ* ʒß.

 Coq.

Coqu. in hydromel. in Colat.
℥ iiij. diſſolv.
*Oxymel. ſ. aut ſcyllit.* ℥ j.
M. F. *Vomitorium.*

Si maturandus eſt vomitus, ſola *Aqua tepida*, cum *butyro aut oleo* ſimplici exhibeatur: vel Pulv. *Rad. Aſari*, aut *Sal* ⊕ *albi* cum aquis convenientibus vel jure pingui propinetur.

Vel

℞. *Aq. Nucum*
*Raphan.* an. ℥ ij.
*Oxymel. ſimpl.*
*Ol. amygd. dulc.* an. ℥ j.
*Salis* ⊕ *albi ſeu gillæ* gr. iiij. vj. *vel q. ſ. videtur.*

M. F. *Vomitorium.*

*Vena ſectio.* Cum & *Venæ ſectio* humores à capite avertat, flatibusq; exitum concedat, nec ea planè in hoc morbo omittenda erit, modò alia conſentiant, nihilq; adſit gravius, quod eam prohibeat.

Poſt Paroxyſmum materia è quâ flatus elevantur, per alterantia medicamenta corrigenda; tandemque ſenſim evacuanda, & ſi mala quædam in viſceribus diſpoſitio adſit, ea, ne alios vitioſos humores iterum generet, emendanda.

CAPUT

## CAPUT XLIII.

### *A Fulmine læsis, quomodo succurrendum.*

FUlmen etsi rarius Apoplexiam veram excitet, (nam ut plurimum homines vel planè occidit, vel ipsos, læsis potissimum organis vitalibus, ita prosternit, ut colore faciei vivido deperdito, pulsuq; & respiratione prorsus ferè ablatis, motuis similes appareant) tamen si & id aliquando contingat, ut interdum contingere suprà pag. 158. ex Benivenio, Cardano & aliis annotavimus, sciendum in hisce Attonitis curationem quidem eo modo, quem cap. 39. proposuimus, instituendam esse; verùm cum fulminis vis maligna etiam sit, cordi quoq; insigniter læso simul prospiciendum esse, ac medicamentis Cephalicis ibi præscriptis etiã cordialia spiritusq; vitales reficientia addi debere: Venamq; insuper magnâ cautione secandam, corpusq; non facilè fortioribus purgantibus debilitandum esse, ne, cum non solum cerebrum, sed ut modò dictum cor etiam hic primariò affectum, viresq;, non tam ex oppressione quam resolutione debiles existant, prorsus eæ deijciantur, ægriq; confestim jugulentur.

*A Fulmine Apoplectici facti, quomodo tractandi.*

Frequen-

*Fulmine læsis quomodo subveniendum.*

Frequentissimè autem, ut jam etiam annotatum *Fulmen*, in iis, quos tangit, nec planè occidit, Germani vocant **vom Wetter oder Donner geschlagen**/ cor vehementer affligit, ejusq; actiones lædit, & Spiritus vitales, quasi homines syncope laborarent, graviter afficit aut extinguit. Quare si ad hosce sanandos Medicus vocetur, & aliquod vitæ indicium adhuc superesse videat, unicè laboret, ut Spiritus citò revocentur, reficiantur, ac reparentur, corq; à malignitate, qua opprimitur, illicò liberetur. Et ideò ante omnia, prius tamen ægri vestibus detractis, ut cor liberius per arterias transpiret; nec vapores maligni, in vestibus adhuc hærentes, magis in corpus transpiratione trahantur, extrema corporis fortiter ligentur, aut linteaminibus; baccis *Juniperi: foliis lauri, Rutæ*; Radic. *Angelicæ* &c. suffumigatis, fricentur, volæq; manuum, & plantæ pedum; ut & arteriæ in carpi regione, & circa tempora, ubi pulsus observatur, *Theriaca* in vino malvatico, aut aqua vitæ conveniente dissoluta inungantur.

*Interna Medicamenta.*

Ori infundantur *Aq. Apoplecticæ, Cordiales*, vel alia etiam medicamenta Cor potissimum respicientia, Spiritusq; vitales reficientia, & auræ malignæ resistentia; qualia & quidem sæpius probata

ſunt *Theriaca*, de qua mox ℈ij vel ʒj. Cum *Aqua Apoplectica*, aut *Vino Malvatico* utilisſime exhiberi poſſunt: Item *Confect. Alkermes*; *Lapis Bezoar*, *Radic. Angelicæ*, *Vince toxici*, *Scorzoneræ*, vel paretur hæc potio.

℞. *Aq. Meliſſæ c. v.* ℥iß.
*Cinamom.*
*Apoplecticæ*
*Card. Bened.* an. ℥ß.
*Confect Alchermes* ℈ij. *vel* ʒj.
*Lapid. Bezoar.* gr. vj.

M. F. *Potio.* Poteſt etiam *Bezoar* ſolus cum potione hac exhiberi.

Aliæ potiones Cordiales & Cephalicæ, præcedente capite deſcriptæ, hic quoq; conveniunt.

*Electuarium.* Si æger *Electuaria* deglutire poſſet, hoc utile eſſet.

℞. *Conſ. Meliſſæ* ℥j.
*Tunicis* ℥ij.
*Borrag.* ℥j.
*Rad. Scorzoner. condit.* ℥ß.
*Fl. Citri condit.* ʒiij.
*Spec. Confect. de hyacynth.* ʒj.
*Pulv. Unicornu veri* gr. vij. *vel C C. ſ. uſtion. præpar:*
*Magiſter: Corallor.*
*Perlarum* an. ℈ß.
*Lapid. Bezoar.* gr. vj. *vel* ℈ß.

Cum *Syr. Cinamomi q.s.*

F. Electuarium molle.

Cum *Sudor* venena ad exteriora corporis propellat, danda opera, ut post horum usum æger nonnihil sudet.

*Odoramenta.* *Naribus* adhibeantur *Pulegium*, vel *Ruta* cum aceto; Balsamum *Apoplecticum, Rutæ, Succini, Majoranæ, Cinamomi.*

*Palatum* fricetur Theriaca & Mithridatio.

*Epithema.* Cordi applicetur sequens *Epithema*.

℞. *Aq. Rosar. fragr.* ℥iß.
*Meliss.* ℥ijß.
*Rorismarin.* ℥j.
*Vini Malvatic.* ℥iß.
*Succi Citri* ℥j.
*Pulv. Caryophyll.* ℈j.
*Theriacæ* ʒj.
*Camphoræ*
*Croci* an. ℈ß.

M. F. *Epithema* pro corde.

*Maculæ & pustulæ quomodo curandæ.* Quod si corpus à fulmine simul exustum fuerit, inq; eo maculæ aut pustulæ nonnullæ appareant, iis protinus *Cape* cum sale, *foliis rutæ & theriaca* conquassata applicanda: Eschara scalpello aut forficibus excidenda, ulcusq; debito modo tractandum: de quo consule *Chirurgum Excellen-*

tißi-

*tißimum, Guilhelmum Fabricium* lib. *de Combuſtionibus*, in Theſauro Chirurgico fol. 1163.

A Venæſectione autem, validaq; purgatione ut antea dictum, hîc abſtinendum, ne fortè vires, ſat alias debiles & reſolutæ, magis dejiciantur. Si tamen æger nonnihil ad ſe redierit, vireſq; ferant, ſuppoſitorio, vel leni Clyſtere alvum emollire, & primas ſaltem vias evacuare, non inutile erit. *An Venæſectio & purgantia hic conveniant.*

## Caput XLIV.

### *Quomodo illi, qui à Vaporibus Metallicis; Carbonum vel Muſti exhalationibus; Item aqua aut laqueo penè ſuffocati ſunt, in vitam revocari debeant?*

SÆpè accidit, ut à *vaporibus Metallicis*, quos Metallarii den Bergſchwaden vocant; vel etiam *Muſti, Cereviſiæ*, aut *Carbonum* (ſi fortè hi non veram Apoplexiam excitent, ut crebrò contingit) *exhalationibus* homines quaſi ſuffocentur; & niſi ipſis protinus ſuccurratur, planè etiam extinguantur. Quarè ſi talis æger fortè curandus offeratur, is mox in liberum aerem deportandus; veſtes ipſi detrahendæ, atque extrema linteis calidis fricanda ſunt. *Curatio quâ ratione instituenda.*

*Ori* infundantur *Aquæ Apoplecticæ, Aq. Vitæ*, in quibus *Theriaca*, quæ hîc valde utilis, dissolvenda. Item Aqua *Zedoariæ*, quæ ad vapores metallicos præsentaneum remedium creditur. *Cinamom. Carfunculi:* Probata sæpius in hoc malo est *Aqu. Vitæ Matthioli*, quâ plures à vaporibus metallicis penè enectos, se in vitam revocasse Doct: D. Hornick. mihi certò referebat.

*Frictiones Palati.*

*Palatum* fricetur *Theriaca* & *Mithridatio*, quib. utiliter extractū *castorei* liquidū permisceri potest.

*Epithema.*

*Cordi* adhibeatur Epithema suprà descriptum, cui aliquid de Aqua Zedoariæ addendum.

Facultas animalis sopita *vellicatione* pilorum, aut *sternutatoriis* vel similibus excitetur.

*Alvus* suppositorio aut Clystere irritetur: *Vomitusq́*, qui valdè convenit, mox initio provocetur, eo modo quo suprâ cap. 42. expositum fuit.

*Testes consensum habent cum corde.*

*Testes* vino calido, in quo *Cinnamomum, Caryophylli, nux moschata, melissa* &c. ebullierint, foveantur. Cùm enim magnum cum corde consensum habeant, cordialia medicamenta in virium defectu, vel aliis cordis affectibus iisdem etiam adhibita plurimùm prosunt.

*In Aqua ferè suffocati, quomodo revocandi.*

Quod si æger in *aqua* penè suffocatus sit, consulit quidem Halyabbas, ut pedibus suspendatur,

capi-

capite demisso, quo eo modo aqua commodius effluat. At malè: nam in illo corporis positu inverso & præternaturali, imi ventris viscera nonnulla diaphragma valdè comprimunt & respirationem impediunt, atque ut æger citissimè suffocetur, efficiunt. Taceo, quod magna copia aquæ corpora illa non subintret, ut ipse in ejusmodi suffocatorum sectionibus sæpius deprehenderi, sed hi maximè ob aerem interceptum extinguantur. Idcircò, cum magis Medicū de actione vitali revocanda, quàm aqua evacuanda sollicitum esse oporteat, protinus tales ęgros in locū calidū deportari, *linteisq́ calidis* probè foveri jubeat: *naribus* eorū adhibeat odorata, quę spiritus instaurent cerebrūq; ac cor reficiāt, quorum suprà passim mentio facta fuit: Cordi epithemata applicet, *Testes foveri* curet, decocto jam descripto: demumq; *ori* infundat aquam *Cinamomi, vitæ, Apoplecticam, Carfunculi, vinum malvaticum* & similia: detq́; operam ut Spiritus iterum revocari & facultas vitalis excitari possint. Vulgus ex *Guidone* piper in aceto decoquit, decoctūq; addito pauco melle ægris utilissimè infundit. Tandē si ægri ad se redierint, decocto ℞. Chamem: sudor provocetur, sæpius enim hoc à *Foresto* in ejusmodi malo probatum.

*Suspensi ferè quomodo in vitā revocari possint.*

Non planè dissimili modo & à *laqueo* ferè enecti interdum restitui possunt, si nempè repentè & horum *extrema fricentur*, *collumq́;* constrictum ut aperiatur, oleis calidis *foveatur*, *larynx* si opus dilatetur, *ori* pulvis nucis moschat:; caryophyllor:, cinnamom:, Pulegii, & qui hîc maxime utilis, Carii inspiretur; aut horum aquæ vel extracta, aliaq; suprà enumerata cephalica & cordialia efficacia, quæ citò operentur, infundantur. Convenit etiam hîc, sanguinem per *venasectionem* ventilare. Nam *Diomedes* Cornarius in historiis admirandis refert Anno 1492. *Conradi* Praiteneurs de Puchberg ob furta strangulati corpus, Medicis secandum traditum fuisse. Cum autem hi animadverterent, aliquem spiritum vitalem in eo adhuc superesse, quamvis morti valde propinquus esset, ex utraq́; cephalica sanguinem largissimè detraxerunt, aliaq; simul necessaria administrantes, homini vitam restituerunt. Memorat & idem *Cornarius* An. 1440. 16. Martij, cum *Viennæ* octò fures suspenderentur, unum eorum Anatomiæ destinatum, ad spiritum S. introductum fuisse. Sed cùm nec eundem planè mortuum Medici observarent, simili modo ipsum servarunt, liberumq; dimiserunt. Hinc etiam *Joubertus* cap. 1. de affect. Tho-

cac:

rac. ſcribit, ſe amoto laqueo, ſanguinis misſione, & vini meracioris hauſtu aliquot ſuſpenſos reſtituiſſe. Nec inutiliter & hîc *Balnea* inſtituuntur. Nam *Verulamio* lib. de vita & morte narrat, ſe à Medico audiviſſe, quod hominem, qui ſe ſuſpenderat, atq; per horam dimidiam ſuſpenſus manſerat, in vitam balneis calidis & frictionibus reduxerit. Ita & Doctisſimus *Riolanus* refert, ſe à parente ſuo, Medico etiam doctisſimo audiviſſe, Pariſiis quendam ſuſpenſum & ſectioni deſtinatũ vitæ ſuperſtitis indicia dediſſe, atq; ideo Medicos, à ſectione (& quidem rectè, nam ejusmodi corpora incidere humanitas & pietas vetat, Mediciq; non adſunt, ut vitam hominis perdant, ſed eandem conſervent,) abſtinuiſſe, ſtudioſosq; Medicinæ calidis fomẽtis & aquâ vitæ ſtrangulatũ rurſum in vitam revocaſſe, ut is ſalvus & incolumis abierit. Quæ non ideo recenſeo, ac ſi Medicos de ſuſpenſis in vitam revocandis adeo ſollicitos eſſe oporteat, ſed ut in his aliquando vitam latere, eamq; idoneis remedijs adhibitis iterum excitari, iſtisq; etiam hominibus, modò anima adhuc corpori inſit, ope artis Medicæ ſpiritum, ſi fortè opus fuerit, reddi poſſe omnes videant, atq; inde medicamentorum potentiam rectius cognoſcere diſcant.

CAPUT

## CAPUT XLV.
### *De Stuporis ab Ebrietate curatione.*

REferri & huc poteſt *ſenſuum ſtupor gravis*, à nimio Vini; vel ejus ſpiritus, aut etiam Cereviſiæ multo lupulo conditæ uſu, vel aliis narcoticis inductus, in quo ægri interdum, ac ſi Apoplectici eſſent, inſenſiles jacent, aſtanteſque & cognati Medici opem implorant.

Utilisſimum autem eſt & in hoc ſtupore mox per *vomitum* ventriculum evacuare, eundemq; ab humoribus, narcoticam vim obtinentibus, quos continet, liberare: Poſteaque ori ebrii *Acetum*, *Succum Citri*, *Granatorum*, vel alia *acida*, quæ valdè vim narcoticam infringunt & corrigunt, infundere; demumq; ad temperandum calorem viſcerum, eidem Julepum refrigerantem, vel quod ſæpius probatum in hoc affectu, *lac Caprinum* propinare: Vel ſi hoc ad manus non eſt, ejus loco *Emulſio* talis parari poteſt.

*Acida vires narcoticam infringunt.*

*Emulſio.*

℞. *Amygd. dulc. excortic.* n. x.
*Sem.* *Melon.*
*Cucurbit.*
*Cucumer. excortic.* an. ʒj.

*Aq.*

*Aq. hordej* ℥iij.
*Lactucæ* ℥j.
*Portulac.*
*Acetosæ* an. ℥ij.
*Julep Violac.* ℥j.
M. F. l. a. Emulsio.

Aliqui Testibus linteolum *Oxycrato* imbutum frigidè admovent, taleq; remedium ebrietatem potenter corrigere dicunt.

Si caput post somnum doleat, *oleo rosaceo* cum succo *Betonicæ* & *hederæ* mixto, inungatur. Valde enim efficax ad sanandam ebrietatem hedera statuitur: ita, ut antiqui quando largius potare ipsis animus erat, caput lauro, hedera & anetho cingerent; quidam ne ebrientur *amygdalas amaras* vel *brassicam* comedunt; alij ol. *amygdalarum dulcium*, vel *olivarum* Uncias tres ebibunt, nonnulli *absinthij comas* mane assumtas laudant, rectius autem facere videntur illi, qui non mox in prima mensa potum ingurgitant, sed ab eo ad horam unam vel alteram abstinent, donec ad satietatem ferè comederint: refertq; in observation: *Platerus* pag. 38. se etsi aliquando liberalius biberit nullam tamẽ, modò hoc observaverit, inde offensam sensisse, aliosq; , quos id docuerat, ita egregiè ab ebrietate etiam præmunitos fuisse.

Quod, ut potatoribus etiam gratificarer, hic obiter quasi addere volui.

## CAPUT XLVI.

### *De Præservatione ab Apoplexia.*

CUm verò longè tutius ſit, hoſtem non admittere, quam admiſſum expellere; Medicis ſummopere laborandum, ut diſpoſitos â gravi morbo Apoplectico præſervent; vel eos, qui ſemel ab eo correpti fuerunt, præmuniant, ne iterum, ut ſæpius contingit, in eundem recidant.

*Qui facile Apoplexia corripiantur.*

Sciendum autem hîc, eos facile Apoplexia corripi, *quorum Parentes & genitores, Apoplectici fuerunt*, qui *cerebrum humidum* & *frigidum habent; catarrhoſi* & ad *ſomnum nimis propenſi ſunt*, *qui multis humoribus vitioſis & craſſis abundant, gravedinem & dolorem nonnunquam in capite perſentiunt; crebro vertigine* & *inſomniis terribilibus auriumq; tinnitibus vexantur: lingua ſæpius hæſitant,* partes *tremulas*, & *faciem vel pallidam & ſubtumidam, vel ex atro* quaſi *rubentem,* (hos enim præ aliis facile Attonitos reddi aliquoties obſervavi) *obtinent*; quiq; *profundè & cum magno ſtertore dormiunt; otio, Crapulæ aut Veneri, immode-*

*ratius indulgent*, aut qui ab ortu *Cerebri vasa angustiora, occludi quam facilima, nacti fuerunt.* Et quia *Senes* & *Litterati* caput maximè debile habent, plurimosq; frigidos & crassos succos in eo generant & cumulant, illi ob diminutum calorem, hi verò ob assiduas speculationes & cogitationes, quæ cerebrum valdè debilitant multumq; Spirituum absumunt: ut & *Helluones*, qui nimia potus, præcipue vini, ingurgitatione, ejusdem cerebri & aliorum viscerum constitutiones, etiam optimas, indesinenter & continuò oppugnant, tandemq; & expugnant, hisce omnibus ab hoc morbo summoperè cavendum erit.

In quibus itaq; jam enumerata Signa plurima, nam omnia non semper adesse necesse est, apparent, istis medicamentis prophylacticis convenientibus maturè subveniendum, seduloq; annitendum, quo hi â tam horrendo malo præserventur. Quod fieri potest, si cerebrum in ijs roboretur, ejus intemperies; imprimis frigida & humida, quæ quasi Apoplexiæ mater est, emendetur ac corrigatur; Spiritus reficiantur ac instaurentur; Crassorum ac frigidorum, vel etiam serosorum, humorum generatio impediatur; vel si qui ex his etiam generentur, mox discutiantur, aut per evacuatio-

nes tam universales quam particulares educantur, aliaq;, quæ morbo huic occasionem præbere possunt, ab hominibus ad siderationem dispositis vitentur aut fugiantur.

Et, cum ad præcavendam Apoplexiam multum faciant *Res non naturales*, â Medicis dictæ, imprimis earum maxima ratio habenda. Quare quod primò *victum* attinet, cuncti, qui se ad morbum hunc pronos sentiunt, bonam diætam instituant, abstineantq; ab omnibus alimentis crassū & pituitosum succum generantibus; qualia sunt *pisces majores*, vel alij in aquis stagnantibus & lacubus degentes, aves palustres, *carnes crassæ & duriores*, præcipuè fumo induratæ, *olera*, *lacticinia*, semen *Cannabis*, Rad: *Rhaphani Rusticani*, *Cæpæ* &c. Eligant verò sibi ea quæ bonum sanguinem suppeditant, morboq; contraria existunt; cujusmodi sunt *panis*, cui semina anisi, carvi, fœniculi, melanthii, dum pistatur, commixta fuêre; Item *carnes* vitulinæ, hædorum, gallinarum, caporum, perdicum, columbarū, (etsi hanc Vega & alij nonnulli cerebro nocere perperàm statuant, de quib9 Vide Forestum l.10. de cerebri morbis, & Valleriol. in Enarrat. Medicis) avicularum sylvestrium minorum, quæ cephalicis, utpote *Rosmarino*, *Majo-*

*Cibi utiles & noxij.*

*ranâ, Thymo, Salviâ, nuce moschatâ, Cinamomo, baccis juniperi & capparibus condiri*, ac, si assæ fuerint, cum bellario ex *sinapi*, condimenti loco mensæ adhibito, assumi possunt; item *pisces saxatiles*, funduli, soleæ, percæ, & qui hujus generis sunt alij.

*Pineæ nuces & pistacia*, cum cerebrum & nervosum genus egregiè corroborent, maximoperè quoq; probantur & mirè commendantur.

Pro *potu* convenit *cerevisia tenuis*; & quæ ob lupuli copiam cerebrum non gravet, beneq; defecata, vel *Salvia, Melissa, Roremarino*, aut aliis cephalicis condita sit; *Vinum* parciùs sumendum: nam omnia vina, & imprimis fortia ob narcoticã, quam habent, vim cerebrum debilitant, & nonnunquam, ut modò dictum, Apoplexiæ occasionem præbere possunt, sicuti potatores, qui crebrò spiritu vini immoderatiùs utuntur, suo damno sæpè experiuntur. Laudant nonnulli magis vinum *salviatum, rosmarini, melissæ, absinthides*, quod tamen, cum etiam cerebrum turbet, moderatè usurpandum; quemadmodum largior potus aliàs hîc improbatur.

*Potus.*

*Vina Cerebrum debilitant.*

Peractâ cœnâ non nisi elapsis duabus horis cubitum eundum, nec post pastum largiore potu concoctio interturbanda.

Atq; hæc ut rectius perficiatur, valde utile est, si post prandium vel cœnam pulveres *Peptici* dicti, seu tabulæ & morsuli ex ijs parati assumantur, qui ventriculum claudunt, & roborant, ejus coctionem juvant atq; ne vapores ex eo ad caput ascendant, impediunt; Fiunt hi ex Pulv: *nucis moschatæ, Mastichis, Cinamomi, Maceris, Corallor. rubror. præparator: Eufrasiæ, Majoranæ, Melissæ:* Sem. *coriadri præparati, carvi cumini fœniculi: Corticibus citri:* Specieb. *Diagalangæ: Diacyton.* sine speciebus, *sacchara rosato tabulato, pane albo tosto & similibus.*

*Pulveres Peptici.*

*Ut* ℞. *Diaciton s. specib.*
*sem. coriand. præpar. & sacchar. coopert.* an. ℥iß
*anisi* ℈ij.
*Cortic. citri* ℨß.
*Nucis moschat* ℨj.
*Corall. rubr. præpar.*
*Mastich.* an. ℈ij.
*Maceris* ℈ß.
*sacchari rosat. tabulat: ad pondus omnium.*
F. *Pulvis.*

Vel:

℞. *Sem. fœniculi* ℨß.
*coriand. præpar.* ℨj.
*carvi* ℈ß.

*Nucis moschat.* ℈ij.
*Cinamomi.*
*Majoran:*
*Euphrasiæ* an. ℈i.
*Corall. rubr. præpar.* ʒß.
*sacchari q. s.*

M. F. Pulvis, cum saccharo in Aqua conveniente dissoluto, parentur morsuli aut Tabulæ, de quibus alternis diebus, vel etiam singulis, una vel altera in fine mensæ sumi potest.

Nec plus cibi semel assumere expedit, quàm ventriculus concoquere valet: cavendumq; ab eorum varietate; cum, teste *Fernelio*, multos morbos plurima fecerint fercula.

Fugiantur etiam *odores* rerum graveolentium, utpote *Caryophylli Africani*, quem Italorum *othonnam*, & cum Carolus Quintus, cum civitatem *Tunis* obsideret, primum eum in Germaniam attulerit, *Florem Tunis* aliqui indigitant, Nostrates Indianische Negelein vnd Studenten Blumen/ vocant: Item fœtor *fol. coriandri, cicutanæ fœtidæ locorum palustrium*; maxime vero improbantur ij, qui ex *lychno extincto* aut *linteis humidis*, quando vel juxta fornacem, vel alijs instrumentis â mulieribus exsiccantur exhalant, caputq; valdè affi-

ciunt. Vulgus & *levcoij lutei flores* rejicit, eosq; â proprietate Apoplexiam inducere credit, cujus tamen certitudo me latet, cum nullum ex ijs Apoplecticum evasisse unquam viderim, neq; etiam alios id annotasse meminerim.

Aer. E Ventis eligantur *Orientales & subsolani*; vitentur verò *Boreales & Aquilones*: Item *radij Lunares*, *aërq; pluviosus*, *nebulosus* & humidus, imprimis verò *frigidus*, vel si quis in hoc versari necesse habet, corpus, & præcipue caput ac pedes, qui cum capite magnum consensum habent, pellibus probe muniat; quam enim capiti nocendi vim frigus obtineat cunctis notum, testaturq; quotidiana experientia, homines magis in hyeme quàm æstate Apoplecticos fieri. Hinc consultum est, pluvioso & nebuloso, hybernoq; tempore fenestras non aperire, aeremq; in conclavibus calefacere, vel odoratis v. gr. *Salvia*, *Melissa*, *Pulegio*, *Roremarino*, *Serpillo*, *Lavendula*, *Majorana*, hinc inde stratis, vel Aquis eorum ad pavimentum conspersis; aut alijs bene olentibus, carbonibus injectis, eundem alterare. Valde commendatur â *Johanne VVittichio*, ad præservandum ab Apoplexia hic pulvis, si super ignitis carbonibus sæpe accendatur.

℞. Ligni

℞. *Ligni aloes opt.*
*Succini albi.*
*Benzoi.*
*Styrac. calamitæ* an. ℥iij.
*Santali citrini* ℥ij.
*Thuris masculi* ℥iij.

Contund. omnia crasso modo. F. Pulvis.
Sing. Reuchpulver.

*Alius Pulvis aerem temperans, cerebrum siccans, & humores absumens.*

℞. *succin. albi*
*Mastichis*
*Benzoes*
*thuris* an. ℥iß.
*gummi juniperi* ℈i.
*Styrac. calamit*: ℥i.
*Bacc. juniperi* ℥iß.
M. F. Pulvis crassus
Sig. Reuchpulver.

Utiles etiam hic sunt *Candelæ pro fumo* seu *aves Cypriæ*, quæ ex *Asa dulci, thure, mastiche, succino, styrace calamita, ladano, myrra, bdellio, gummi juniperi, hederæ, camphora, Caryophyllis, Nuce moschata gallia seu alipta moschata, semine nigellæ torrefacto, ambra, moscho*, conveniente liquore

gummi, ac mucilagine exceptis, carbonibus tiliæ & ſalicis additis, componuntur.

Ut ℞. *Benzoi* ℥ij.
*Ladani* ℥iß.
*thuris*
*ſuccini* an. ℥i
*Styrac. calamit.* ℈iiij.
*Maſtich.* ℈ij.
*Caryophyll.* ℥i.
*Nucis moſchatæ*
*roris marin.*
*ligni aleos* an. ℈ij.
*Ambræ*
*moſchi* an. gr. v. vel vij. *ſeu. q. ſ.*
*Carbon. ſalicis*
*tiliæ* an. *q. ſ.*

Cum mucilagine tragacanthæ & Styrace liquido & pauxilla etiam aq. Roſarum.

F. Cypriæ aviculæ ſeu Tedæ.

Sign. Reucher Kertzlein.

Vel parentur hi *trochiſci.*

℞. *Granor. peoniæ*
*Radic. peoniæ*
*Viſci quercini*
*Cubebarum*
*Galangæ* an. ℈j.
*Succini albi* ℈ij.
*Ligni aloes*
*Nucis moſchatæ*

*Sem. rutæ* an. ℈ß.
*Benzoi* ʒij.
*Ladani* ℥ß.
*Aquæ infusionis Lavendulæ q. s.*

F. Trochisci pro fumo, valde in Apoplexiâ ceu probatissimi â multis laudati.

Sign. Räuch Küchlein für den Schlagk.

Ex solo etiam *succino, Thure* & *mastiche, Trochiscis de Benzoe c. moscho*, suffumigia fieri possunt, quæ aërem temperant, caputq; roborant; at modicè, nec nisi corpore purgato, usurpentur:

*Venus* quia valde cerebrum debilitat, ut exemplo eorum, qui in ipso congressu Apoplexiâ extincti fuerunt, demonstrari potest, omnes, qui morbum hunc metuunt, ab ea sibi temperent.

Caveant etiam sibi ab animi pathematis vehementioribus, terrore, consternatione, maximè autem *Ira*, quæ sæpissime Apoplexiæ originem præbere solet: Item alijs supra cap. 27. enumeratis; ut & â *somno meridiano*, qui, præcipuè in non assuetis, cerebrum valdè gravat, idq; multis vaporibus replet, calceatis pedibus dormire maxime quoq; capiti noxium esse, Villanovanus pag. 613. statuit.

*Venæsectio & Cucurbitulæ.*

*Venæsectio.* Si corpus plethoricum fuerit, Vere & autumno per venæsectionem sanguinē detrahere convenit, ut natura parte oneris levata, id quod reliquum de eo est, facilius regat ac gubernet.

*Cucurbitulæ.* Expedit etiam ob eandem caussam singulis mensibus, si necessitas postulare videtur, *cucurbitulas* cruentas brachijs, humeris & natibus, (nam & ibi humores â capite revelli posse, in libro meo de Venis ostendi,) affigere: aut *hæmorrhoides* provocare, *Hæmorrhoides.* quibus ad præservationem Apoplexiæ nihil utilius & efficacius dari potest, ita ut multi, quandiu hæ decenter fluant, tandiu etiam homini ab Apoplexia immunitatem polliceri non dubitent.

## *Fonticuli.*

Nec minorem, humores vitiosos expurgando, eosq; â capite avertendo, in præcavenda Apoplexia efficaciam & *Fonticuli* obtinent, qui brachiis inter *musculum deltoidem* & *bicipitem*, eo in loco, *ubi applicandi.* ubi vena Cephalica descendit, applicari possunt: ibi enim singulis diebus de superabundantibus cerebri humoribus aliquid evacuant, & materiam â capite avertunt, sicq; ne ea forte copiosius colligatur, egregiè præcavent. Vel si ob abundantiam humorum unus fonticulus nō suffiicere videatur,

&ali-

& alium in altero brachio, aut pede etiam, inter *musculos tibiam flectentes & vastum internum*, tribus digitis transversis super patellam, ubi Saphena in tibiam descendit: vel etiam suræ regioni, *ad gastrocnimij externi cavitatem*, inurere non inutile erit, trahent namq; & hi humores ad inferiora ex cavæ trunco, &, ne forte ad caput ferantur, impediunt, simulq; eos paulatim expurgant. Suntq; mihi nota exempla Apoplecticorum, â morbo restitutorum qui, postmodum solorum fonticulorum ope ab eodem, qui tamen facilè alias redit, prorsus immunes conservati, nec unquam recidivam passi fuerint.

Minore autem cum fructu Fonticuli *posteriori parti capitis* inter secundam & tertiam vertebram, ut aliqui jubent, applicari videntur. Nam locus hic capiti, finibus & ductibus cerebri, imo & ipsis nervis eorumq; principio nimis vicinus est, humoresq; illuc tracti plurima cerebro mala creare possent. Taceo, quod non videam, qua ratione ibi adhibiti fonticuli commodè ligari, & sine arctiore colli & gutturis constrictione conservari queant.

*An fonticuli nuchæ applicandi.*

Gravius adhuc errare videntur, qui tum ad curandam, tum præcavendam Apoplexiam cau-

*An suturæ coronali cauteria adhibenda.*

teria, ex quibus fonticuli fiunt, *Suturæ coronali* adhibent. Etenim cum ibi, veluti expertis Anatomicis notum, pericranium fibroſis nexibus per ſuturas tranſeuntibus, cum ipſis cerebri meningibus copuletur, neq; hic locus ad uſtionem & cauteriorum applicationem adeò aptus eſſe poteſt: imo læſus facilè & cerebri membranas afficere, easq; in conſenſum trahere valet. Et quanquam non tantum ex Venis, anteriorem capitis ſedem percurrentibus, ſed & ipſo cerebro, tum propter poſteriores capitis venas, quæ in vertice calvariam, per duo foraminula ibi exſculpta, intrant, & cum hiſce anterioribus conjunguntur: tum propter alios ductus â tertio meningis ſinu per eadem foraminula ad capitis cutem excurrentes, aliquid evacuare posſint: (ut facilè videbis, ſi ea quæ in tractatu meo de Venis, quem brevi, ſi DEUS mihi vitam conceſſerit editurus ſum, de Vaſis capitis, Veniſq; Jeſue, propoſui, diligenter conſideraveris,) tamen cum id quod expurgant, valdè paucum, quod autem attrahunt multum & copioſum ſit, magis in hoc affectu nocere quam prodeſſe videntur: Siquidem in ijs, qui Apoplexiâ labo rant, vel eandem metuunt, humores non ad caput ducendi & alliciendi, ſed potius ab eodem aver-

tendi

tendi & revellendi sunt, ut re paulò diligentius pensitatâ, quilibet facilè intelligere poterit.

*Setaceum & Vesicatoria.*

Si cum crassis humoribus etiam *serosi* in cerebro abundent, posteriori Colli parti, magis tamen ad thoracem quam occipitis sedem *Setaceum* adhiberi potest; vel per intervalla brachijs, ubi Cephalica descendit, vesicatoria suprà exposita applicentur. De Setaceo Vide Hieronymum Fabricium ab Aquapend: cap. de Setaceo: & Guilhelmum Fabricium Hildanum Cent. 1. observat. observ. 40. & 41.

*Præparantia.*

Cum quoq; nec fonticuli nec Setacea ad omnes, etiam crassiores humores, qui in ijs, qui ad Apoplexiam proclives sunt, continuò generantur, expurgandos satis sint, præstat per intervalla tum per Universales purgationes, quæ totum corpus evacuant, tum per particulares, quæ solum caput expurgant, eos educere ac expellere: Et cum plerunq; alteratione opus habeant, nec ob crassitiem facilè purgantibus cedant, ipsos idoneis medicamentis præparare, attenuare incidere & ad evacuationem aptiores reddere, convenit. *Præparantia.*

Præparant autem alterant & attenuant humores

mores crassos & frigidos in capite (vel alibi etiam) hærentes potissimum sequentia.

Herbæ: *Betonica, Hyssopus, Calamintha, Origanum, Eufrasia, Cardus Benedict. Thymus, Ruta, Chamædrys, Chamæmelum, Spica.* Et si humor melancholicus simul adsit, *Ceterach, Fumaria, Melissa.*

Flores: *Betonicæ, Centaurij minoris, Chamæmeli, Sambuci, primulæ veris.*

Semina: *Carvi, Cumini, Sileris montani, fœniculi, Sinapis, Nasturtij, Rutæ,* & quod humores melancholicos etiam respicit *Aquilegiæ.*

Fructus: *Baccæ Juniperi, lauri, Anacardia.*

Radices: *Elenij, Acori veri, Imperatoriæ, Caryophyllatæ, Ireos, scyllæ, Pyrethri, Pimpinellæ:* & ubi humor melancholicus admixtus, *Oxylapathi, Rhabarb. Monachorum; Glycirhyzæ, Scorzoneræ, Filicis, Polypodij, Ellebori nigri, Gentianæ, Bryoniæ, Asari, Apij.*

Cortices: *Guajaci, Sambuci, Fraxini, Ebuli, Frangulæ.*

Aromata: *Nux moschata, Macis, Cinnamomum, Piper, Cardamomum.*

Olea destillata: *anisi, fœniculi, Cumini, juni-*

*peri,*

*peri, Caryophyllorum, Cinamomi, Majoranæ, Rutæ.*

Aquæ destillatæ & spiritus: *Majorana, Melissæ, Betonicæ, Hyssopi, Cardui Benedicti, Serpilli, Centaurij minoris, Calaminthæ, Origani &c.*

Conservæ: *Betonicæ, Hyssopi, Calaminthæ, Card. Benedicti, Stæchados, Capillor:* ♀. *Eufrasiæ, Rad. Acori veri,* cujus descriptionem habet Mercatus de recto præsidiorum usu, *Fumariæ, Sambuci, Genistæ, Tunicis.*

Condita: *Rad. Acori, Elenij, Eryngij, Pimpinellæ, Scorzoneræ: Cortic. Citri: Zingiber.*

Syrupi; ex herbis antea enumeratis parati, quibus addi possunt, *Byzantinus simpl. Capillor* ♀ *Oxymel simpl.* & *Composit, Oxymel scylliticum, Elleborat Gesneri; Melanthosatum Anacardinum.*

Confecta: *fœniculi, Carvi, Cubebar, Anisi Cumini.*

Essentiæ & Extracta: *Rad. Elenij, Acori, Rorismarini, lavendulæ,* Castorei.

Electuaria: *Theriaca, Mithridatium, Confect. anacardina, Aurea Alexandrina.*

Species & Pulveres: *Diamoschi dulcis, Diambræ, diapliris, Confect: Anacardin:*

Ex quibus omnibus, additis tamen semper ijs, quæ cerebrum roborant, spiritus reficiunt, & â

proprietate adversus Apoplexiam, valent qualia paulo infra recensebimus; *Potiones*, *Electuaria*, *Tabulæ*, *Pulveres*, &c. parari possunt.

*Potiones.*

℞. *syr. Card. Bened.*
*oxymel. scyllitic.* an. ℥iiij.
M. Sign. Safft.

De quo manè per aliquot dies duo vel tria cochlearia sumantur: non tantum in Apoplexia sed & in Epilepsia mire confert.

℞. *Syr. Betonicæ.*
*Hyssopi* an. ℥j.
*Oximel. scyllitic.* ʒvj.
*Aq. Rorismarin.*
*salviæ* an. ℥iß.
M. F. *Potio.* Sign. Tranck.

℞. *Essent: lavendul.* ʒi. vel ʒij.
*Ext. castorei* ʒß.
*Elenij* ℈i.
*Oxymelit. scyllit* ℥ß.
*Aq. Card. Bened.* ℥i.
*Melissæ*
*salviæ* an. ℥iß.
M. F. *Potio.*

Vel. ℞. *Rad. Ireos florentin.* ʒß.
*Angelicæ* ʒij.
*Enulæ* ʒj.
*Majoranæ*

*Thymi*

*Thymi*
*Jvæ arthetica* an. Mß.
*Fl. Betonicæ*
*anthos,*
*Lavendulæ* an. Pj.
*Centaurij minor.* Pij.
*sem. nigellæ* ʒj.
*Carvi*
*Aquilegiæ* an. ʒiß.
*Coq. in Aq. s. in Colatur.* ℥ix *dissolve*
*syr. Stæchad. Arabicæ* ℥iij.
*Oxymel. scyllit:* ℥j.

M. F. Potio, pro quatuor dosibus, vel addito saccharo Coq. ad syrupi consistentiam, de quo mane & vesperi duabus horis ante prandium & cœnam ℥ij. vel ℥iij. sumantur.

Plura ejusmodi remedia, quæ etiam humores præparant, infra describentur.

## *Purgantia.*

*Purgantia.*

Post præparationem humorum, purgantia exhibenda sunt. Conveniunt autem hic *Folia Senæ*, quæ â proprietate cerebrum & sensoria â vitiosis humoribus emundare creduntur: *Agaricus*, valdè etiam ad expurgandum caput utilis. *Turbith*, *Mechoacanna*, quæ tenuem pituitam, serososq; humores, qui plerumq; in hujusmodi cor-

poribus, læſa videlicet cerebri temperie, una cum craſſis abundant, educunt, Et ſi Melancholia ſimul adſit, *Sem. Carthami, Polypodium, Elleborus niger* & alia ſimilia addantur.

*Therebinthina*, quia cerebri aliosq; in ventriculo exiſtentes humores noxios egregiè expurgat, hic quoq; commendatur, ſi nempè ejus drachmæ duæ vel tres, cum Speciebus hieræ, vel pulvere glyceryzæ mixtæ, aſſumantur: vel quod melius eſt, ſola therebinthina in vitellis ovorum, addita aqua conveniente, diſſolvatur, lacteusq; inde prodiens ſuccus bibatur. *Lac therebinthinæ.*

*Pilulæ.* Pilulæ, *Cochiæ, Aureæ, Aſſaireth, Lucis, ſine quibus, de Agarico, Chamæpytheos* ſeu de Iva, quæ præ cæteris laudantur, ſi ante ſomnum nocturnũ forte rectius hora una vel altera ante cœnam quotidie, vel etiam bis in ſeptimana ℈j. de ijs ſumatur: ejus deſcriptionem paulo poſt ſubjungam.

*Electuaria.* Electuaria *Diaphœnicnm, Indum, Benedicta Laxativ: Diacartham: Confect: Hamech, Diaturbith. Eleſchoph. Hiera Picra ſ.*

*Pulveres.* Pulveres, *Diacartham: Diaturb. c. Rhabarb: Diaſen: Cremor* ♀, quibus *Trochiſci Albandal, Diagridium, Gummi Gotte*, & ſimilia addi poſſunt.

Ex hiſce Clyſteres *Potiones*, *Boli*, *Pilulæ*, *Syrupi*, *Pulveres* &c. componuntur. Potion:

Imprimis autem hic conveniunt *Clyſteres*, qui non ſolum corpus â vitioſis humoribus purgant, verum etiam materiam â capite avertunt. Et parantur ex *Emollientibus*, quibus Cephalica, aliaq; quæ humorem pituitoſum & melancholicum reſpiciunt, flatusq; diſcutiunt, addi poſſunt. Actum de ijs fuit ſupra cap. 39. *Potiones* ita fieri poſſunt.

℞. *Cardui Bened.*
*Hyſſopi*
*Origan.* an. Mß.
*Rad. Elenij*
*Caryoph.*
*Oxylapathi* an. ʒj.
*ſem. fœniculi* ℈ij.
*Fol. Senæ.* ℥ß.
*Coq. in. aq. ſ. in. colatur* ℥iij. vel ℥iijß.
*diſſolve.*
*Mannæ* ℥ß.
*Oxymell. Elleborat.* ʒiij. vel *q. ſ.*
*Aq. Cinam.* ʒß.
M. F. *Potio.*
Sign. Purgier Tranck.

Vel. ℞. *Rad. Polypod.* ℥iij.
*Ellebor. nigri*

*Acori veri* an. ℈j.
*Salviæ*
*Hyssopi* an. Mß.
*Fl. Betonicæ*
*Centaurij minoris* an. Pj.
*sem. Carthami contusi* ʒj.
*Aquilegiæ* ℈ijß.
*Coq. in aq. s. in Colatur. q. s.* infunde per noctem.
*Fol. Senæ* ʒiij.
*Agarici* ʒj.
*Turbith.* ℈ij.
*Cinamom.*
*Zingiber.* an. ℈j.
*Galangæ* ℈ß.
*Colaturæ* ℥iijß *adde*
*Mannæ* ʒiij. *Colent: iterum.*
F. l. a. *Potio.*
Sign. Purgier Tranck.

*Syrupus.*

Vel Paretur hic *Syrupus.*
℞. *Card. Bened.* Mj.
*Hyssopi*
*Origan.* an. Mß. vel Mj.
*Rad. Polypod.* ℥ß.
*Elenij* ʒij.
*Flor. Centaur. minor.*
*salviæ, Betonicæ* an. Pij.
*sem. Carthami* ʒiß.
*Aquilegiæ* ʒj.
*Coq. in Aq. s. in Colatur. q. s. infund.*

*Fol. Senæ elect.* ℥iß.
*Agarici albi* ℥ß.
*Mechoacann:* ʒij.
*Ellebor. nigri præpar:* ʒj.
*Zedoariæ*
*Galangæ* an. ℈ij.
*Zingiber* ℈j.
*Coq. iterum parum, Colat.* ℥viij. *adde saccbari* ℥ijß.

F. l. a. Syrupus, de quo aliquot Cochlearia singulis, vel alternis diebus sumantur, dosis enim, pro ut operatur medicamentum, augeri minuivè potest.

Sign. Purgier Safft.

Magis gratæ fiunt potiones, si *extracta* in Aquis destillatis dissolvantur, & cum Cinamomo aromatisentur.

Ut Extract. *Mechoacan.* ℈j.
*Ellebori nigri* gr. vj.
*Cnicopharmac.* ℈j. vel *alterius, q. s.*
*Aq. Card. Bened.*
*Melissæ* an. *q. s.*
*Cinamom.* ʒj.
M. F. *Potio.*

Vel. ℞. *El. Diaphœnic.*
*diacathol.* an. ʒiij.

*Pulv. Agarici trochisc.* ℈j. *vel.* ʒß.
*cum saccharo.*
F. *Bolus.*

Gratum est & valde utile hoc Claretum:

℞. *Melissæ*
*Rorismarin.* an. Pij.
*Rad. angelicæ aut Elenij*
*Galangæ*
*Cinamomi*
*Cortic. Citri* an. ℈j.
*Fol. Senæ elect*: ʒiij. *vel* ℥ß.
*Agarici* ʒiß.
*Turbith.* ℈ij. *vel ejus loco*
*Mechoacann.* ʒi. nam & hæc insipida.

Infundantur in Vini Rhenan. q. s. ,stent in loco tepido per horas 12. postea addito

*Julep Rosac. vel sacchari* ℥ß.
Colentur & filtrentur
*Colaturæ* ℥iij. *adde*
*ol. Cinamomi* giij.
vel *Syrupi ejus* ʒj.
M. F. *Claretum.*
Sign. Purgier Claret.

Vide plura Vina *Purgantia* & *Clareta* apud *Langium l. 3. pag.* 872. *Quercetan.* de dogmatic: medicam: legitim: præpar. pag. 211. & alios.

Nec

Nec insuave, sed palato gratissimum est *Infusum Senæ D. Burseri,* quod ita paratur.

*℞. Fol. Senæ elect. & à stipitibus probè purgatorum q. libet* v.g. ℥iiij.

*Passular. minor. mundatarum & lotarum duplum seu* ℥viij.

*Contundantur omnia in mortario lapideo F. pasta adde*

*Cinamomi crassiusculè contusi,* ʒvj. vel ʒvjß.

Indantur omnia vasi fictili, affundantur Aquæ ferventissimæ ℔v. (nam ad ℥j. folior. Senæ sumuntur passular. ℥ij. Cinamom. ℈iiijß. vel ℈v. Aquæ ℥x. quod notandum; si forte, cui in minore dosi hoc infusum parare lubet,) misceantur; vasq; operculo idoneo citissimè occludatur & linteis involutum, in locum calidum reponatur, stet ita tectum horis quinq; aut sex, non diutius, ne ingratum saporem contrahat, Liquor sine expressione effundatur, filtretur per chartam, aut coletur per linteum, Colatusq; quiescat per diem ut feces deponat, quod limpidum est & purum effundatur & ad usum servetur. Dosis in *infantulis* ℥ß *puer*: ℥j *adult.* ℥iij. iiij. vel v.

Aliqui loco aquæ ferventis Vinum forte sumunt, idq; non tamen calefactũ, postea affundunt

vasq; in locum tepidum reponunt, liquorem effusum filtrant vel colant, dictoq; modo exhibent.

Possunt & folijs Senæ alia purgantia, non nauseabunda, addi, similiq; ratione pro Medici intentione, morbiq; conditione gratissimæ potiones parari.

Pilulæ. Efficacissimè Caput expurgant etiam *Pilulæ*, non quod vitiosos humores è reliquo corpore ad ventriculum trahant, sed quod propter formam solidiorem diutius in eo morentur, sicq; magis, quam alia liquidiora, quæ citius ab eodem expelluntur, cerebri humores afficiant, naturamq; diutissimè ad eos exturbandos sollicitent.

*Fiunt autem hoc modo:*

℞. M. Pilul. *Cochiar.*
*Aurear.*
*Assaireth.* an. ℈j.
*Troch. Albandal.* gr. iij. vel iiij.
*Cum aq. Meliss. F. Pilulæ*
*Num. XXV.*

Vel ℞. Pilul. *Cochiar.* ʒß.
*de Agarico* ℈ß. vel ℈j.
*Extr. Ellebor. nigri* gr. vij
*Mechoacann.* gr. v. vel *q. s.*
*Castorei* gr. iij.

Cum *Oxymel. scyllitico* F. *Pilulæ*, ante novilunium sumendæ.

*Pilularum de Iva* variæ descriptiones circumferuntur: nobis præ alijs hæc, â *Platero* correcta, probatur. *Pilulæ Chamæpytheos.*

℞. *Colocynth. præpar.* ʒß.
*Scammon: præpar.* ʒj. *ejus loco etiam Extract.* ℈i. *vel* ʒß. *sumi potest.*
*Turbith.* ʒiß.
*Agarici* ʒij.
*Rhabarbari* ʒiß.
*Pulv: hieræ simpl.* ℥ß.
*Zingiber.* ℈j.
*Spicæ*
*Salis fossil.* an. ℈ß.
*Fl. lavendul.*
*Stæchad. Arabic.* an. ʒj.
*Opopanac.* ʒß. aliqui hoc, quod cerebro noceat, omittendum censent.
*Mastichis* ℈j.
*Castorei* ℈ß.
*Ol. destill. Majoran.*
*Rorismarin.* an. g: v.
*succi. Chamæpyth. rec: extr:* q. s.
F. *Massa* & inde *Pilulæ*
Sign. HauptPillen.

## *Pulveres* ita fiunt:

*Pulveres.*

℞. *Spec. diaturb. c. Rhab.* ℥ß.
*diacartham.* ℈j.
*Troch. alband.* gr. ij. vel iij.
M. F. *Pulvis.*

Vel ℞. *Senæ præpar.* ℈ij.
*Turbith. elect.* ℈ß.
*Mechoacann.* ℈iiij.
*Cremor.* ♀.
*Zedoariæ* an. ℈ß.
*Troch. alband.* gr. ij. vel iij.
M. F. *Pulvis pro duabus Dosibus.*

## *Sudorifera.*

*Sudorifera.*

Per sudores sæpè repetitos humorum quoq; vitiosorum copia sensim evacuatur, & qui in capite & cerebro etiam hærent, pituitosi & serosi succi paulatim absumuntur: Quo fine corpore probè purgato, aliquando & *Sudorifera* hisce per intervalla porrigere utilissimum existit; vel quod commodissimũ est, & ad Apoplexiam præcavendam ab omnibus commendari solet, ipsis *Radicis Chinæ, Sarsæparillæ, Sassafras, Ligni Guajaci,* (quibus *Tabernæmontanus part.* 1. *fol.* 365. & *fol.* 369.

etiam

etiam *Radices pentaphylli* & *Tormentillæ* annumerat, hasq; non ſolum Chinæ radici æquiparat, verum etiam præfert, ijsq; in humoribus catarrhoſis, qui Apoplexiam, & ſeroſis, qui Podragam & juncturarum dolores excitant, abſumendis ſe multum ſæpè effeciſſe refert,) decocta, quæ corpus calefaciunt & ſiccant, humoresq; craſſos ac lentos incidunt, attenuant, & una cum ſeroſis digerunt, eosq; promiſcuè per habitum corporis & urinam validè expellunt, quotannis exhibere; Germani vocant die Holtzcur / â Ligno Guajaco quod primum ex his cognitum fuit, reliqua enim poſt guajacum demum innotuerunt. *Vis Decoct. Guajaci & alior.*

Quomodo autem hujusmodi decocta parari debeant, â Practicis paſſim docetur. Sumantur jam enumerata ſimplicia, vel ſingulorum unum, vel plura ſimul, (additis nonnunquam radicibus, ſeminibus, herbis & alijs convenientibus) infundantur in Aqua ſimplici, (aliqui & deſtillatas ſumunt) per horas 24., poſtea coquantur ad medietatem. Decoctum colatum in vaſe vitreo benè clauſo ſervetur ad uſum, deq; eo nonnihil calefacto, ſingulis diebus, ſemel æger manè in lecto recumbens, vel ſi robuſtior, morbusq; contumax fu- *Ligni Decoct. quomodo parandum.*

erit, bis etiã, utpote vesperi quoq; tribus horis ante cœnam, bibat Uncias sex vel septẽ, & in lecto hora una vel altera sudet, ac istiusmodi medicamenti genus aliquot septimanis, vel triginta, imò si necessitas postulet, etiam quadraginta diebus continuet: observetq; optimam victus rationem, magisq; asso, quam elixo cibo utatur: ab esu *fructuum & acetariorum*, & ut aliqui volunt, â *piscibus* etiam prorsus abstineat, nec se facile aëri exponat, nisi hic fortè ob anni tempus calidior fuerit. Decoctum dilutius, quod secundâ vice, ex nova aqua, fecibus relictis affusa, vel nonnunquam ex sola sarsaparilla, aut Radice Chinæ paratur, pro potu in mensa usurpet. Quanquam tam exactam vivendi rationem, qualis â nonnullis præscribitur, adeò strictè semper observare necesse non sit; sed potus loco etiam Cerevisia & Vinum citra noxam ægris concedi queat: Estq; satius patientes in potu quam cibo delinquere: imò si admodum sitiant, potus ipsis non adeò subtrahendus, quippe cum citra gravamen illos reficiat, & sudoribus vehiculum præbeat. Alvus suppressa solvatur tertio quoque die clystere emolliente, & sexto die, quo decoctum sudatorium omittatur, purgante specifico corpus evacuetur, humoresq; si opus

præparentur. Sed accedo ad præparationem ipsam.

℞. *Zarsæ parillæ* in taleolos incisæ ℥iij. Vel
*Ligni Sassafras* cum cortice assulatim confracti ℥ij. Vel
*Radicis Chinæ*, (quæ insipida, ægrisq; valde grata) *ponderosæ & integræ, non lævis aut cariosæ*, minutim incisæ ℥ij. vel ℥iß. Vel
*Radicum pentaphylli* aut *Tormentillæ* incisar. ℥iij. Vel
*Ligni Guajaci* in tenuem scobem redacti, ℔j.

Adde singulorum uni, quod lubet, Radices seu herbas convenientes (Quanquam hæ omitti possint & sæpè ex solo Guajaco, vel alijs seorsim sudatoria simplicia dicta parentur.)

*Rad: Elenij* ℥iij.
*glycerizæ* ℥ß.
*sem: fœniculi*
*carvi* an. ʒj.
*Passul:* ℥ij.

Infundantur in Aq. fontan. purissimæ ℔xij. stent in loco calido cooperta in vase testaceo incrustato, aut vitreo per horas 24; Coquantur lento igne ad medietatem vel tertias, ubi subsedit, & refrixit liquor, quod limpidum est, sensim effundatur &

cole-

coletur, Colatura condiatur *Cinamomo, Sacchars* vel *Specieb. diacinamom: diagalang. &c.* ʒj. vel cuilibet dosi *Aquæ Cinamomi* ʒj. vel ʒiß addatur, bibatq; de ea, nonnihil calefacta, æger singulis diebus manè, vel etiam vesperi tribus horis ante cœnam ℥iiij. ℥v. vel vj. sudetq; in lecto horâ unâ vel altera. Feces decocti relictæ ad alium usum reserventur, ut mox dicetur.

*Decoctum Sarsæ.*

Vel. ℞. *Zarsæ parillæ* in taleolos incisæ ℥iij.
*Rad: Iridis florent:* ʒij.
*Acori veri* ℈ij.
*pæoniæ*
*sem: carvi* an. ʒj.
*Infund. in Aq. puræ* ℔xij. *stent in infusione per 24. horas, Coq. sub finem coction is adde*
*Fl: Salviæ* Mß.
*Melissæ aut Betonicæ* Mj.
*Colent: Colatura condiatur, & servetur ad usum ut prior.*

*Guajaci Ligni decoctum.*

Vel. ℞. *ligni Guajaci scobis* ℔j. *infundatur in Aq. puræ* ℔xij. *stent in infusione per 24. horas, Coquantur l. a. ut jam expositum fuit.*

Efficacius *Ligni Guajaci* decoctum fieri creditur, si ei cortex, qui una cum ligno ad nos affertur, addatur; Verbi gratia ℔j. ligni tres vel quatuor Unciæ corticum adjiciantur.

Ut

Ut ℞. *Ligni Guajaci* ℥viij. vel ℔j.
*Cortic: ejusdem* ℥ijß. vel ℥iij.
*Infundantur in Aq. puræ* ℔j; *stent per 24. horas in Infusione, postea coquantur eodem modo, Colatura servetur ad usum. Qui volet, ligno Radices, vel herbas convenientes, addat.*

Priore decocto effuso, relictis fecibus iterum novæ aquæ ℔xij. vel ℔xviii. affundantur, macerentur & coquantur pro potu ordinario, qui, ut ægris magis gratus fiat, saccharo, aut passulis incoctis dulcis reddatur, aut quod melius est, Cinamomo leviter aromatisetur. Monetq; *Horatius Augenius tom.* 1. *Epistolar. lib.* 2. *fol.* 378. radicem Chinæ ter vel pluries etiam in umbra siccatam, & coctam, adhuc efficacem esse, nec suas vires adeò facilè amittere.

*Quercetanus* & alij ex relicto magmate, Sal præparant, idq; decoctionibus sudoriferis addunt, eoq; ligni vires multum intendi credunt.

Nonnunquam prædictorum simplicium duo vel plura miscentur, & inde *decocta Sudatoria composita* parantur.

Ut ℞. *Rasur. Guajaci* ℔ß.
*sarsæ parillæ* ℥iß. vel ℥ij.
*infundantur & coq. ut dictum.*

Vel. ℞ *Guajaci* ℥iiij.
*Rad. Chinæ* ʒv. vel *pentaphylli* ℥j.
*Zarsæ parillæ* ℥j.
*Infundantur & coquantur similiter, quibus, si lubet, priores herbæ & radices etiam addi possunt.*

Aut ℞. *Zarsæ parillæ* ℥iß.
*Rad: Chinæ vel Sassafras* (quod lignum, cum grati odoris & saporis sit, nec ventriculum turbet, aut flatus copiosos gignat, aliqui reliquis lubentissimè addunt) ℥j.
*Liquirit:* ℥ß.
*Elenij* ʒij.
*Sem: carvi*
*fœnicul:* an. ʒjß.
*Passular:* ℥iij.
*Infunde in Aq. puræ* ℔xij. vel ℔viij. *stent in infusione* 24. *horis.*
*Coq. lento igne, ut modò dictum fuit.*

*Decoctum Radicis Chinæ diu non durat.*

De *Radice Chinæ* notandum, monetq; id etiam *Horatius Augenius* loco antea allegato, *Platerus part.* 3. *pag.* 391. & alij, quod adeò commodè cum alijs misceri, & coqui non possit, Cum ejus decoctum ultra 24. horas non duret, sed mox acescat & putrescat, ac proinde singulis diebus ferè nova ejus maceratio & coctio institui, adeoq; tota quan-

quantitas & bibi, & eodem die rursus præparari debeat: ligni autem vel aliorum decocta ad octo etiam dies citra corruptionem conservari possint. Quando itaq; reliquis admiscetur China, media saltem pars reliquorum coquenda, eaq; absumtâ mox altera præparanda.

Plura de hisce decoctis qui scire desiderat, consulat *Platerum*, *Horatium Augenium* locis jam allegatis *Quercetanum in Pharmacopœa* l. 1. c. 8. p. 53. *Bertaldum in Collectaneis*, pag. 373. *VVeckerum*, in Antidotar. Special l. 2. c. 7. pag. 401.

Purgationibus universalibus hisce præmissis, si tota materia ex capite non tollatur, ad particulares ejus evacuationes deveniendum, dandaq; opera, ut quod de ea reliquum est per nares, palatum, aut insensibiliter evacuari ac expurgari queat.

Per nares materiam evacuant *Errhina*, & *Ptarmica*; per fauces & palatum eam expurgant, *Apophlegmatismi*, ut *Masticatoria*, *Collutiones oris*, seu *Gargarismi*, *Palati inunctiones*. Insensibiliter eandem resolvunt & digerunt, *Embrochæ* seu Capitis Lotiones, *Emplastra* & similia. De posterioribus hisce, utpote capitis lotionibus, emplastris &c. cũ cerebrum egregiè etiam roborent,

pauloinfrâ acturus sum: hic tantum ea, quæ caput per os naresq; expurgant, considerabo.

### *Errhina.*

*Errhina.*

Etsi *Errhina*, potissimùm humores ex anteriore cerebri parte educant, tamen cum & illi cerebrum lædant, & Apoplexiæ, si fortè commoveantur & ad sinus propellantur, occasionem præbere possint, etiam eos expurgare utile erit.

*Materia Errhin.*

Parantur autem *Errhina* ex *Majorana*, *Beta*, *Anagallide rubra*, *Pulegio*, *Nicotiana*, Rad: *Cyclaminis*, *Pyrethri*, semine *nigellæ* &c. quorum Succus, decocta, vel Aquæ naribus attrahuntur, aut pulveres eorum melle, cera, mucilaginibus, gummi aut therebinthina excepti, in linimenti aut formam Pyramidalem, quæ Nasalia in specie dici solent, rediguntur.

Fortius autem operantur Errhina si eis purgantia, ut *Folia Senæ*, *Agaricus*, *Scammoneũ*, *Manna*, *Turbith*. *Ellebor. albus*, *Sem. Carthami* & similia admisceantur. v: g.

℞. *succi Majoranæ*
*Betæ*
*Anagallid. rubr.* an. ℥j.
M. pro *Errhino simplici.*

Vel

Vel. ℞. *Succi Betæ*
*Mercurialis*
*Rutæ* an. ℥j.
*Mannæ elect*: ʒvj.

M. F. *Errhinum* quod ex vola manus attrahatur, ore prius aquâ aut vino impleto.

Vel. ℞. *Fol: pulegij*
*majoran*:
*anagallid: rubr.*
*Betæ* an. Mß.
*Sem: nigellæ* ʒß.
*Rad: pyrethri* ʒjß.
*Agarici trochiſ:* ʒj. vel
*Folior: ſenæ* ʒij. vel *q. ſ.* videtur.
*Coq. in aq. ſ. In Colatur.*
℥iiiß. *diſſolv.*
*Mellis anacardin.* ʒvj.
*ſcyllitic.* ʒiij.

M. F. *Errhinum* quod naribus attrahatur, aut cum goſsypio ipſis immittatur.

Ex ijsdem, addito oleo conveniente, & linimenta componuntur.

Ut. ℞. *ſem: nigellæ* ℈ij.
*Rad: pyrethri* ʒß.
*Ellebori* ℈ß.

*Nicotianæ*
*Pulegij* an. ℈ij.
*Agaric. trochiſ:* ʒß. vel ʒj.
M. F. *Pulvis.* & inde

Cum oleo irino q. ſ. *linimentum*, vel excipiantur ſpecies terebinthinâ, mucilagine, gummi, oleo, cerâ &c. & formentur Naſalia formâ pyramidali, quæ naribus, filo alligata, indantur.

De ſucco Radicum Betæ monet *Hieronym.* *Mercurialis de Compoſitione medicamentor. c.* 14. *pag.* 190. ne, cum potentisſimus ſit, ſolus uſurpetur; ſe enim expertum eſſe, hujusmodi ſuccum dementare homines; imò obſervaſſe principem quendam ejus uſu odoratum prorſus amiſiſſe.

## *Ptarmica.*

Potenter humores in cerebro etiam commovent *Sternutatoria*, quæ *Errhina acriora* ſunt, & ſuâ acrimoniâ cerebrum ad expellendos humores noxios valde ſtimulant & irritant. Componuntur ex ſemine *Nigellæ*, *Sinapis*, *Staphidis agriæ*: *Radice Saponariæ*, *Pyrethro*, *Pipere*, *Elleboro albo*, *Zingiber. Nicotiana* & ſimilibus.

Ut ℞. *Pulv. Pyrethri*
*piper alb:* an. ℈ß.
*sem: nigellæ* ʒß.
*sinapis* ℈ß.
M. F. *Pulvis.*

Nec improbo hic Pulverem *Tabaci*, quem Schnuptaback vocant, ex folijs Nicotianæ, Majoranæ, Macere, Moscho, ambra, quib9 aliqui & olei Rorismarini, fœniculi, Majoranæ, &c. parum addunt, paratũ, si per intervalla moderatè usurpetur. *Pulvis Tabaci.*

Monendum tamen hic, in ijs qui cerebrum justo mollius & valdè humidum habent, ptarmicorum usum non adeò tutum esse, nam ex nimia cerebri commotione aliquando vel nervus vel aliud quid in eo rumpi potest; Sic ex Sternutatorio, læsis nervis opticis, quendam visum amisisse *Guilhelm. Fabric. in observat: Chirurg: Cent.* 1. *observat.* 24. annotavit.

*Inunctiones Palati, & Gargarismi.*

Egregiè quoq; caput evacuant, idq; simul roborant, *Palati inunctiones* & *Gargarismi*, quæ ex antea enumeratis præparantibus componuntur. Inprimis autem hic convenit *confectio Anacardina* in aq. conveniente aut oxymelite scyllitico dis-

soluta,

soluta, & in ore aliquandiu detenta, magnam enim vitiosorum humorum copiam ê cerebro trahit, idq; simul roborat.

Gargarismi.

Vel parentur hi gargarismi.

℞. *Calaminth. aut hyssopi*
*Rosmarin.* an. Mß.
*Salviæ*
*Majoranæ* an. Mj.
*Rad: pyreth:* ʒj.
*Cinamomi* ℈j.
*Zingiber.* ℈ij.
*Fol. senæ* ʒiij. *aut Agarici trochisc.* ʒij. vel *q. s. videtur.*
*Nucis moschat* ℈ij.
*Coq. in aq. s.* ℔j. *adde*
*oxymel. scyllitic.*
*Mellis anthosati* an. ℥j.
M. F. *oris collutio.*

Efficax & hic *Gargarismus Plateri* est.

℞. *Rad: Angelic.*
*Pyrethri*
*Acori veri* an. ʒiij.
*Majoran.*
*Origan.*
*Hyssop.*
*Thymi.*
*Salviæ* an. Mß. vel Mj.

Sem

*Sem: sinapis* ʒij.
*Staphidisagriæ*
*Piperis longi* an. ʒj.
*Nuc. moschat*: ʒiß.
*Coq. in aq. f.* vel *hydromelite in Colaturæ* ℔j.
vel ℥x. *dissolve.*
*Oxymel. scyllit*:
*Mellis anthosati* an. ʒvj.
M. F. *Gargarismus*, seu oris Collutio.
Sign. Mundt Wasser.

## *Masticatoria.*

Magni â plerisq; etiam *Masticatoria* fiunt, quippe cum pituitam ê cerebro etiam proliciant, eamq; incidant & attenuent. *Masticatoria.*

Commendatur autem & singulare quasi Apoplexiæ præservativum statuitur, *Radix Elenij*, si sæpius masticetur, oreq; contineatur.

Laudantur & plurimum *grana mastichis*, si vel sola, vel cum passulis bis in septimana ventriculo vacuo masticentur, dentibusq; conterantur. *Pastilli mansiles.*

Vel ℞. *Mastich.* ʒij.
*Radic. Pyrethri*
*Elenij* an. ℈ij.
*Cubebar.*
*Sem. sinapis* an. ʒß.

*Nucis moschat.* ℈j.
*Agaric. trochis.* ʒß. vel ℈ij.
Cum melle & Cera
F. *pastilli* mansiles.

## *Confortantia Cerebrum & à Proprietate ab Apoplexia Praeservantia.*

*Confortantia & Appropriata.*

Post horum usum cerebrum roborandum & confortandum, eaq; quæ â proprietate Apoplexiam præcavere & adversus eam valere creduntur, usurpanda sunt. Commendantur autem longoq; usu & experientiâ etiam probata sunt potissimum sequentia.

*Herbæ:*

Herbæ: *Salvia*, *Rosmarinus*, *Pulegium*, *chamæpithys*, *Majorana*, *Melissa*, per quam, quod semel monere sufficit, hic Melissam communem & *Melissophyllum vulgare seu Apiastrum* intelligo non *Melissam Turcicam*, quam alij perperam Melissophyllo substituunt; quorum, ut & plurimos alios circa plantas, aliaq; simplicia ab antecessoribus nostris commissos errores in *Taxa* VVittebergensi, Anno 1625. excusa, (etsi meum nomen in ea omissum sit) correxi ut qui hanc editionẽ cum priori contulerit, facile animadvertet. *Spica Indica*.

*Flores:*

Flores: *Salviæ*, *anthos*, *Lavendulæ*, *lilij con-*

*vallÿ*, *Primulæ veris*, *Stœchad. Arabicæ*, *Tanaceti*, cujus conserva â multis magnoperè laudatur.

Semina: *Erucæ*, *Pæoniæ*, *Carvi*. Semina.

Radices: *Angelicæ*, *Helenÿ*, quæ valde hic utilis & sæpius probata, *Caryophyllatæ*, *Pentaphylli*. Radices.

Fructus: *Anacardia*, *Baccæ Juniperi*, *Lauri*. Fructus.

Aromata: *Cubebæ*, *Cinamomum*, quod cor & cerebrum mire reficit, ita ut inde proverbium natũ sit, Cur moritur homo, qui utitur Cinamomo? *Nux moschata*, quæ omnibus, qui Apoplexiam metuunt, aut catarrhosi sunt, familiarissima esse debet, *Galanga*, *Cardamomum*.

Gummata: *Succinum*, quod maximæ etiam efficaciæ, *Thus*, *mastich*: *Bdellium*, *Gummi Juniperi* seu *Arabum Sandaracha*. Gummata.

Ab animalibus desumta, marina & pretiosa nonnulla: *Lapis carpionum semilunaris supra oculos positus*, qui singulare ad Apoplexiam præcavendam experimentum est, & â proprietate adversus hunc morbum valet, *Moschus*, *Zibethum*, *Margaritæ*, *Cranium humanum*, *Corallia*, quibus etiã multum tribuitur: *Ambra*, qua nihil ad confortandum & roborandum cerebrũ, spiritusq; instaurandos efficacius ac præstantius dari potest. *Castoreum*, aliquoties hactenus â nobis laudatum. Marina & alia.

*Olea.* Olea: *ſuccini*, quod egregium & Apoplexiæ præſervativũ, & ſpirituum inſtaurativũ eſt, quidq; proximè in ſumma virium imbecillitate, hoc oleo præſtitum fuerit, alio loco exponam: *Salviæ*, *Nucis moſchatæ*, *Angelicæ*, *Cinamomi*, *Caryophyllorum*, *Cubebarum*, *Lavendulæ*, *Majoranæ*, *Rorismarini*, *Rutæ*, & demum, quod Spiritibus & cerebro maximoperè gratum, eiq; quaſi animam afflat, *Meliſſæ*.

*Aq. & Spiritus.* Aq. & Spiritus: *Meliſſæ*, cujus aquam, cum vino deſtillatam, ſæpè magis probo quam ſpiritũ: fermentatione enim & digeſtione nimiâ interdum hæ molliores & teneræ plantæ totæ quaſi, maximè â pharmacopœis minus curioſis, deſtruuntur, ut planè in alienam naturam degenerent, ſpiritusque earum interdum nec odorem nec ſaporem plantæ amplius referant, & procul dubio nec eandem cum ea efficaciam ſemper obtineant. *Salviæ*, *Rorismarini*, *Cinamomi*, *Angelicæ*, *fl. Tiliæ*, *Ceraſor. nigror. Juniperi*, *Lavendulæ*, *Rorismarini*.

*Extract.* Eſſentiæ & Extracta: *Helenij*, *Acori veri*, *Angelicæ*, *Salviæ*, *Lavendulæ*.

*Magiſt.* Magiſteria: *Corallorum*, *Margaritarum*, *Succini &c.*

*Conſervæ.* Conſervæ: *Elenij*, *Acori veri*, *lilior. convall.*,

*Salviæ, anthos, lavendulæ, Tanaceti, tunicis.*

Syrupus *Melissæ, Stœchados Arabicæ, Cinamomi.* Syrup.

Species & Pulveres *diamoschi dulcis, diambræ, fœcul. Bryoniæ, Pœoniæ* &c. Ex quibus omnibus varia Medicamenta, tam interna quam externa, utpote *Aq. Compositæ, Clareta, Pulveres, Rotulæ* & *Morsuli, Electuaria, Odoramenta, Embrochæ* seu lotiones capitis, *cucufæ & sacculi, Unguenta, Emplastra*, & similia parari possunt. Pulver.

## *Aq. Compositæ.*

De aquis Apoplecticis compositis supra egimus, quæ enim in curatione conveniunt, etiam utiliter præservationis gratiâ assumi possunt. Unam vel alteram saltem adhuc adjungere libet.

℞. *Cerasor. nigror. (lunâ decrescente, ut aliqui volunt, collectorum) & cum nucleis contusorum Cantharos tres.*
*Flor. lavendulæ* Mv.
*Pulv. sem: Erucæ* ℥ij.
*Rasur. visci Quercini* ℥iß.

Stent in infusione per dies aliquot, postea destillentur, sumantur de eâ mane & vesperi cochlearia duo cum nucleis persicorum, Ad

Apoplexiam, Epilepsiam, & Vertiginem mirè laudatur.

*Aq. Carfunculi.*

Multum & hic valet *Aqua carfunculi*, quam *Maximiliano Imperatori* loco secreti oblatam, & ab ejus destillatore Rudolpho Principi Anhaltino demum communicatam dicunt, atq; ad plurimos affectus, Apoplexiam nempè, Epilepsiam, Syncopen, Fœtus in utero confortationem, partum difficiliorem, terrorem, tam intra quam extra usurpatam, mirificè commendant.

Ejus descriptio ut in Germanico libro sub titulo **Außerlesene Kunstück vnd Artzney für alle Gebrechen des Leibes**/&c. Anno 1613. edito, pag. 30. extat, paucis mutatis talis est.

℞. *Rosmarin.*
*Flor: violar. purpurear.*
*lilior. convall:*
*Borragin.* an. ℥vj.
*Majoran.*
*Lavendulæ*
*Salviæ*
*Card: Bened.* autor perperam habet **SawDistel** / quæ scrophularia est, & hic minimè convenit: debuisset ab eo poni **gesegenete Distel.**

*Scabi-*

*Scabiosæ* an. ℥iij.
*Menthæ veræ officin:* ℥j.
*Nucis moschat.*
*Macer.*
*Zingiber:*
*Caryophyll:*
*Cinamom:*
*Cardamom:*
*granor. paradysi*
*Cubebar.*
*Galangæ*
*Baccar: Juniperi*
*Visci querni*
*Corylini*
*Granor: Pœoniæ excort:*
*Rasur. CC.* an. ℥j.
*ossis de CC.*
*Ungul: alcis* an. ʒß.

Priora incidantur posteriora contundantur & pulverisentur. Affunde vini Malvatici q. s. ut fiat instar pultis: alij sumunt ℔iiij.

*Aq. rosar.*
*fragor.*
*Spicæ vel lavendulæ* an. ℔iij.

Stent in infusione per mensem in vitro, vel vase VValdenburgico optimè clauso, in cella vel alio loco frigido, destillentur, postea igne lentissimo in Balneo Mariæ, Cavendo sedulò ne fortè empyreuma contrahat. Liquori destillato adde

*Moschi*

*Moschi* ℈j. ego ambram sumerem vel ad minimum ejus ℈ß. simul admiscerem.
*Margaritar. præparat.* vel potius solutionis earundem
*Fol. auri*, si quid inde utilitatis sperandum.
*Pulver: vel* etiam solutionis *lapid: percarum*, an. ʒß.

Servetur ad Usum; deq; ea interdum unum vel duo cochlearia sumantur.

Sign.

**Carfunckel Wasser.**

Valdè quoq; ad Vertiginem & Apoplexiam præcavendam utilis est hæc *Aqua infusionis Lavendulæ* D. Peuceri.

℞. *Fl. lavendul.* Miijß.
*sem: Erucæ*
*Rad. & sem: Pæoniæ*
*Macis*
*Cinamom.*
*Galangæ*
*Caryophyllor.*
*Acori veri* an. ʒj.
*Nuc. moschat.*
*Cubebar.*
*Zingib. optim.* an. ʒij.

Infund. in Vini albi ℔iiij. ſtent in infuſione diebus 14. poſteà deſtillentur.

Sign.

Lavendel Waſſer.

Commendatur & hæc *Aq. Vitæ Seileri*, quæ deſcribitur in Epiſtolis â *Scholtzio* collectis fol. 6.

℞. *Vini Malvatici* ℔ij.
*Herb: Meliß.*
*Fl: lilij convallij*
*anthos*
*Lavendulæ*
*Borraginis*
*Primul. veris* an. Mj.
*Granor: paradyſi* ʒiij.
*Cubebar.*
*Cinamomi*
*Nucis moſchat.* an. ʒij.

Stent in infuſione per menſem & poſtea deſtillentur.

Sign.

Schlag Aquavit.

*Claretum.* *Claret.*

℞. *Nucis moſchat.*
*Maceris* an. ʒj.
*Cinamom:* ℥iß.

*Cubebar.* ʒij.
*Granor. Paradysi* ℈ij.
*Caryophyllor.* ʒj.
*Flor: anthos.*
*melissæ* an. Pij.
*Rad. angelicæ.*
*Helenij* an. ʒj.

Crasso modo contusa, infunde in Spiritu Vini, (hujus enim narcoticam vim simplicia obtundunt,) ℔jß. stent in infusione per aliquot dies, colentur. Colatura servetur ad usum.

Si loco Spiritus, simplicis Vini q. s. sumatur, saccharumq;, v.g. ad vini partes ij. iij. vel iiij. una sacchari addatur, posteaq; per manicam *Hippocratis* aliquoties colentur, Vinum *Hippocraticum* & *Claretum* fieri potest.

Vel. ℞. *Vini* ℔iß.
*infusi prædict.* ℥iij.
*facchari* ℥iiij.
Colentur per manicam *Hippocratis*
F. l. a. *Claretum* cui ambræ ℈ß.
addi potest.
Sign. Claret **wieder den Schlag.**

Pulver.

## *Pulveres.*

Ex antea enumeratis medicamentis, â proprietate adversus Apoplexiam valentibus, varij

quoq; *Pulveres* componi possunt. A *Cratone*, *Gabelchovero*, *VVittichio* & alijs hic sæpius probatus est.

℞. *Succini albi* ℥j.
*Spec: diarrho: abbat.* ℥ß.
*Rad. pœoniæ* ℈j.
M. F. *Pulvis.*
Sign.
Schlag Pulver.
Detur de eo ʒj. ante *novilunium in aq. salviæ, rosmarini, flor. tiliæ, cerasorum &c.*

*Pulvis probatus.*

Nonnulli succini albi Unciam unam cum aquâ cerasorum nigrorum in lapide marmoreo prius terunt, posteaq; species diarrho. Abbatis unciam semis addunt, hocq; modo paratum pulverem in pixide ligneo asservant, atq; instantibus novilunijs & plenilunijs drachmam unam de eo in aquâ cerasorum nigrorũ exhibent, hominemq; ejus usu per integrum mensem ab Apoplexiâ tutum reddi perhibent.

*Præparatio Succini.*

Neq; solùm præservationis causa, verùm etiam in ipso paroxysmo Apoplectico hunc pulverem aliqui in aquis appropriatis ægris offerunt, seq; eo multos servasse pro certissimo affirmant

*Pulvis ad Apopl: Noribergens:*

Non multum ab hoc pulvere differt *pulvis ad Apoplexiam Noribergensium Medicorum*, qui ita paratur.

℞. *Succini albi præpar.*
*Spec. diarrh. Abbat.* an. ℥ß.
*Corall. rubr. præparat:*
*albor. præparat:*
*Fragment. hyacinth.*
*granat.*
*Rubin. præparat.* an. ʒj.
F. *pulvis.*

*Sem. Erucæ.*

*Erucæ semen* solum ad drachmam semis *Platerus* exhibet, & valde commendat. Alij, cum vehemens sit, ita prius præparant.

℞. *Sem: sinapis albi, q. v. infundatur in Spiritu vini, stet in infusione horis 12. postea exsiccetur, & iterum in aq. Lavendulæ & vino malvatico per diem maceretur, iterumq; exsiccetur & servetur ad usum.* Sed tutò etiam non præparato utimur. Vereor enim, ne Spiritus Vini optimum quod est in eo extrahat.

*Sem. Carvi.*

Magnæ efficaciæ etiam semen *Carvi* est, si interdum de eo ℈ij. assumãtur; mirè enim confortat caput, humores fundit & liquat, vaporesq; discutit.

*Nux Moschata.*

*Nux moschata* sæpius comesta cerebro gratissi-

tisſima eſt: catarrhos enim non ſolum ſiſtit, ſed & in præſervatione ab hoc malo verè nobile & excellens remedium exiſtit.

Neq; hic omittendum *Caſtoreum*, quod caput optimè roborat, flatusq; in eo mirificè diſcutit. *Caſtoreum.*

Ego ex omnibus probatisſimis ſimplicibus hunc *pulverem ad Apoplexiam* compoſui.

*Pulvis Apoplecticus autoris.*

℞. *Spec: diarrhod: abba.* ʒj. vel ℈iiij.
*diapliris* ℈j.
*Succini albi aq. Ceraſor. præpar.* ʒiß.
*Nuc. moſch.* ʒj.
*Cinamom.*
*Cubebar.* an. ʒß.
*Lapid: carpion: ſemilun:* ℈ijß.
*Sem. erucæ*
*nigellæ*
*carvi* an. ℈ij.
*Magiſterij corall.* ℈ß.
*Ambræ grieſæ* gr. vj. vij. *& in ditioribus* ℈ß. vel plus.

M. F. *pulvis* cui *ol: ſuccini* albi guttæ aliquot inſpergi poſſunt, doſis ℈ij, vel ʒj.
Sign. Pulver für den Schlag.

Vel. ℞. *Spec: diambr.*
*diamoſch. dulc.* an. ℈j.

*diaxyloaloës* ℈ß.
*Ol. destill: anisi*
*nuc. mosch.* an. *gutt.* ij.
M. F. *Pulvis pro dosi unâ.*

Tragea Pontani.

Laudatur & hæc *Tragea D. Johannis Pontani.*

℞. *Spec. diapliris.*
*diarrhod. abbat.*
*diacinamom:* an. ʒj.
*Aromat: rosat.*
*diamosch. dulc.*
*Zingiber: albi.*
*Ligni aloës.*
*Coriand. præpar.*
*Rad: pœoniæ.*
*glycirr.*
*Nuc. mosch.* an. ʒß.
*Cubeb:*
*Corall: rubr. præpar:* an. ℈j.
*Sacchar: albiss.* ℥j.

F. *Tragea*, de quâ singulis diebus ʒß. vel ℈ij. sumi possunt.

Sign.

Drisenet furn Schlag.

Rotula.

## *Rotulæ & Morsuli.*

Ex pulveribus possunt fieri Rotulæ vel morsuli,

ſuli, ſi ſaccharo in aquâ convenienre diſſoluto excipiantur, & inde tabulæ formentur. Ego, qui Apoplexiam, ob diuturnum capitis affectum ex malo hypochondriaco graviſſimo contractum, valdè metuo, has mihi præſervationis cauſsâ tabulas præſcripſi, easq; ad cor & cerebrum roborandum, Spiritusq; reficiendos & inſtaurandos, ut & vertiginem, efficaciſſimas deprehendi; ſi ſingulis diebus duæ vel tres de ijs ſumantur.

*Tabul. Apoplectic. autoris.*

℞. *Pulv. Succini albi Aq. Ceraſor. præpar.* ℥ijß.
*Lapid. Carpion. ſemilunar.* ℨj. vel ℈iiij.
*Nucis Moſchat.* ℨiß.
*Cubebar.* ℈iiij.
*Rad. angelicæ*
*Doronici* an. ℨß.
*Sem. Aquilegiæ*
*Carvi*
*Erucæ* an. ℨj.
*Nigellæ*
*Paſtinac. Sylveſt.*
*Granor. Maſtich.*
*Thuris* an. ℈ij.
*Baccar. Lauri* ℨß.
*C. Cervi ſine uſt: præpar.* ℈ß.
*Ambræ. q. lubet*
*Spec: Diamoſch. dulc.*
*diapliris* an. ℈ij.

diar-

*diarrhod Abbat.* ℥j.
*Magister: Corallor.* gr XVI.
*Perlar.* ℈ß.

Sacchari albisſimi diſſoluti in *Aqua Ceraſor. nigror:* & *flor. Tiliæ*, tantum, quantum ad Species excipiendas neceſſarium, nam majorem ſacchari copiam in rotulis non probo. Ubi omnia ferè refrixerint adde

*Extract. ſcorzoneræ* ℈j.
*Helenij*
*Ol. deſtillat. ſuccini albi* an. ℈ß.
*Meliſſæ* g. vij.
*Majoranæ*
*Salviæ* an. g. iiij.
*Cinamom.* g. vij.
*Caryophyllor.* g. iiij.
*Confect. AlKermes.* ℥ij.
M. F. l. a. *Rotulæ* ſeu *Tabulæ.*
Sign.

**Küchlein wieder den Schlag.**

Quod ſi cui compoſitio hæc juſto major videatur, ejus partem tertiam vel quartam ſaltem præparet, varietq; pro ſua intentione & ſcopo ſingulorum doſes pro lubitu; ego enim omnia ad meam intentionem, nempe *Vertiginem*, *Apople-*

*xiam*,

*xiam*, Spirituumq; etiam vitalium instaurationem, direxi.

*Platerus* has laudat: Tabul. Plateri.

℞. *Nuc. mosch: n.* iij.
*Rad: pyrethr.* ʒj.
*Fol: salviæ*
*Majoranæ*
*Fl: Lavendulæ*
*anthos* an. ʒß.
*Sem: nigellæ* ℈j.
*Cinamom:* ʒiß.
*Caryophyll:*
*Galangæ* an. ʒß.
*Cranij hominis præpar:* ʒß.

Pulverisentur, & cum sacchari in aq. salviæ dissoluti ℥vj. F. *Tabulæ.*

Vel: ℞. *Pulv: sem: eruc: sacchar:*
*coopert:*
*carvi*
*cinamom.*
*nucis mosch:* an. ʒj.
*Ol: succini albi* ℈ß.
*Sacchari in aq. fl: tiliæ & majoranæ dissoluti q. s.*

F. *Rotulæ.*

Sign. Küchlein.

*Medicamẽta varianda sunt.*

Atq; ne Natura uni medicamento assuescat, utile est ea interdum immutare, & nunc hoc nunc alio uti; vel mutatis vicibus hoc die Tabulas, altero Electuaria, postea Pilulas aut Pulveres usurpare.

*Electuaria.*

## *Electuaria.*

Ex *Electuariis* autem conveniunt hæc:

℞. *Conserv: lavendulæ*
*melissæ*
*anthos*
*fl: tiliæ* an. ℥j.
*Pulv. Nuc.mosch.* ʒiß.
*Acori veri condit.* ʒij.
*Spec. diambræ*
*diapliris*
*diamosch. dulc.* an. ʒß.
Cum syr. stœchad: Arab. q. s.
F. *Electuar:*

Vel. ℞. *Conserv: Tanaceti*
*anthos*
*melissæ*
*majoranæ* an. ℥j.
*Spec. diapliris* ʒj.
*Rad: scorzoner. condit.* ℥ß.
*Rhob: bacc. Junip.* ʒij.
*Magisterij corall.* ℈ß.

Cum

Cum ſyr. ceraſor: nigr. q. ſ.

F. *Mixtura.*

Sequens *Electuarium* Cerebrum & Spiritus animales corroborare, humores in capite exſiccare, eumq;, qui ejus quotidie ad nucis avellanæ vel caſtaneæ quantitatem aſſumſerit, eô die tutum ab Apoplexia eſſe ſcribit *Franciſcus Ioel. lib.* 1. *prax. ſect.* 3. *p.* 94.

℞. *Conſ. anthos* ℥j.
*Betonicæ*
*Salviæ* an. ℥ß.
*Theriacæ Andromach.* ʒiij.
*Confect. Anacardin.* ʒij
*Spec: diamoſch. dulc.*
*diambr:* an. ʒj.
*Pul. Caſtorei*
*ſem: Erucæ* an. ʒß.

Cum ſyr. ſtæchad. Arabic. vel Betonicæ q. ſ.

F. *Electuarium.*

Si ei aliquid ol. Cinamomi, ſuccini, vel ejus pulverem aut alia addideris, efficacius reddes.

*Auream Alexandrinam* commendat *Nicolaus Myrepſus* fol. 353. & qui eâ ſæpius utatur, ipſum non Apoplecticum fieri dicit.

Pilulæ.

## *Pilulæ.*

*Abraham Seiler, in Epistol: Scholtzij fol.*10. se pro singulari experimento in arcenda Apoplexia hasce pilulas habere scribit, si de ijs ℈j. ad noctem novilunij & plenilunij, cœnâ frugaliore antegressâ, assumatur.

℞. *Cubebar.*
*Calamenth:*
*Mastich:*
*Nucis moschat:*
*Caryophyllor.* an. ʒj.
*Ambræ* ʒß.
*Moschi* gr. vj.

Cum succo majoranæ formentur Pilulæ.

Odoramenta.

## *Odoramenta.*

Tandem & ad topica seu externa medicamenta, cerebrum roborantia, devenire licet, inter quæ primò numeramus Odoramenta, quæ ex rebus odoratis parata, spiritus & caput reficiunt: suntque usitatissima *Balsama* dicta, ut: Balsam: *Rutæ*, *Majoranæ*, *Rosmarini*, *Cinamomi*, *Lavendulæ*; Item: Balsam. *Apoplectic*: de quibus omnibus suprà actum fuit.

Balsama.

*VVittichius* valde laudat, *Ambram* in oleo florum aurantiorum dissolutam, si eo nares inungantur,

gantur; idq; Viennæ â quodam Medico sibi secreti loco communicatum fuisse scribit.

Vel parentur pro naribus tales *Noduli*. *Noduli seu Sacculi.*

℞. *Meliss.*
*Majoran.*
*Rosmarin.*
*Pulegij* an. ℈ij.
*Fl: lavendul.*
*ros. rubr.* an. ℈j.
*Rad: ireos*
*angelicæ* an. ℈j.
*Cinamomi*
*Nucis moschat.* an. ℈ij.
*Caryophyll:* ℈ß.
*Bdellij* ℈j.
*Styrac. calamit.* ℈ß.
*Nigellæ* ℈j.
*Ambræ* gr. vj.
*Mosch:* gr. vij. vel ℈ß.
Includantur syndone rubro.

F. *Noduli* seu *sacculi* ad odorandum.

Quibus *Castorei* odor non molestus est, ut non omnibus, nec mihi est, hi & de eo aliquid addere possunt: capiti enim egregiè succurrit, cerebrum calefacit, flatusq; discutit.

Nec minorem in roborando cerebro vim & potentiam obtinent narium linimenta, quæ pa-

rantur ex oleis, modò enumeratis, utpote, *Succini*, *Majoranæ*, *Rutæ*, Maceris, *Nuc.* Moschat. *Cinamomi*, *Lavendulæ*, additis *oleo nucis moschatæ expresso*, *cerâ*, & similibus.

Pomambri Huc & pertinent *Poma odorata seu Pomambræ*, quæ ex rebus odoratis, imprimis Cephalicis, pulverisatis, ladano, &c. mucilagine gummi tragacanthæ, Styrace liquido, aut terebinthina exceptis componuntur.

Ut. ℞. *Styrac. calamitæ* ℥iß.
*Ladani* ℈ij.
*Benzöis* ℥j.
*Nuc. moschat.*
*Maceris*
*Cinamomi*
*Caryophyllor.*
*Sem: nigellæ*
*Majoranæ* an. ℥ß. vel ℈ij.
*Moschi*
*Ambræ* an. gr. vj.
*Zibethi* gr. iiij.
*Ol: succini* gr. vj.
*Rorismarini* gr. iij.

Excipiantur cum mucilagine gummi tragacanthæ. F. *Pomambræ*; cui etiam Rad: *Ireos*, *Cyperi*, *Angelicæ* & similia commodè admisceri possunt.

## *Embrochæ, & capitis lotiones.*

Convenit etiam interdum Aquis & Spiritibus Apoplecticis, verticem & tempora inungere; citò namq; penetrant, & non tantum crassos humores attenuant & resolvunt, verùm etiam cerebrum egregiè roborant.

Ego in eum usum, hanc Aquam, quam *Cephalicam Externam* nomino, præscripsi, fitq; ex sequentibus. *Aqua Cephalica Externa autor.*

℞. *Fol.* *Chamæmel. Romani, primo vere antequam flores emittant, collect. & in umbra siccator.* Miiij.
*Pulegij cum florib.* Mij.
*Rorismarini*
*Majoranæ* an. Mj.
*Calaminthæ*
*Serpilli citrati*
*Verbenæ* an. Mß.
*Sum.* *Rutæ cum floribus* Mij.
*anethi* Mj.
*Flor.* *Chamæm. Roman.* Mijß.
*Communis*
*Melilot.*
*lavendulæ* an. Mj.
*sem.* *Cumini* ʒj.
*Carvi* ʒvj.
*anisi* ʒß.

*Baccar. Lauri* ℥iß.
*Juniperi* ʒiij.
*Caryophyll.*
*Cinamom.*
*Nuc. moschat.* an. ℥j.
*Cubebar.* an. ℥iß.
*Rad. angelicæ* ʒiij.

Incisa vel contusa omnia in Vino generoso ejusq; Spiritu an. q. s. infundantur, stent diebus 14. postea destillentur in Bal. M. Liquori destil. add.

*Ambræ*
*Moschi q. l. vel aliquid Castorei, nam hîc utilissimum.*

Irroretur & perfundatur hac aquâ crebrò *vertex, temporaq;* & *nares* eâdem illinantur, flatus enim egregiè discutit, cerebrum roborat, & humores in eo absumit: nihil quoq; nocet, si de hac ipsa aqua, necessitate postulante, aliquid per os assumatur.

*Lotiones capitis.* Vel lavetur bis aut ter in septimanâ ante prandium vel cœnam caput *lixivio*, cui plantæ nonnullæ cephalicæ incoctæ fuerunt; ut.

℞ *Chamam: Roman:* Mj. vel Miß.
*Communis.*
*Majoranæ*
*Rosmarin.*

*Pulegij*

*Pulegij*
*Fol: Lauri*
*Serpilli*
*Salviæ* an. Mß. vel Mj. *aut q. l.*
*Verbenæ*, quæ in melancholicis valde prodest, Mjß.
*Rad. Ireos* ʒiij.
*cyperi* ℥ß.
*Asari* ʒvj.
*Sem: anethi*
*Fl: meliloti*
*linariæ luteæ* an. Mj.
*rosar.* Mß.

Incid. crasso modo, includ. sacculo lineo, qui per noctem in lixivio maceretur, eoq; sæpius caput embrocetur & abluatur.

Alij hisce plantis fol. *senæ & agaricum*, *Rad. Ellebori*, aliaq; purgantia addunt, quibus â vitiosis humoribus cerebrum simul repurgari dicunt.

*Sapo odoratus*, quo loco communis inter lavandum uti possumus. *Sapo odoratus.*

℞. *Sapon: Venet:* ℥iij. vel *q. s.*
*Pulv. Rad: Ireos*
*ladani*
*Santal: citrin.* ℈ij.
*Caryophyllorum*
*Majoran:*
*Menthæ* an. ℈ij.

*Flo: chamom: Roman:* ℥j.
*Ambræ* gr. iij.
*Moschi* gr. iiij. vel *q. libet.*
*Ol: melissæ* g. v.
*Dissol: sapo in aq. ros.*
Formentur *orbiculi.*
Sign.

## Seiffen zum Kopff.

Pulveres Capiti inspergendi.

## *Pulveres capiti inspergendi, Cucuphæ, & Sacculi.*

Post lotionem capiti pulveres inspergi, vel cucuphæ aut Sacculi imponi possunt.

Pulveres parantur ex *Nuce moschata, Caryophyllis, cinamomo*: Rad: *Ireos, cyperi, Lavendulæ, anthos*: sem: *nigellæ*; Pulv: *baccarum Lauri, Juniperi*: *Gummi juniperi, Styrac. Calamit. Ladano*: *Majoranâ, Rosmarin. &c.*

Cucuphæ & sacculi.

De *cucuphis & sacculis*, suprâ in curatione Apoplexiæ actum fuit; Id saltem addo, utiliter prioribus speciebus pro cucuphis hic aliquid de *mastiche, Styrace, gummi Juniperi, thure*, imprimis autem *succino*, addi posse.

Vel. ℞. *Pulv: Nucis mosch.* ʒj.
*Bacc. lauri* ℥j.

Incor-

Incorporentur cum vino vel aq. apoplectica, aut infusionis lavendulæ, imponantur vertici, & anteriori capitis sedi, ubi sutura coronalis cum sagittali conjungitur.

## *Emplastra & Unguenta.*

*Matthæus Flaccus* hoc emplastrum mirabile pro imminente Apoplexiâ esse dicit: *Emplastrū.*

℞. *Myrrh: el:*
*Styr: calam:*
*Bdellij*
*Benzoi*
*Ladani* an. ℥ß.
*Sandaracæ Arab.*
*Vernicis* an. ʒij.
*Ossis cranij humani combust. & pulverisati* ʒiiß.
*Lap: Lazuli.* ℈ß.

Cum terebinthinâ F. *Massa*, de quâ portio inducatur panno serico, in formam taleri, applicetur vertici raso.

Plura emplastra, hic etiam convenientia, suprà cap. 39. reperies.

Unguenta & Linimenta ex oleo *Irino*, *Nardino*, *Rutaceo*, *Castorei*, *Nucis moschatæ* per expressionem. Item oleis destillatis, antea enumeratis

additis pulveribus nonnullis, &, si opus, cerâ etiam, conficiuntur.

Ut. ℞. *Ol. nucis moschat. express.* ℥j.
*Nardini* ℥vj.
*Castorei* ℥ij.
*Pulv. Maceris*
*Caryophyllor.* an. ℈j.
*Ol. destillat. Rorismar.*
*Majoran.*
*succini* an. *gutt.* iiij.
M. F. additâ pauca Cerâ, *linimentum molle*, quo Vertex & tempora inungantur.

## *Lotiones Pedum.*

Lotiones pedum.

Tandem caput quoq; roborant, & materiam ab eo revellunt *Lotiones pedum*, quæ fieri possunt ex *Salviâ, Majoranâ, Serpillo, Origano, Chamæmelo* simplici & *Romano, Pulegio, calaminthâ, Roremarino, Betonica, Anetho, Melissâ* &c. ut:

℞. *Chamæm: Rom:* Miß. vel plus.
*Rosmarin.* Mß.
*Pulegij*
*Serpilli*
*Salviæ.*

*Majoranæ* an. Mj. vel ij. aut iij.
*Anethi* Mß. vel Mj.

Coq. in aq. simpl: pro lotione pedum, quæ sæpius, cùm capiti plurimum prosint, institui debent.

## CAPUT XLV.
### *De Defectu Loquelæ & Vocis.*

NOn rarò post Apoplexiam ablatâ loquelâ, Aphoni fiunt ægri, &, ob læsionem nervorum lingualium, vel penitus muti manent, vel cum difficultate loquuntur, ut non rarò vix intelligi queant: cujus symtomatis cum & Medicus rationem habere debeat, paucis, quomodo & isti succurrendum sit, hoc in loco annectere libet.

Non repetam autem ea, quæ suprà de generalibus remedijs evacuatorijs & revulsorijs dicta fuere. Nam illa omnia generalia præsidia, quæ adversus Apoplexiam commendãtur, in *ἀφωνίᾳ* & vocis defectu â læsione nervorum orto, usurpari quoq; posse, extra controversiam est; Sed tantùm particularia nonnulla remedia huic affectui appropriata, quibus, si universalia non juvant, uti possu-

mus huc adducam; hoc tamen prius monito, quòd, si corpus jam probè purgatum, sanguisq; ex vena brachij majore detractus fuerit, commodè & in hoc malo vena sub lingua incidi, vel cucurbitula sub mento revulsionis caussâ applicari queant.

*Collutiones oris.* Post horum usum ad alia remedia devenien-dum. Et imprimis magni fit, si in læsione vocis & loquelæ os sæpè aquâ *cerasorum nigrorum* colluatur; cui tamen & aliæ, utpote aq. *salviæ*, *cyani*, *pulegij*, *apoplecticæ* &c. convenientissimè addun-tur.

Efficax est hic *Gargarimus.*

℞. *Spiritus ceras. nigr.* ℥ij.
*Extract: salviæ*
*Elenij* an. ℈j.
*Aq. apoplect:* ℥ij.
*Pulegij*
*Cyani* an. ℥ijß.
*Mell: anthosat:* ℥iß.
M. F. *Gargarisma.*

Vel. ℞. *sem: urticæ*, quod valde commenda-tur ʒij.
*Pulegij*
*Salviæ*
*Majoranæ* an. Mß.

*Fl: la-*

*Fl: lavendulæ* Pj.
*Cyani* Pij.
*Nuc. mosch:* ℈ij.
*Rad: Elenij* ʒiß.
*acori* ʒß.
*pyrethri* ℈ij.
*Coq. in aq. & Vino* an. *q. s. Colat:* ℥vij. adde
*Mell: anacard:* ℥j.
M. pro collutione oris.

Si *mithridatio*, vel *confectione anacardinâ*, addito castorio, lingua perfricetur, præsentaneum est remedium. Vide Forestum lib. 10. observat. 86. fol. 427.

In puellâ, quæ ex epilepsia muta evaserat, sequentem linctum efficacem deprehendi: *Linctus.*

℞. *Pulv. sem. urticæ* ℈j.
*nuc. mosch.* ℈iiß.
*Theriacæ*
*Mithridat.* an. ʒiß.
*Confect: anacardin.* ʒj.
*Mell: anthosat:* ℥j.
*Syr. stæchad: Arab. q. s.*
M. Sign. *Linctus*, quo sæpius lingua fricetur, & postea sequente gargarismate abluatur.

℞. *Salviæ*
*Rorismarini*
*Pulegij*

*Majoranæ* an. Mj.
*Ivæ moschat.* Mß.
*Fl: cyani* Pij.
*Rad: pyrethri* ʒiß.
*Coq: in vino pro collutione oris.*

Pro magno etiam secreto habetur in loquelæ defectu, si in *decocto pisorum*, vel, quod melius est, *cicerum* non salito, quatuor vel tres guttæ sanguinis ex aure asini molaris extractæ per aliquot dies vacuo stomacho assumantur.

*Baccæ juniperi* in spiritu cerasorum infusæ, additis *salvia, pulegio, fl: rosmarini*, alijsq; suprâ enumeratis, mirè quoq; in hoc affectu prosunt.

*Flores cyani* sæpius masticati, vel sub linguâ detenti, in vocis defectu pro singulari experimento habentur, & revera etiam sunt.

*Platerus* hos *trochiscos*, si sub linguâ detineantur commendat:

*Trochisci sub lingual:*

℞. *Nuc: moschat:* ʒij.
*Piperis longi*
*Cubebarum*
*Galangæ*
*Sem: nasturtij*
*sinapis* an. ʒj.
*Salis*
*Gummi elenij* an. ʒß.

*Masti-*

*Mastichis* ʒiß.
*Terebinthinæ*, quam valde prodesse docent
*& Ceræ q. s.*

F. Formulæ. Si Castorei ℈ß. addas, erunt efficacissimæ.

Est & utile post horum usum nucham & capitis sedem posteriorem vel oleis calidis, *Costino*, *Castorio*, *Salviæ destillato &c.* inungere, vel sacculis fovere, aut lixivijs, in quibus herbæ cephalicæ maduerint, occiput embrocare. *Inunctiones.*

Ex *oleis* potissimùm hoc convenit:

℞. *ol: rutac.*
*vulpin.* an. ℥j.
*costini* ʒiij.
*destill*: *nuc. mosch*: gr. vij.
*Salviæ* ℈ß.
*Succini* gr. vj.
*rutæ* ℈ß.

M. Sign. Oel.

De sacculis & lotionibus capitis cum suprà, tum in curatione Apoplexiæ, tum in ejus præservatione, abunde actum fuerit, de ijs hoc in loco nil amplius addam; sed his omnibus hunc de Apoplexiâ tractatum concludam, Deum sedulo venerans, ut me, aliosq; omnes â tam gravi & horrendo affectu clementer defendat ac tueatur, mihiq; demum firmam & constantem sanitatem largiatur, ut & illis, quos jam sub manibus habeo, laboribus sufficere valeam.

*FINIS.*

# INDEX RERUM.

A.

*Accidentia qualem habeant essentiam p. 28.*
*Accidentis definitio qualis, 8.*
*Aër qui eligendꝰ aut fugiendꝰ.304.*
*Actus primus & secundus quid, 31.*
*Actionum omnium caussa efficiens anima p. 88.*
*Ad actiones s. n. obeundas plura requiruntur, quàm ad earum læsionem p. 88.*
*Ambra cerebro gratissima, 255.*
*Amuleta, 271.*
*Animi affectus Apoplexiam pariunt, 156. 307.*
*Animal quàm diu vivit tam diu animalis naturæ particeps est, 29.*
*Animales actiones in suspensis illæsis nervis manifestò tolluntur, 89.*
*Animalis spiritus, vide Spiritus.*
*Apoplexia unde dicatur, p. 2. morbus extremè peracutus, ibid: cur Percussio dicatur, ibid: cur nominetur Lapsus, ibid: cur appelletur Dei manus,* oder Hand Gottes / *p. 4. ejus nomen membris particularibꝰ aliquando ab Hippocrate tribuitur, ibid: Eadem ἀφωνία cur indigitetur, p. 5. an rectè Gutta* oder der Tropff *à Paracelso dicatur p. 6. ut morbus & Symptoma considerari potest, p. 7. quomodo definienda, p. 8. ejus subjectum. p. 8. 34. 36. Species seu differentiæ. p. 11. 169. Vera & Notha quæ. p. 11. 132. Mitis & Fortis quæ. p. 10. omnes cerebri actiones abolet. p. 30. interdum remittit. p. 10. 30. quomodo à variis morbis distinguẽda. p. 15. an subitò hominem corripiat. p. 25. an in ea cerebri temperies magis quàm conformatio afficiatur. 40. est morbꝰ organicus. p. 47. non rectè per dissipationem spirituum curatur. p. 71. non fit ex obstructione nervorum. p. 60. seqq. vera ejus caussa. p. 83. procatarcticæ. p. 155. quæ vasa in ea obstruantur p. 103. an*

subita

*subitæ ejus generatio crassos humores excludat. p. 145. qui facilè eâ afficiantur, p. 185. nocturnæ an peiores diurnis p. 187. omnes periculosæ. p. 190. an post eam magis dextra quam sinistra pars paralytica fiat p. 196. ejus curatio â crassis humoribus p. 197. â sanguine. p. 272. qui maximè illi obnoxij. p. 298. præservatio ab ea. p. 298. an concoctio humorum in ea expectanda, p. 203. ejus remedia appropriata & specifica. p. 338.*

*Apoplectici quæ Symptomata habeant. p. 1. an verè attoniti. p. 3. quomodo â Paralyticis differant. p. 5. an omni sensu prorsus priventur. p. 29. cur aliquãdo ad se redeant. p. 30. an & quomodo in ijs respiratio maneat. p. 32. obstructâ saltẽ spinali medullâ ratiocinari possũt. 65. facies cur in ijs non adeò immutetur p. 100. 107. cur nonnulli liberius respirent. p. 172. an pulsus in ijs maneat. p. 173. an citò sepeliendi. p. 175. vivi elati. p. 181. sanati facilè iterum eodem malo corripiuntur. p. 191. an solis prognosticis relinquendi. p. 199. quomodo in paroxysmo tractandi. p. 201. 202. 204. periculosè decumbentes nonnunquam restituti fuerunt. p. 198. non semper validè agitandi, p. 202. os eorum an semper cuneo aperiendũ. p. 203. in ijs intestini recti extremitas aliquando hiat. p. 203.*

*Aquæ Apoplecticæ compositæ. p. 241. probatæ non temerè rejiciendæ. p. 242. Langij. p. 245. Autoris ex Gabelchoveri parata. p. 246. Vitæ Matthioli. p. 248. Andernaci. p. 250. aliæ, p. 341. Carfunculi. p. 342. Infusionis Lavendulæ. p. 344. Vitæ. p. 345. Cephalica externa autoris. p. 359. an in initio morbi exhibendæ. p. 252.*

*Aquæ destillatæ simplices Apoplecticis utiles. p. 241. quæ in sensuum consternatione conveniant. p. 280.*

*Arteriæ jugulares in Apoplecticis non obstruuntur p. 97. ijs ligatis animal non prorsus motum & sensum amittit. p. 99. cur in Apoplecticis tumeant. p. 107. dicuntur Apoplecticæ. p. 97.*

*Arteriæ an secandæ. p. 223. ubi, ibid.*

*Asellius novas venas Mesaraicas lacteas descripsit. in præfat:*
*Aurea Alexandrina. p. 355.*
*Aves cypriæ. p. 305.*
*Autor cur se defendat. p. 59. primus sectionem Varolianam Witteberga administravit. p. 61.*

B.

*Balsama. p. 256. 284. Apoplecticum, 256. Crollij, p. 257.*
*Betæ succus non solus usurpandus. p. 334.*
*Bilis flava an Apoplexiam causet. p. 129.*

C.

*Calcis & carbonum fumi quomodo Apoplexiam pariant. p. 147. an in omnibus individuis id faciant. p. 151. quomodo ijs, qui ita affecti fuerint, succurrendum. p. 291. 292.*
*Candelæ pro fumo. p. 305.*
*Cantharid: vis. p. 269.*
*Caput an tres sanguinis guttas contineat. p. 6.*
*Caput Pituitæ metropolis. p. 120.*
*Capitis inunctiones p. 284. lotiones. p. 359. & 360.*
*Cari & Apoplexiæ differentiæ. p. 17. ex illo quomodo hæc generetur. p. 140.*
*Carbones alij alijs deteriores. p. 152.*
*Catalepsis & Apoplexiæ discrimen. p. 18.*
*Cataplasmata. p. 264. 274.*
*Catarrhi suffocativi & Apoplexiæ discrimen. p. 21.*
*Caussa vera Apoplexiæ. p. 82. Procatarcticæ, 154.*
*Cauteria duplicia. p. 270. an suturæ coronali adhibenda. p. 310.*
*Cerebri vocabulum quomodo hîc sumatur. p. 8.*
*Cerebrum in Apoplexia non temperiei ratione afficitur. p. 45. ejus ventriculi anteriores in Apoplexia non obstruuntur. p. 48. sunt amplissimi. 50.*
*Cerebrum influente spiritu præditum operari potest. 85.*
*Cerebrum spiritus vitales quomodo animales faciat. p. 95. utraq; ejus pars non post omnem Apoplexiam perfectè elevatur. p. 113.*
*Cerebrum nunquam ferè vaporibus caret. p. 143.*
*Cerebrũ etsi novos spiritus non generaret, sat tamen nobiles actiones exerceret. p. 77. eo læso ejus*

*actiones etiam tolluntur. p.89.*
*Cerebrum confertur cum Luna. p.95. læsâ caudâ ipsius tota œconomia non turbatur. p.78.*
*Cerebrum in Apoplexia nonnihil subsidet. p.96. 105. ejus subsidentia ab omnimodo ejus collapsu distinguitur. p.96. 106. collapsus quam Apoplexiam pariat. p.132. inferiores ejus arteriolæ quomodo in Apoplexia occludantur. p.104. ejus actiones primò quàm aliarum partium in Apoplexia læduntur. p.117. vulnera an Apoplexiã faciant. p.138.*
*Cerebellum potissimum motui inservit, & cerebrum sensui. p.110.*
*Chinæ decoctum. p.327. non diu durat, p.330. an commodè China aliis decoctis addatur, ibid.*
*Christus cur Lazarum non nisi post triduum excitarit. p.183.*
*Cibi qui noxij. p.300.*
*Claretum purgans, p.320. ad Apoplexiam. p.345.*
*Clysteres an è capite revellant. p. 205. quando injiciendi. p.203. an plures unicâ die infundendi, ibid: an clysteres & venæsectio unico die adhiberi possint, p.204 213. an soli emollientes in Apoplexia conveniant. p.208. materia eorum. p.208. 210. flatus discutient. p.278. formula mitiorum, ibid: fortiorum, p.212. an ex vino forti parandi, p. 211.*
*Colocynthidis dosis nimia improbatur. p.210.*
*Columbarum caro an capiti noceat. p.300.*
*Cor an in Apoplexia afficiatur. p. 34. quomodo suffocetur. p.69. comparatur cum Sole. p. 95. non exuritur in Apoplecticis. p. 166. in febre principaliter affligitur. p.195.*
*Corporis artificiosa dissectio Paracelsistis Localis dicitur. p.36.*
*Cranij depressio Apoplexiæ caussa. p. 138.*
*Cruditas quid. p. 235.*
*Cucuphæ p. 264.*
*Cucurbitulæ an in Apoplexia locum habeant. p. 228. ubi applicandæ, ibid: vertici adhibitæ utilissimæ. p. 229.*
*Curatio Apoplexiæ secundum indicationes instituenda. p.199.*

D.

*Decoctum Guajaci, Chinæ, Sassafras,*

*fras, Zarsaparillæ, Pentaphyll: &c. quomodo parandum, p.315.*
*Diæta Apoplecticorum. p.271.*
*Dropax duplex. p. 268.*

E.

*Ebrietatis curatio & ab ea præservatio. p.296. 297.*
*Ecstasis quomodo ab Apoplexia dissentiat. p.22. quotuplex, ibid:*
*Electuar. purgantia. p. 232. 316. an in aquis dissolvenda. p.234.*
*Electuaria alterantia Apoplecticis utilia. p. 258. 289. præservantia. p.354.*
*Embrocationes Apoplect: 263. præservat: 359.*
*Emplastra in curatione convenient: p.266.*
*Ens in potentia est non Ens. p. 27.*
*Epar an in Apoplexia afficiatur. p.35. ejus actio unâ vel alterâ mesaraicâ obstructâ non mox tollitur. p. 72.*
*Epilepsiæ & Apoplexiæ differentiæ. p.19.*
*Epilepsia unico die hominem plusries infestat. p. 20. transit in Paralysin, ibid: cur in ea actiones animales immutentur. p. 79.*
*Epileptici in paroxysmo totum corpus agitant. p. 20.*
*Epithema cordiale. p. 290.*
*Errhina. p.260. 332. Materia eorum. p.261. 332. formulæ, ibid: & 333.*
*Essentia actualis & Existentia non differunt vere. p. 27.*
*Existentia non est modus essentiæ. p.27.*
*Extracta purgantia. p.231. alia alterantia. p.241.*
*Exhalationes è linteis humidis fugiendæ. 303.*

F.

*Facultates animæ non separantur à partibus in Apoplexia. p. 163.*
*Febrem an Apoplexiæ supervenire bonum sit. p.195.*
*Flatus ubi generentur & quomodo discutiendi. p.277. eorum remedia. p.280. seqq.*
*Fomenta. p.262.*
*Fonticuli. p.308. ubi applicandi ibid: an nuchæ aut suturæ coronali rectè adhibeantur. p. 309.*
*Frictiones Palati in Apoplecticis. p.239.*
*Frigus noxium. p. 271.*
*Fulmen Apoplexiam interdum*

excitat, p. 158. â fulmine consternati & læsi quomodo ab Apoplecticis discernendi. p. 24. spirant odorem sulphureum. p. 25. quomodo curandi. p. 287.
Fumi calcis, carbonum, vide Calx.

G.

Gargarismi. p. 330. 344.
Granatylli quid. p. 238. differunt â planta Granadilla, in erratis.
Guajaci decoctum quomodo parandum. p. 325. 329.

H.

HauptAder quæ barbi tonsoribus dicatur. p. 220.
Hæmorrhoidum in præcavenda Apoplexia vis. p. 308. Externæ cũ internis junguntur in præfat.
Helluones cur facilè Apoplectici fiant, p. 299.
Hirudines an in Apoplexia applicandæ. p. 228. quæ & quomodo præparandæ. p. 230.
Historiæ eorum, qui pro mortuis habiti revixerunt. p. 176.
Humor in cerebri ventriculis nõ est caussa mortis repentinæ. p. 55.
Humores crassi impervios nervos non subire possunt. p. 63. ex nervis Phlebotomiâ non retrahuntur. p. 108.
Humores tenues cerebri ductus perfectè non obstruunt. p. 144.
Humores qui propriè crudi. p. 235.
Hydrocephalici cur non fiant Apoplectici. p. 144.

I.

Indicationes curatoriæ petuntur â caussa. p. 200.
An plura indicantia, ut Sala vult, constituenda. p. 201.
Indicationes præservatoriæ quæ, p. 299.
Inflammatoria cerebri dispositio an Apoplexiæ caussa sit. p. 134.
Infusa purgantia. p. 233. Senæ D. Burseri. p. 321.
Instrumentum â verâ caussâ efficiente differt. p. 87.
Intellectus intelligit, etsi externi sensus non sint in actu secundo. p. 68.
Intemperies simplex meatus non occludit. p. 46.
Inunctiones. p. 265.
Ira sæpe Apoplexiæ occasionem præbet. p. 156.
Iugulares venæ in Apoplexia Spiritus ad cerebrum vehunt. p. 98. tument in Apoplecticis. p. 107.
Iuvenes Apoplectici an omnes moriantur. p. 187.

Lavi-

L.

*Lapidis carpionũ semilunaris vis, p.339.*
*Lazarus cur post triduum demum resuscitatus. p.183.*
*Lethargus quomodo ab Apoplexia differat. p.16.*
*Linimenta Apoplectica. p.266.*
*Litterati cur maximè Apoplexiæ obnoxij. p.299.*
*Loquela non inflammatur. p.167. ejus defectus curatio. p.365.*
*Luna sine sole non lucet. p.97.*
*Lunares radij noxij. p.155.*
*Lychni extincti exhalatio noxia. p.303.*

M.

*Maculæ à fulmine inductæ quomodo curandæ. p.290.*
*Magisteria. p.241. 337.*
*Malleus instrumentum poculi, non verò causa efficiens. p.87.*
*Maniaci siccam temperiem cerebri habent. p.149.*
*Materiales affectiones nonnullas organa requirunt. p.42.*
*Medico in curatione Apoplexiæ quid faciendum. p.199.*
*Medicamenta interdum immutanda. p.354.*
*Melancholia an Apoplexiam producat. p.121. quænam eam producat, 160. signa. p.184.*
*Melancholici cur facilè fiant Apoplectici. p.188.*
*Melissa qualis hîc intelligatur. p.338.*
*Mercurij vapores Apoplexiam faciunt. p.159. ejus species à Scheunemano propositæ. p.164.*
*Modus perseitatis quid. p.27.*
*Monstra aliquando in Medicina fiunt. p.198.*
*Morbus inter Apoplexiam & Epilepsiam medius, Vide sensuum consternatio.*
*Morbus multis modis magnus dicitur. p.122. morbus pro dispositione vera sumtus, utiles indicationes non suppeditat. p.200.*
*Pro mortuis habiti revixerunt. p.177.*
*Motus respirationis qualis. p.33.*
*Motus fit successivè. p.45.*
*Morsuli. p.350. ad Apoplexiam autoris. p.351.*
*Mulieres an ab Apoplexia immunes sint. p.186.*
*Mulleri experimentum. p.254.*
*Musti exhalationes qua ratione homines interficiant. p.152.*

quomodo ab ijs affecti homines tractandi, p. 291.

N.

Narcotica an Apoplexiam excitent, p. 145. quæ eorum vim obtundant, p. 280. 296.
Nasalia & Errhina.
Nervi non sunt manifestò cavi, p. 63. eorum principium non adeò angustum, p. 64. non æquali serie in capite ad organa sensuum feruntur, p. 64. uno obstructo non mox alter obstruitur. ibid: quomodo post Apoplexiam lædantur, p. 114. eorum principium â vasis non prorsus occludi potest, p. 136. ijs affectis sensus & motus in membris læduntur, p. 115.
Nervi optici unde oriantur, p. 57. eos obstructâ caudâ medullæ obstrui necesse non est, p. 57. 61. prodeunt ab ipsis ventriculis inferius, p. 62.
Noduli odorat: p. 357.
Notha Apoplexia quæ, p. 11. 132.
Numerus ad organicam partem simplicem non pertinet, p. 44.
Nucis moschatæ usus, p. 339.

O.

Occlusio quid, p. 8.
Odoramenta in Apoplexia convenientia, p. 254. an in sanguinea Apoplexia conveniant, p. 273. in sensuum consternatione quæ utilia, p. 284, 290. cerebrum confortantia, p. 356.
Odores qui fugiendi, p. 303.
Olea in Apoplexia convenientia, p. 240. 254. Nucis moschatæ vis, ibid: non sola destillata usurpanda, ibid:
Olea per expressionem parata, p. 265. 284.
Opium in momento sensum & motum non tollit. p. 146.
Organica pars Medicis quæ, p. 42.

P.

Palati inunctiones, p. 239. 335.
Paralysis quid, p. 3. quomodo ex Apoplexia fiat, p. 111. generatur particularis nervorũ vitio, p. 113. ab Apoplexia differt, p. 115. sequitur non tantum Apoplexiam, sed & colicam &c. p. 119. cerebrum sæpè in ea salvum, p. 116.
Paralyticæ partes vivunt.
Paracelsistæ quid de generatione Apoplexiæ sentiant, p. 161.
Partes non omnes sentiunt, p. 37. optimè etiam constitutæ nec moventur, nec sentiunt, nisi Spiri-

*tus à cerebro influat, p. 39. similares non organicis opponuntur, p. 42. paralyticæ adhuc vivunt, p. 82.*
*Pedibus calceatis dormire noxium, p. 307.*
*Pedum lotiones, p. 364.*
*Percussa quæ propriè dicantur, p. 2.*
*in Phreneticis cerebri actiones non abolentur, p. 135.*
*Pilos partes corporis demonstravit Autor alibi, p. 37.*
*Pilulæ, p. 231. 232. 316. 322. an caput magis quam alia purgent, ibid: de Iva descript: p. 323. præservantes, p. 356.*
*Pituita epidemica quæ, p. 120. caussæ, p. 160. signa, p. 184. potissima Apoplexiæ caussa, p. 120.*
*Plantæ nonullæ inter se antipathiam habent, p. 243.*
*Plantæ Cephalicæ, p. 262.*
*Potiones præparantes, p. 314.*
*Pomambra, p. 258.*
*Præfocatæ non semper sensibus privantur, p. 18. sæpè non manifestò respirant, p. 172.*
*Præparantia medicamenta, p. 311.*
*Præservatio ab Apoplexia, p. 298.*
*Ptarmica, p. 259. 334. quibus noceant, ibid:*
*Pueri etiam Apoplexia tentantur, p. 123. cur non facilè, p. 121.*
*Pulli columbini & gallinacei vis, p. 274.*
*Pulmo an in Apoplexia afficiatur, p. 35. officina sanguinis arteriosi ex mente Autoris, p. 36.*
*Pulsus an in Apoplecticis planè aboleatur, p. 173. aliquando obscurus, etiam in sanis nonnullis, p. 174.*
*Pulveres Peptici, p. 302. eorum materia, ibid:*
*Pulveres purgantes, p. 316. 324. ad Apoplexiam appropriati, p. 347. Noribergensium, p. 348. Apoplecticus Autoris, p. 349.*
*Purgantia an in Apoplexia exhibenda, p. 231. quomodo, ibid: quæ hic utilia, ibid: & 315. 316. formulæ, p. 232. 317. 318. seqq. an in ea humorum concoctio expectanda, p. 234. an unico die purgare & venam incidere liceat, p. 236.*

R.

Rauchpulver fürn Schlag *p. 307.*
*Remedia in acutis morbis publica ab omnibus Civitatis Medicis approbanda, p. 143.*
*Repellentia an conveniant, p. 274.*

*Respiratio an in Apoplecticis maneat, p. 32. qualis motus, p. 33. an vivente animali plane tolli posit, ibid: an ad sensum in Apoplecticis tollatur, p. 168. 172. duplex est, p. 121.*

*Retis mirabilis obstructio sola an Apoplexiam faciat, p. 100. est parvum in homine, p. 101.*

*Rotulæ, p. 350. ad Apoplexiam Autoris, p. 351. aliæ 353.*

S.

*Sacculi capiti applicandi, p. 264. 284.*

*Sanguinis arteriosi officina pulmo, p. 36.*

*Sanguis an Apoplexiam excitet & quomodo, p. 125. grumescit aliquando in corpore vivente, p. 127. copiosus copiam Spirituum arguit, p. 137. quantum ejus in Apoplexia detrahendum, p. 227.*

*Saphena insignis vena, p. 220.*

*Sapo odoratus, p. 361.*

*Sartago candens, p. 267.*

*Senes sexagenarij fiunt etiam Apoplectici, p. 124. an evadant, p. 186. cur maxime Apoplexiæ obnoxij, p. 299.*

*Sensuum consternatio à turbatione spirituum, p. 11. quæ ejus signa, ibid: ubi ejus caussa lateat, p. 12. an Aphonia Hippocratis p. 16. quæ partes in ea afficiantur, p. 153. Cura, 276.*

*Sensus requisita quæ, p. 30. quæ ad eum necessaria, p. 38. omnes in Apoplexia tolluntur, p. 106.*

*Serosi humores an Apoplexiam pariant, p. 129.*

*Signa vitam ostendentia, p. 169. bonum vel malū eventum significantia, p. 189.*

*Signa Apoplecticorum diagnostica p. 14. cur mox in initio Autor ea exponat, ibid: caussarum, p. 184. Prognostica, p. 185. bona vel mala, p. 189.*

*Similaris pars quænam, p. 42.*

*Simus cerebri quot, p. 101. eorum congressus, 103.*

*Sinapismus, p. 269.*

*Smaragdus Amuletum adversus Apoplexiam, p. 271.*

*Somnus meridianus noxius, p. 307.*

*Species nonnullæ in phantasia asservantur, p. 69.*

*Species aromatic: p. 287.*

*Spinalis medulla duplex, & utraq; ejus pars cavitatem habet, p. 112.*

*Spinalis medulla globosa an obstrui posit salvis anterioribus ventricu-*

*triculis, p. 54. in ejus medio ventriculi hi excavati, ibid:*

*an Spinalis medulla oblongata in Apoplexia obstruatur, p. 53. 55. hac obstructâ non mox tota cerebri œconomia turbatur, p. 78.*

*Spiritus animales in omni cerebri parte generantur, p. 56. ejus copia cerebri actiones non abolet, p. 69. an in quarto cerebri ventriculo generetur, p. 73. 77. non extra cerebrũ fiunt, p. 77. producuntur ex vitali spiritu p. 93. sunt in perpetua generatione, 93. an eorum defectus aut conturbatio caussa Apoplexiæ, p. 139. non nisi vitalibus deficientibus deficiunt, p. 140.*

*Spiritus vitalis seu influens animæ instrumentum utilissimum, p. 84. cur vitalis dicatur, ibid: comparatur cum sole, ibid: an ad sensum necessarius sit, p. 91. an differat ab animali, ibid: ej9 portio non in venis continetur, 98. ejus defectus in cerebro Apoplexiæ caussa, p. 102. ej9 copia non impedit animalis præparationem 20. ipsius vehiculum sanguis, p. 138.*

*Spiritus vitriolat9 an Apoplexiam generet, p. 14.*

*Spiritus cerebro appropriat. p. 280.*

*Spuma an certum mortis indicium p. 191. à spumoso corpore differt, p. 192.*

*Sternutatoria, p. 259. 335. eorum materia, ibid: quibus noceant, p. 335.*

*Stertor an lethalis, p. 194. indicat fortem Apoplexiam, ibid:*

*Subjectum Apoplexiæ, 34. 36. 39. quod primarium vel adæquatũ, p. 40.*

*Subsistentia modus Existentiæ, p. 27.*

*Succini olei vis, 340. succini præparatio, 347.*

*Sudorifera, p. 324.*

*Sudatoria ex lignis composita, p. 329.*

*Suffumigia, p. 255.*

*Suffocati in aqua ferè qua ratione revocari possint, p. 292.*

*Suppositoria an conveniant, p. 204. ex quibus parentur, p. 206. formulæ, ibid: duplicia, lenia & acria, 207. an eorum species cum melle coquendæ, ibid: an ipsis adurentia addenda, ibid:*

*Suspensi cur mox motum amittant p. 89. quomodo in vitam revocari possint, & fuerint, p. 294.*
*Syncope quomodo ab Apoplexia discrepet, p.21.86.*
*Synovia quid, p.162.*
*Syrupi alterantes & præparantes, p.314.315. purgant, p.319.*

T.

*Tabaci pulvis, p.315.335.*
*Temperies latè & organica dispositio dici potest, p.44.*
*Terror aliquando Apoplexiam excitat, p.157.*
*Testes consensum habent cum corde, p. 292. fomenta eorum, ibid:*
*Torcular quid, p.103. circa id utplurimum, etiam in ijs, qui Apoplexiâ non interierunt, crassa materia reperitur, p.103.104.*
*Tragea ad Apoplexiam D. Pontani p.350.*
*Trepanatio, p.226.*
*Trochisci pro fumo, p.306. sublinguales, p.368.*
*Turbatio Spirituum veram Apoplexiam non facit nisi ex accidenti, p.141.*

V.

*Vaporaria, p. 255.*
*Vaporum metallicorum vim quæ obtundant, p.291.292.*
*Varoliana sectio quæ, p.181. ab Autore primùm Wittebergæ administrata, ibid:*
*Vasa Mesaraica nova, Lactea dicta, ab Asellio descripta; in præfat: ad Lect:*
*Venæsectio humores ex nervis non trahit, p.108. quomodo in Apoplexia juvet, p.109. quando, & an eodem die cum purgatione instituenda, p.203. 236. an in Apoplexia locum habeat, p.214. 215.218. an virium imbecillitas eam impediat, p.216. an corporis refrigeratio eam prohibeat, p.217.*
*quæ Venæ secandæ, an frontis, aut narium, p.219. Saphena, p.220. an Cephalica, ibid: quomodo, secto ejus ramo ad Medianam tendente, major à capite revulsio fieri possit, p. 221. in quo brachio Cephalica incidenda, ibid: an jugulares secandæ, p. 222. quomodo occludi queant, p.222. qua ratione sectio earũ instituenda, ibid: quo tempore venæ secandæ, p. 224. an prius humorum fusio expectanda, p.*

*da, p. 225. an in principio Apoplexiæ tuto instituatur venæsectio, p. 226. an iteranda, ibid: quantum sanguinis evacuandum, p. 227. an locum habeat in sensuum consternatione, p. 286. improbatur in fulmine læsis, p. 287.*

*Venæ reptitiæ, p. 101.*

*Venti qui fugiendi, p. 304.*

*Ventriculi cerebri anteriores, in Apoplexia non obstruuntur, p. 48. sunt amplissimi, p 50. non in ijs Spiritus animalis producitur, p. 52. in ijs in omnibus cadaveribus humores conspiciuntur, p. 52. 80. ijs nihil patientibus tota medulla obstrui nequit, p. 54.*

*Ventriculus cerebri quartus Spiritus anim: non producit, p. 73. nõ in cerebri medulla exsculpt9, ibid: eo obstructo cerebrum non mox graviter afficitur, p. 78.*

*Ventus noxia, p. 158. 307.*

*Ver quomodo Apoplexiæ caussa fiat p. 155.*

*Visicatoria, p. 269. ubi in Paroxysmo applicanda, p. 270. ubi præservationis gratia adhibenda, p. 311.*

*Victimæ quæ olim propriè Percussæ dicebantur. p. 2.*

*Vina medicata, p. 301.*

*Vires duplici modo dici possunt debiles, p. 216.*

*Vitriolatus Spiritus in cerebro non generatur, 143.*


*Vnguenta, p. 364.*

*Vomitoria, p. 285.*

*Vomitus an Apoplecticis noceat, p. 237.*

*Vteri suffocatio quomodo ab Apoplexia differat, p. 18.*

*Vulnera cerebri non facilè Apoplexiam efficere possunt, p. 138.*



# Errata æquus Lector ita corrigat:

*Pag.* 9. *lin.* 17. *post occlusione adde* indeq; cerebri dependente subsidentia.
*pag.* 15. *linea ultima dele* Ecstaticis.
*pag.* 18. *lin.* 4. *pro Spirtum lege* Spirituum.
*pag.* 33. *lin.* 6. *pro exaninantur lege* exanimantur.
*pag.* 25. *l.* 8. *pro earum lege* eorum.
*pag.* 41. *lin.* 3. *pro orgin. lege* origine.
*& ibid. lin. penult. dele* &c.
*pag.* 42. *lin.* 16. *ante* nam *fiat signum* (
*pag.* 45. *lin.* 22. *dele* &.
*pag.* 60. *lin* 21 *pro* 25. *lege* 26.
*pag.* 63. *lin.* 4. *pro flnentem lege* fluentem.
*pag.* 65. *lin.* 5. *pro meseraica lege* mesaraica.
*pag.* 71. *lin.* 15. *pro netvorum lege* nervorum.
*pag.* 78. *lin.* 9. *pro genetari lege* generari.
*& l.* 21. *pro oparationem l.* operationem.
*pag.* 82. *lin.* 6. *pro distructo lege* destructo.
*& lin.* 12. *pro aliquot lege* aliquod.
*pag.* 89. *lin.* 15. *pro affinguntur l.* affiguntur.
*pag.* 92. *in margine pro veluti lege* vitali.
*pag.* 93. *linea ultima pro manifestatiora lege* manifestiora.
*& in margine pro similitudinis lege* similitudine.
*pag.* 96. *lin. penult. pro nota lege* notha.
*pag.* 100. *lin.* 11. *pro inferiobus l.* inferioribus.
*pag.* 106. *lin.* 4. *post videmus adde* nonnihil quasi, (licet nondum ita, ut in notha Apoplexia fit)
*pag.* 120. *lin.* 10. *pro quacunq; l.* quocunq;.
*pag.* 126. *lin.* 12. *pro eranei lege* cranij.
*& linea penult. dele* ibi.
*pag.* 151. *lin.* 5. *pro fusores fabres lege* fusores fabros.
*pag.* 159. *lin.* 23. *pro pacedente lege* præcedente.
*pag.* 176. *lin.* 17. *pro lypotymia lege* lipothymia.

*pag.* 181. *lin.* 8 *pro locutum lege* locutam.
*pag.* 185. *lin.* 16. *pro Apoplectici lege* Apoplecticos.
*pag.* 203. *lin.* 3. *pro sunt lege* sint.
*& lin.* 4. *pro convelluntur lege* convellantur.
*& lin.* 7. *pro ægrotantes lege* ægrotantis.
*pag.* 213. *lin.* 15. *pro* ℥j. *lege* ℥iij.
*pag.* 226. *lin.* 13. *dele* sæpe.
*& lin.* 18 *post odorifera adde* naribus adhibere.
*pag.* 228. *lin.* 13. *dele* ibi.
*pag.* 233. *lin.* 3. *pro* gr. ij. *lege* iij. vel q. s.
*pag.* 238. *linea* 1. *post intelligit fiat signum*)
*& linea* 2. *nonnulla in schedula notata omissa quare post granatylli adde sequentia:* Ita enim â nonnullis vocantur & præscribuntur, quod addo, ne quis me hic *Granadillam Monardi*, quam Bauhinus, Clematitidem trifoliam flore roseo clavato, & alij. *Florem-Passionalem*, quod in ejus flore veluti aliquæ passionis CHRISTI figuræ delineatæ conspiciantur, nominant, intelligere, aut cum prædictis granis Tylli confundere existimet.
*& seq. lin.* 4. *pro imperitoribus lege* imperitioribus.
*pag.* 240. *lin.* 13. *dele* naribusq;.
*pag.* 246. *post peccant ob spacij defectum omissa hæc.* Unde aquæ sæpe minus validæ fiunt, quas tamen maximè si curationis gratia adhibeantur, potentissimas esse oportet.
*pag.* 247. *lin.* 8. *post aq: adde* vel ut fortior fiat etiam Spirit:
*& lin.* 11. *post pulegium adde* Majoranæ Menthæ an. Miiß. vel plus.

lin. 12.

*lin.* 12. *pro vel* ℥iij. *lege* ℥iiij.

*linea penult. ob spacij defectum positum destilletur bis: intellige liquorem semel destillatum de novo materia affundendum & iterum destillandum esse.*

*pag.* 248. *lin.* 3. *post instaurant adde*, qui volet, in altera destillatione etiam species, diamoschi, diapliris &c. drachmas aliquot adjiciat.

*lin.* 9. *ibid: pro Elixix lege* Elixir.

*pag.* 250. *lin* 1. *dele* valde.

*pag.* 257. *lin.* 11. *pro expressæ lege* expressi.

*& ibid: lin.* 13. *post ambram nigram, adde* Moschi. ℈v.

*pag.* 258. *lin.* 15. *pro Castorei lege* Extract Castorei.

*pag.* 163. *lin.* 21. *pro g. v. lege* q. v.

*pag.* 269. *lin.* 11. *pro convenient. lege* conveniente.

*in sequentibus fallacia compositionis & divisionis commissa, & conjungenda disjuncta, disjungenda vero conjuncta fuerunt: Errorem bone Lector, ipse facilè animadvertes. Ut, autem sensus minus obscurus fit lin.* 18. *post parenth. adde* aliisq; postea enumerandis.

*pag.* 270. *lin.* 7. *dele* nuchæ seu brachiis adhibitis.

*& lin.* 14. *post capiti adde* vel nuchæ.

*pag.* 272. *lin.* 19. *ante Apoplexiæ pone* De.

*pag.* 274. *lin.* 2. *dele* fit.

*pag.* 276. *lin.* 9. *pro cerebello lege* trepano.

*pag.* 280. *lin.* 9. *dele* fl. Tiliæ.

*pag.* 283. *lin.* 7. *post tria adde*, Si succorum aciditas potiones minus gratas efficiat, in minore dosi addantur, aut eorum loco syrupi sumantur, vel etiam soli succi saccharo, parum dulcorati exhibeantur.

*pag.* 287. *lin.* 9. *pro motuis lege* mortuis.

*pag.* 289. *l.* 13. *post potione dele* hac, & *lege* aliqua, vel Aqua conveniente.

*pag.* 293. *lin.* 8. *pro deprehenderi lege* deprehendi.

*pag.* 297. *lin.* 15. *pro ebrientur lege* inebrientur.

*pag.* 303. *lin.* 7. *post Pulvis adde* vel.

*pag* 317. *lin. penult. pro* ℥iij. *lege* ʒiij.

*pag.* 349. *lin.* 11. *pro* ʒiß. *lege* ʒijß.

*pag.* 359. *lin.* 10. *dele* primo.

Hæc sunt sphalmata, quæ in Cursoria lectione obiter quasi notavi, si plura adsint â me nondum observata, quæso benevolus Lector ea, una cum punctis, colis, aut commatis transpositis, confusis, vel omissis pro suo Candore corrigat atq; emendet.

*VVITTEBERGÆ*

Typis JOBI VVILHELMI Fincelij.

ANNO 1629.

